HOSEAS PROPHETA.

INTRODUCTIONEM PRAEMISIT,

VERTIT,

COMMENTATUS EST


JOANNES CHRISTIANUS STUCK,

PHILOS. D. AA. LL. MAG., SACRORUM APUD CAVERTITIENSES IN SAXONIA MINISTER.

LIPSIAE

PROSTAT APUD C. H. RECLAM.

1828.


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.

Prooemium.

Duo potissimum erant quae cum in eo essem ut opus hoc meum exegeticum in vulgus emitterem, maximopere sum veritus, scilicet ne aut post tot tantorumque virorum prophetam Hoseam interpretandi conamina, superfluum aliquid susceperim, aut ubi eorum conamina mihi nondum suffecisse visa fuerint, arrogantiae mihi culpam contraxerim. Vicit tandem pium animi desiderium, ut in quo amore et reverentia erga sacerrima SSae monumenta per omnem meam vitam elaboraverim, nimirum ut magis magisque eorum sensum et significationem ab omni partium studio liber intelligerem, civibus meis proponerem atque ab iis edocerer, utrum ea ratione, qua opus meum perfeci, et ipse propius ad

verum scriptorum sacrorum sensum accesserim, et mecum bene de Vetere Testamento sentientes adduxerim, nec ne.

Duplex est modus sacros Hebraeorum prophetas tractandi, vel ut luce per Christianam religionem hominibus accensa eorum sensus et vis quaeratur, utque omnia eorum dicta, sententiae atque praecepta et ad verbum et allegorice cum historia dogmatibusque N. T. prorsus consentire iubeantur, vel ut ex iis via et ratio cognoscatur, qua gens humana inde ab infimis culturae primordiis ad felicissimum Iesu Christi aevum praeparata atque educata sit, utque sic magis magisque intelligamus, qui fieri potuerit, ut novi foederis institutio non violento et humanas cogitationes excedente Dei actu hominibus contigerit. Ita vel Vetus Testamentum e Novo, vel Novum Testamentum e Vetere interpretes illustrarunt. In illo pii patres ecclesiae Christianae usque ad saeculum praeteritum versati sunt; huius causam gesserunt recentiores theologi. Idque vario successu. Quemadmodum enim illi Novi et Veteris Testamenti rem saepenumero ita inter se miscuerunt, ut postremo nil nisi caeca dogmatum ecclesiae antiquitate sancitorum admiratio relinqueretur, sic no-

strorum studia nonnunquam Iesu Christi aevum a Mosis et prophetarum aetate ita separarunt, ut de neutro haberent, quid probe statuerent.

Mihi quidem omnis institutio Veteris et Novi Testamenti unum continuum et in se cohaerens divinae providentiae opus esse videtur. Cuius ut saluberrimum humanisque rebus accommodatissimum et consilium et processum probe existimemus, ante omnia eius ministros interpretesque divinitus quidem ductos verum temporum vicissitudinibus obnoxios pia reverentia et sedulo studio cognoscamus necesse est. Qua de causa scriptorum sacrorum peculiaris sentiendi et intelligendi ratio pervestigari debet, ita tamen, ut quae fuerit vis antiquiorum magistrorum temporumque in excitandis illorum animis, diligenter ponderetur. Tali modo omnes Graecorum et Latinorum scriptores tractamus. Postquam enim ingenium unius cuiusque percepimus, quae quisque tempori, magistris et disciplinis debuerit, perscrutamur, cum reliquis eius aevi monumentis comparamus, ut denique aptum et verum de eo existat iudicium. Eadem est divini spiritus scriptores sacros impellentis sana admiratio, ut intelligamus, quomodo is viribus vicibus-

que humanis usus fuerit ad eas cogitationes, mores et spes procreandas, quarum ope paullatim animi verae emendationis Deique gratiae per Christum nobis reconciliandae compotes fieri potuerint. Gens enim humana nullo temporis momento saltu aliquo inopinato et non praeparato ad meliora evecta est. Christiana religio ipsa triumphos de vitiis, erroribus et miseriis tunc demum agere potuit, cum pluribus saeculis interiectis temporum occasio multorumque piorum virorum studia accederent. Nec Iesus Christus munus praeclarissimum perficere potuisset, nisi iisdem praesidiis fuisset adiutus.

Scripta V. T. fontem nobis aperiunt, unde Iesu Christi salutaris institutio fluxerit. Pingunt parva primordia, e quibus vera et Deo accepta pietas excrevit, pingunt fundamenta et rationes, quibus proborum hominum cum Deo se reconciliandi studium nitebatur, pingunt desideria divinae gratiae et redemtionis inter tot tantasque calamitates enata, pingunt varios casus, quibus mentes quondam summis erroribus obcaecatae ad meliorem Dei cognitionem magis magisque evectae sunt.

Hominum ingenium ut primum vires sentire coepit, nil ardentius habuit

nisi ut de causa, origine, consilio et fine omnium rerum cogitaret. Ut enim ipsa hominis ratio, ab omni dementi casu eventibusque fortuito ortis vitam felicitatemque redimens, consilio res suas ducere et ad optimum successum volvere operatur, ita in instituendis omnibus rebus rationem aliquam supremam omnia consilio et vi perfectissima efficientem et gubernantem non poterat non suspicari. At duplex fuit via ab hominibus inita: altera eorum, qui de rerum auctore et gubernatore dissererent, in modum, quo omnes res ab eo creatae cum eo coniunctae essent et ab eo regerentur, inquirerent, inventa in qualemcunque vel philosophicum vel mysticum ordinem redigerent; altera eorum, qui in simplicissimis notionibus iisque ad instar indolis humanae formatis subsisterent, verum supremi numinis vi et magnificentia animo percellerentur, id vel timore tremoreque colerent, vel pietate sibi propitium reddere studerent. Illa res divinas tractandi ratio in regiones occidentales migravit. Phoenices, Aegyptios et Graecos auctores habuit; haec in oriente radices egit, Omnis institutio sacra et politica Iudaeorum tali fundamento gaudet. Abrahamus pia observantia Deum revereba-

tur. Animo eius infixa erat persuasio, se suasque res a numine sibi suisque amico regi, nec amplius de eius natura et indole quaerens in omnibus suis fatis eius vim et efficaciam agnoscebat, cum eo colloquebatur, carissima sibi ei committere promtus paratusque quamquam maiestatis eius portentis penitus commotus tamen fide et spe quaelibet bona sibi ab eo esse impetranda credidit. Quem de Deo cogitandi eumque pio animo colendi modum quasi splendidissimam hereditatis posteris reliquit partem. Nec postea exstirpatus est; quin ipse nepos Iacobus, postquam varios aliarum gentium de summo numine errores degustaverat, ad pium animi sensibus ac benefactis exhibendum Deo cultum rediit. A nemine autem eius posterorum ita civibus commendatus et necessarius factus est, quam a Mose, qui totus in eo elaboravit, ut omni subtili arrogantique divini numinis pervestigatione, quam ab Aegyptiis didicerant, animis suorum evulsa summa et pietate et reverentia et fide ad Deum admoverentur. Itaque Deum omnibus docuit vi et efficacia esse notissimum, natura autem et essentia prorsus ignotum, nec ullo signo imagineve comprehendendum, et quemadmodum eum

genti suae peculiari modo propinquum et propitium exhibuit, ita domicilium divinae sanctitatis et in describendo, et in constituendo aliquo eius exemplo, nimirum tabernaculum sanctum exstruendo, tantis terroris arcanorumque rituum mysteriis circumdedit, ut vulgo nunquam accessus ad Deum patere posset.

Talibus de Deo sentiendi cogitandique modis e Mosis consilio propterea omnis reipublicae institutio nitebatur, quod pietas inde orta aptissima ipsi visa erat ad robur civium excitandum et confirmandum. Pietate enim illa effectum iri opinatus est, ut fiducia et fortitudo animis infunderetur, ubi in acie esset conflictandum, ut concordia servaretur, ubi de salute publica esset deliberandum, ut caveretur, ne corpora libidinosis moribus lascivorum barbarorum exhausta praeda fierent insidiantium hostium, ut amor patriae incenderetur, ubi in magnis periculis versarentur, ut nominis gloria et celebritas etiam bonorum morum fama augeretur, ut leges ab omni violatione tutae vindicarentur, ubi seditiosi homines fundamenta rei publicae evertere studerent. Omnibus de republica bene sentientibus id curae cordique fuit, ut illam pietatem vel tue-

rentur, vel ubi debilitata esset, restituerent. Sed temporum vicibus Moses eiusque institutiones oblivioni traditae sunt, errores terram sanctam intrarunt, mores depravati, leges neglectae sunt. Tunc pernicies reipublicae contento gressu sequebatur. Abrahami posteri ante victores ab hostibus victi sunt, publica securitas aufugit, barbari et urbes et opes et cives ceperunt, reges sibi tributarios fecerunt, dissidia et interni motus miseriam auxerunt, gens stupida et desperans in interitum ruere coepit. Tantis rerum calamitatibus nil restitit nisi quod pauci probi homines adhuc superstites, Mosaicarum institutionum sagacissimi tutores, causam malorum suis ostenderent, quod et reges et sacerdotes et plebem iterum iterumque ad pristinam patriamque pietatem provocarent, quod exemplis ex historia patria desumtis monita sua confirmarent, quod spem adnecterent fore ut Dei auxilium populo restitueretur, modo ad eam formam et indolem redirent, quam solam Deo placere iam dudum a sanctis viris monitum fuisset.

Harum adhortationum monumenta in prophetis Veteris Testamenti habemus. Earum ratio et indoles non ea est, ut novi aliquid doceant utque de

rebus divinis philosophice disserant, sed ut populo notissima suo modo exponant. Cum enim omnis de Deo cogitatio in eo consisteret, ut simplicissimis dogmatibus sensus timoris, fiduciae et amoris erga eum excitarentur, prophetae quoque in orationibus nil gravius exhibent nisi animum illis sensibus commotum. Commotionis autem occasionem et fata reipublicae et mores civium praebuerunt. Hi indignationem eorum, propterea quod natio tantopere a Deo amata Deique benevolentiâ tecta tantâ insania et improbitate Deo adversari posset, illa et querelas de eo, quod mutari non poterat, et metum maiorum calamitatum deperdito populo imminentium, et spem fore ut in melius tandem eorum res restituerentur, excitarunt. Cum autem in re ipsis sacerrima versarentur, non mirum est quemque suo modo commotum omnia poetice et vidisse et descripsisse et pinxisse. Ut rem planam et centies dictam civibus suis commendarent, fervor animi, gravitas orationis, elegantia imaginum accederet necesse erat. Eo modo curas et vota sua proponentes sanctam divini numinis vim sibi inesse senserunt, et, quod etiam a Graecis poetis non alienum erat, Dei impetum esse probarum et grandium cogitationum gra-

vem et efficacem significationem, id suis orationibus singulari modo tribuerunt, idque Novi Testamenti effatis gravissimo modo confirmatum esse neminem latet.

Itaque opera prophetarum vere poetica appellantur, siquidem grandes eorum de Deo deque salute publica cogitationes non ex eruditionis sed ex intimi atque divinitus excitati animi fonte hauriuntur, sublimi sermone edicuntur, imaginibus exornantur semperque ad excitandos pudoris, pietatis et spei sensus proponuntur. Ut autem quae unusquisque sacrorum vatum voluerit probe intelligantur, et ad linguam qua scripserint, et ad ingenium singulorum scriptorum, et ad occasionem quam status reipublicae temporumque necessitas iis suppeditaverit, denique ad relationem quae inter eorum scripta et institutiones sacras, maxime monumenta antiquorum sacrorum scriptorum, intercesserit, sedulo respiciendum est.

Periculum facturus meam qualemcunque partem ad interpretationem nostrorum mihi quoque sanctissimorum auctorum conferendi, e catalogo vatum selegi Hoseam, et quoniam primum omnium fuisse putaverim qui monumenta reliquerit, et quoniam simplex eius om-

nem antiquitatis venustatem involvens pingendi et scribendi ratio mihi prae ceteris placuerit, et quoniam multa esse, quae etiam nunc de eo dicenda et commentanda restent, senserim. Plures quidem habui praevios interpretes, quibus quae debeo gratissimo animo prosequor. Imprimis in iis quae ad historiam interpretationis pertinent, habui ducem Illustrissimum Nostratem Rosenmuellerum, cuius sollertissimum et doctissimum studium viam mihi ita stravit, ut saepenumero vestigia eius sequi mihi in meam rem suffecerit. Ubi fontes eius inspicere e literarii mei apparatus penuria non licuit, respectus autem ad eos mihi labore dignus visus est, eius praeclarum opus, Scholia in V. T. Part VII. Vol. I., citavi. Ceterorum de interpretatione meritorum antiquioris et recentioris aevi scriptorum a me laudatorum nullum non perlegi, nisi Sebastianum Schmidtium, cuius Commentarium in prophetam Hoseam 1687. invenire non potui. Cum tamen saepius eius verba repetierim, id e glossis marginalibus I. H. Michaelis ad editionem V. T. Halae 1720. me fecisse profiteor, qui magna diligentia et reverentia commentarium eius laudare solitus est. In quo id moneam, me brevitatis causa fere semper nude Schmid-

tium et Michaelem nominasse, ut ab aliis interpretibus alter a Johanne Schmidio alter a Iohanne Davide Michaele secerneretur. Eiusdem I. H. Michaelis editione V. T. et in commentandis Hoseae vaticiniis et in locis sacris V. T. citandis usus sum.

Restat ut modum exponam, quem in tractatione mea spectavi. Id enim egi, non ut doctam et omni apparatu eruditionis philologicae Orientalis exstructam, sed popularem e mente vatis veterumque scriptorum sacrorum consensu petitam interpretationem exhiberem. Itaque quod ad linguarum Orientalium cognitionem pertinet, hanc maxime tenuem operis mei virtutem esse probe sentio. Viri Illustrissimi, qui earum eruditione excellunt, facile intelligent, me fere nunquam mihi soli fisum in illas regiones sublimiores ascendisse, et mihi ignoscant, quod in sedibus meis solitariis, in quibus a literarum felici commercio remotus hucusque studiis meis privatis vacavi, eorum eruditionem aequare non possum. Quantum vero mihi licuit, ut linguae Hebraicae scientia instructus in publicum procederem, in eo omni studio elaboravi.

Porro ingenium et rationem scriptoris sentiendi et de sua re cogitandi co-

gnoscere studui. Quae animum eius movisse curae et spes ex omni vaticiniorum eius libro intelliguntur, eas ita illustrare et componere conatus sum, ut in singulis locis simplicissimus idearum et sententiarum nexus cum omni modo eius disserendi inveniretur. Qua in re potissimum in id inquisivi, quod orationis vel, ut ita dicam, poeseos genus ipsi maxime placuerit, unde et quomodo colores, imagines et reliqua ornamenta composuerit, ne speciale pondus in verbis quaeramus, ubi poematis forma levis et, ex Lowthii verbis, modica est, neque contra humilis et vulgaris oratio substituatur, ubi sublimior animi exsultatio ex omni sententiarum nexu emicat, neque gnomice et, ex Hieronymi verbis, commatice eum locutum esse suspicemur, ubi omnia facile, sed subtili modo inter se cohaerent. Ex quo factum est, ut prophetam nostrum non ex verbis et meris commatibus, sed ex tota orationis serie captui lectorum proposuerim, verba autem et commata ita tractaverim, ut eorum vis et significatio magis e vatis ingenio, quam e critica disquisitione de eorum etymologia et analogia intelligeretur. Idioma enim linguae ita antiquitatis simplicitate signatum est, ut omnino nunquam interpre-

tum de eius vi et potentia consensus oriri possit, nisi ab illa anxia subtilitate, qua recentiores linguas tractamus, recedatur. Nec possum non Lowthii gravissima verba hic repetere: „Ab hoc erro„re,“ inquit, „semper cavendum est, et in„commoda compensanda sunt, nec modo „perdiscendus eorum sermo, mores, ritus, „disciplinae, sed intimi etiam sensus per„vestigandi, cogitationis modi nexusque „eruendi, eorum oculis ut ita dicam cer„nenda sunt omnia, eorum opinionibus „aestimanda, id denique enitendum, ut „Hebraea quantum fieri potest tanquam „Hebraei legamus. Idem propemodum „hic nobis faciendum est, quod Astro„nomi solent in ea suae disciplinae parte, „quam vocant comparativam: qui, ut „clariorem in animo forment imaginem, „et totius mundi et singularum eius par„tium fingunt sese universum obire et „perlustrare, de alio planeta in alium mi„grare et uniuscuiusque paulisper incolas „fieri, atque ita clare contemplantur et „accurate aestimant quid quisque sibi „habet proprium, cum ex loco, celerita„te et satellitio suo, tum ex conspectu „ceterorum, quale et quam diversum „cuique mundi spectaculum pro diverso „cuiusque situ exhibetur. Similiter is „quoque, qui poematum Hebraeorum

„proprias et interiores elegantias per-
„spicere velit, ita se comparet opor-
„tet, ut sese putet eodem in loco posi-
„tum quo ii, quorum causa ea scripta
„sunt, aut qui ipsi scripserunt, ut cogi-
„tet, non quas rerum imagines suo pro-
„tinus animo iam offerant certae quae-
„dam voces, sed quaenam Hebraeo iis
„temporibus in ea regione constituto,
„easdem dicenti et audienti obversari
„debuissent. Quoad id poterit consequi,
„eatenus vim earum et potestatem in-
„telliget. Id quidem in multis difficile
„erit, in nonnullis nullo modo fieri pot-
„erit. In omnibus tamen unice erit
„spectandum, ac praecipue in iis locis,
„qui maxime figuris exornantur.“ Vid. Lowth. de sacra poesi Hebraeorum ed. Lips. 1815. pag. 55. 56.

Statum imperii et conditionem civium non minori studio persecutus sum, ut quae voluerit vates intelligerem. Prophetae sacri omnem scribendi et disserendi materiem e temporum ratione repetiverunt. Anxietas animi iis orta est e misera conditione reipublicae olim florentissimae tunc maxime deperditae. Omnis civitatis institutio cum cultu divino a Mose instituto arctissime cohaesit, et mole Iacobiticae pietatis perrupta omnes calamitates instar elluviei

**

in terram patriam effusae sunt. Ut res patriae restituerentur, illae moles reparandae erant; qua autem ratione id fieri posset, id historiam sui temporis secuti docuerunt. Porro omnium piorum Abrahami posterorum spes non universales erant, sed tantum patriae e patriis calamitatibus ortae, memoria superiorum temporum sustentatae et ad patriae gloriam directae. Temporum vicibus spes illae vel auctae vel labefactatae sunt, et quamvis nunquam collaberentur, tamen variis formis et modis inter patriae fata mutatae sunt. Ut autem sensus et directio earum capiatur, probe secernendum est, quae mala tempora vates minati sint, et quae bona promiserint. Denique prophetarum ordo ita intextus erat in reliquas civitatis gubernandi provincias, ut principes eorum auctoritate uterentur, ut ipsos reges adire, eos vituperare, ad Iehovae iudicium provocare, consilia iis dare valerent. Ahab, maxime improbus rex Israelitarum, Eliam veritus iussa eius pati dignatus est. Eadem diligentia eius filii Elisam reverebantur, cuius tanta erat dignitas, ut evectionis Iehu in thronum Samariae auctor esset. In tanta prophetarum vi et auctoritate, cum propius ad solium regis vocati divinae voluntatis interpre-

tes haberentur praesertim ubi eloquentia, ingenio et virtute excellebant, nec intima rerum publicarum cognitio eos fugere, nec summae rerum moderandae studium deesse poterat. Itaque eorum quae nobis supersunt orationes peculiarem quendam characterem eumque politicum prae se ferunt. Non enim modo vulgus docere et emendare, sed ad id eniti studuerunt, ut reges, principes, sacerdotes ad sanam mentem reducerentur. Cuius consilii ut compotes fierent, iterum occasio dissertationum e vicibus publicis et e factis gestisque maximam vim in res patriae exercentibus repetenda erat. Saepe quidem evenit interpreti, ut has vices investigaturus in caliginosam noctem abripi videatur, utque quae fata illorum temporum tulerint, magis e cantibus et sermonibus sacrorum scriptorum modo simili vero divinare, quam e certis historiarum testimoniis eruere cogatur. Verum licet pauca et exigua sint, quae ita inveniantur, tamen nullo modo sunt negligenda. Qua ratione autem Hoseas fatorum Israelitici et Iudaici regni respectum habuerit et quomodo eorum gravitate et periculis ad sua vaticinia suo modo edicenda provocatus fuerit, id paucissima, quae nobis in libris historicis re-

licta sunt, vestigia secutus exponere studui, nec melius sermonum eius sensus et vis intelligi posse mihi videtur, quam si ita historiae luce eos perlustramus.

Denique consensus vatum cum scriptis priorum sacrorum virorum maximi momenti est ut ponderetur. Vatibus monumenta illa tantae auctoritatis erant quantae nobis omnia scripturae sacrae monumenta. His innitebantur, haec semper coram oculis habebant, eaque in omni rerum discrimine consulere solebant. Primordia gentis Iacobiticae mythis erant circumvoluta, qui ubique posterioribus scriptoribus materiam et explicandi et ad suam rem transferendi et arcanum sensum perscrutandi suppeditaverunt. Hic sollerti negotio sed quilibet suo more versati sunt. Cognoverant familiam Abrahae, ex qua magna natio processerat singulari Dei benevolentiâ tecta, miraculoso auxilio a minimis initiis ad maxima incrementa evecta. Quid mirum eos exemplis inde petitis usos esse et ad novam spem animis suorum excitandam, et ad eam pietatis fiduciaeque indolem describendam, quae sola et olim praeclarissimos fructus tulisset et nunc eosdem latura esset. Prae ceteris scripta Mosis, leges ab eo promulgatae, minae ab eo pro-

latae non tantum ipsorum manibus, sed memoriae erant reconditae. In omnibus significationem divinae voluntatis summa reverentia colendam intelligebant, idque eo certius, quo praeclarius omnia illis scriptis contenta eventu fuerant confirmata. Genti bene fuerat quoad legibus Mosis se subiecerat, male ut primum ab iis declinaverat. Ita auctoritas illorum scriptorum in dies aucta erat, nec melius quid se proferre posse vates intellexerunt, quam ut iterum iterumque populum ea sentire cogitareque monerent, quae iam dudum a Mose essent significata. Quibus diligenter ponderatis saepenumero eveniet, ut in locis vexatissimis et impeditissimi, ut videtur, argumenti nil nisi monita Mosis recitata temporibusque adaptata reperiamus. Qui respectus ad antiquissima superioris foederis monumenta praeterea nos docebit, quomodo animus vatum experientia et diuturna de rebus sacris meditatione excultus compedibus pristinae imperfectae et ut ita dicam politicae pietatis ruptis ad meliorem de Deo sentiendi rationem evehi conatus fuerit. Quae autem mihi ea in re notatu digna visa sunt, ea sedulo collecta et in introductione et in commentario ipso exhibui.

Dum autem hunc in modum inceptis satisfacere studueram, nimirum ut prophetam nostrum populari et simplici modo tractarem, opus meum ad maiorem magnitudinem excrevit quam ipse et exspectaveram et volueram. Idque potissimum propterea, quoniam nonnunquam in historiam interpretationis locorum vatis nostri difficiliorum excessi, adeo criticam aliorum interpretum recensionem exhibere non dubitavi. Istius tractationis has causas habui: alteram, ut iuvenibus, a quibus legi optem, unde factum sit, ut quaedam usitatiores de vatis ingenio et sententia cogitandi rationes praevaluerint, ostenderem, utque ita eos monerem, ne in verba alicuius magistri iurarent, vel si mea sententia non omnibus probaretur, ut iis aliam vatis sensum inveniendi viam ingenue aperirem; alteram vero, ut caverem, ne negotium meum cum negligentia quadam erga aliorum doctissimorum virorum monita suscepisse viderer, utque iis maximam meam reverentiam testificarer, vel eorum auctoritate meam qualemcunque interpretationem confirmaturus, vel ab iis recedere coactus modestissime dubia mea prolaturus. Sunt interpretes et quorum auctoritas in ecclesia nostra antiquitatis existimatione nitatur, et quorum erudi-

tionis praestantia cum magno et pio eorum res divinae nostrae religionis tuendi studio eandem auctoritatem bene mereatur. Illorum habemus praesertim tres, interpretes Alexandrinos, paraphrasin Chaldaicam Ionathanis, Hieronymum, ad summum auctoritatis fastigium in ecclesia Christiana evectos. Eorum ope usus sum, ubi loci difficiliores ubique circumspicere iusserunt, ut tandem ad simplicissimum et vati maxime consentaneum interpretationis punctum pervenire possem; verum notavi eos ubi cavendum erat, ne eorum indubitati errores, quibus et linguam et ingenium vatis se ignorasse significant, omne interpretationis negotium depravarent et corrumperent. Recentiorum inde a Luthero docte et eleganter vates interpretandi studia, temporum vicibus et eruditionis incrementis adiuta, in dies feliciori progressu gavisa sunt. Quae ex eorum monitis mihi notatu dignissima visa sunt, ea attuli, et quamquam nec prorsus nec semper iis assentiri potui, tamen et in iis, quae aliter sentio, me plura eorum luci debuisse nunquam oblitus sum. Viri iam defuncti meritorum praemia praestantissima et immortalitatis suae gloriam coelestem nacti sunt. Viris autem Illustrissimis adhuc interpretationis operae vivido et felicissimo studio

incumbentibus, Eichhornio *), Kuinoelio, Boeckelio, Rosenmüllero, Gesenio, de Wettio, gratias pro meritis omni qua par est observantia et pietate refero. Quod autem opus meum attinet, id Ipsorum et reliquorum Eruditissimorum Virorum criticae disquisitioni censuraeque subiicio.

Faxit Deus ut amor et labor, quibus hoc meum opus exegi, fructibus non careat, utque monumenta sacra veterum prophetarum in dies cariora fiant omnibus, qui docendis emendandisque hominibus et munere et ingenio et eruditione prospicere vocati sunt. Sunt enim illa monumenta et manent divinae sapientiae fontes, quorum cognitione destitutus nemo vim et magnitudinem institutionum per Christum absolutarum nec cognoscet nec sentiet. Equidem vero ab opere incepto non discedam, atque si quem aggressus sum poetas sacros tractandi modum, is Viris Doctis probatus fuerit, otium meum in id impendam, ut reliqua quoque monumenta imprimis *Minorum*, qui dicuntur, *Prophetarum* ea quae contigerit sollertia et rerum sacrorum cognitione illustrare pergam.

*) Hic quoque praestantissimus Vir, dum opus meum imprimebatur, omnibus flebilis ad superos abiit. Ἀναπαύεται ἐκ τῶν κόπων αὐτοῦ· τὰ δὲ ἔργα αὐτοῦ ἀκολουθεῖ μετ᾽ αὐτοῦ.

Conspectus operis.

Introductio.

Commentarius.

IN
VATICINIA HOSEAE
INTRODUCTIO.

I.

De historia Hoseae eiusque temporis.

„Qui veritatem,“ ait Lactantius div. institt. l. 4, c. 5. „studet comprehendere, non modo intelligendis prophetarum vocibus animum debet intendere, sed etiam tempora, per quae quisque illorum fuerit, diligentissime inquirere, ut sciat, „et quae futura praedixerint et post quot annos „praedicta completa sint.“ Valet igitur temporum cognitio ante omnia ad fidem prophetis habendam. Ex historia evincitur, utrum illi libri, qui nomina celebrata vatum sanctorum in fronte gerunt, ad tempora, in quae incidere feruntur, vere pertineant necne. Divinitus inspiratos eos tum demum censemus, ubi temporum ratio cum omni nexu prophetiarum facili et simplici modo consentit, spurios contra iudicamus, ubi is consensus vel vi extorqueri debet, vel nusquam inveniri potest, ubi mores, res gestae, instituta pu-

blica in iis commemorata plane aliud seculum aliumque populum produnt. Verum ut fides eorum ab historia pendet, ita et eorum intellectus eundem habet fontem. Omnes enim vates et a temporibus, quibus vixerunt, occasionem scribendi petiverunt, et ipsi fecerunt vel ad temporum mores formandos, vel ad salutem publicam prospiciendam, vel ad res cura consiliove suo sublevandas. Scripta igitur et effata eorum peculiari modo temporum vicibus originem debuerunt, qua de causa sine luce e temporum historiis adspersa nullo modo perspici possunt. Omnes autem in intelligendis prophetis difficultates nos fugerent, si plura eorum historiae haberemus documenta.

Sed ubique eius fontes parci et impuri fluunt. Quod vatem nostrum attinet, de eius historia nullum documentum historicum superest, nisi inscriptio fasciculi effatorum: „Effata Iehovae, quae „contigerunt Hoseae filio Beeris, temporibus „Usiae, Iothami, Ahasi, regum Iudae et tempo„ribus Ierobeami filii Iohasi, regis Israelis.“ Quae inscriptio si orta esset ab auctore ipso, haberemus aliquid certi, quo niti possemus. Tum enim ex ea appareret, Hoseam maximam certe partem vaticinia sua edidisse in regno Iudaico, quoniam admodum accuratus fuerit in describendis rebus Iudaicis, res contra Israelitarum ὡς ἐν παρόδῳ levi tantum notula attigerit. Fuerunt adeo, qui hoc modo de eo statuerent eumque vitam in Iudaicis tribubus degisse mallent. Verum ut S. V. Rosenmüller in prooemio ad Hoseam p. 26. bene monuit, huius argumenti omnino nulla est vis. Apparet enim ex toto prophetiarum Hoseae volumine, ipsi intimum commercium cum

Israelitis fuisse. Novit mores populi cap. 4, 1. 2. 18. cap. 6, 8. 10. cap. 7, 14. 9, 9. 13. 10, 13. 12, 9., novit mores sacerdotum cap. 4, 13. 6, 9. 9, 8., novit mores regum et principum cap. 5, 10. 7, 3 — 5. 9, 15.: quae quidem omnia eum fugissent, nisi diutius et civis inter eos commoratus fuisset. Maioris etiam momenti est intimus amor erga hunc miserum populum, quem quaevis pagina vaticiniorum loquitur. Licet enim acerrime invehitur in Israelitas, inculpans eorum mores, detegens eorum flagitia, semper redit ad preces ardentissimas, ut tandem saluti suae consulant cap. 2, 4. 6, 1 — 3. 10, 12. 12, 7. 14, 2. 3., ad significationem curae pro salute publica cap. 2, 4 — 25. 5, 13 — 15. 9, 3 — 6. 10, 7., ad aperiendum animum spe meliorum temporum exhilaratum cap. 2, 1. 3, 5. 5, 15. 11, 9 — 11. 12, 10. 14, 7 — 9. Quae autem ex ore Iehovae refert, ea ipsam vatis benevolentiam mentemque de sorte patriae maxime afflictam luculentissime declarant cap. 2, 18 — 25. 3, 1. 11, 1 — 11. 14, 5 — 9. Adeo si reprobat perversos mores, tanto fervore corripitur v. c. cap. 9, 14., ut facile intelligi possit, gentem, ad quam ita loquatur, maximopere ad eum pertinuisse eique peculiari studii patriaeque vinculo fuisse iunctam. Accedit peroratio cap. 13 et 14. ad Israelitas singulari modo conversa. Continetur enim in ea ultima curarum et votorum declaratio quasi testamento deposita, quam quin nemini nisi civibus suis deposuerit nullus dubitabit.

Quae cum ita sint, patriam vatis magis ex indole operis, quam ex inscriptione cognoscere oportet; inscriptionem autem inter additamenta posteriorum temporum numeramus, de quibus infra §. 6.

Eodem modo de annis muneris eius prophetici statuendum est. Innuünt singulae partes vaticiniorum postrema tempora felicis imperii Ierobeami II. regis Israelitarum, vel annos proxime huius obitum subsecutos cap. 1, 4., designant interregnum post mortem Ierobeami cap. 3, 4., tempora Sachariae cap. 4, 1 — cap. 5, 9., tempora Menahemi cap. 5, 9 — cap. 6, 3. cap. 8, 1 — 10., tempora Pekahiae et Pekahi cap. 6, 4 — cap. 7, 7., tempora ante Tiglath-Pileserem cap. 8, 11 — cap. 9, 7., tempora Hoseae ultimi regis cap. 7, 7 — 16. cap. 10 — 12.

Familiam vatis recenset inscriptio, ita tamen ut nil nisi nomen patris exhibeat. Vocatur Hoseas filius Beeri. Quis autem fuerit pater et quo loco ortus sit filius, ea omnia nos fugiunt. Verum quae in libro ipso desiderantur, ea commentatores antiqui vel fabulis vel coniecturis supplere studuerunt. Ita Pseudo-Epiphanius et Dorotheus vatem oppido Belemoth s. Bethsemes, in tribu Isaschar sito, ortum esse tradunt. Alii putant, patrem eius fuisse principem Rubenitarum, qui a Tiglath-Pilesere in Assyriam abductus sit 1 Chron. 5, 6. Alii a patre propheta eum natum esse contendunt, secundum regulam Hebraeorum, quam Nicolaus de Lyra laudat: „quando in principio alicuius prophetae patris nomen exprimitur, propheta fuisse intelligitur.“ Alii eum ortum esse Hierosolymis statuunt, quia patria eius non disertis verbis nominetur.

Mittamus talia commenta et sequamur id, quod ex omni contextu vaticiniorum Hoseae elucescit. Hoseas natus fuit temporibus ultimorum regum e familia Iehu, nimirum regnante Ierobeamo II. „Vixit diu“ uti Grotius commemorat „et prophetam

„egit, itaque multos habuit prophetas συγχρόνους,
„ut Esaiam, Amosum, Obadiam, Ionam, Micham,
„viditque populum decem tribuum florentem,
„vidit eiusdem partem non exiguam translatam
„per Tiglath-Pileserem."

Vita igitur Hoseae eiusque vaticinia in tempora Israelitis maxime calamitosa inciderunt, quibus interitus huius regni et per tumultus internos, et per perversissima consilia regum populique, et per maximam depravationem gentis praeparabatur. Vaticinatus est ab ultimis annis Ierobeami II, certe paulo post eius obitum, usque ad excidium Samariae (quod utrum viderit necne incertum est), quod spatium est circiter 60 annorum [1]). Rex ille per 41 annos tam felici successu regnaverat, ut pristinam gloriam nominis Israelitici restitueret. Occupavit enim plures urbes ab antecessoribus amissas, finesque regni versus septentrionem usque ad Damascum et Hemath, quae pars erat Libani et Antilibani, versus occidentem autem usque ad mare mediterraneum ad urbem fere Tyrum promovit. Populus hac vice rerum elatus in negligentia erga Iehovam perseve-

---

1) Lightfoot in Chronologia V. T. p. 53. septuaginta, Heidegger in Enchiridio biblico sexaginta, alii adeo (vid. Ursinus in prolegg. ad Hos.) nonaginta annos vatem nostrum munere prophetico functum esse putant. Rosenmüller (in prooemio p. 27.) 40 tantum annos statuit, et tamen eum ab extremis annis Ierobeami II. usque ad priores Hiskiae vaticinatum esse censet, quem calculum non sum assecutus. Eichhorn (d. hebr. Propheten Tom. I, p. 71.) Hoseam a morte Ierobeami II. usque ad expeditionem Tiglath-Pileseris prophetias edidisse contendit, quod spatium 43 annorum est.

ravit, et quoniam ipse Ierobeam idololatriae deditus erat, triumphos eius et felicia, quibus eo regnante fruebatur, tempora (cf. c. 2, 7 al.) insigni deastrorum favori se debere opinatus est.

Ierobeamo, qui fasces tam depravati generis valida manu tenuerat, defuncto, statim Israelitarum res prolapsae vatisque patria bello vexata civili, cujus singula momenta nos fugiunt. Hoc unum scimus, anno duodecimo [2]) post patris obitum ultimam familiae Iehu progeniem Sachariam eo pervenisse, ut ab omnibus

2) Magna difficultas inest in constituendo tempore 2 Reg. 15, 1. ubi legitur *anno 27 Ierobeami Asarias Amaziae filius regnum Iudaeae suscepisse, annum tum degens* 16. Viri illustrr. Eichhorn et Rosenmüller ad eam non attendisse videntur. Ille de 12, hic de 11 annorum interregno verba facit; difficultatem ambo tacent. Illustriss. Kuinoel in tabula synchronistica libro suo (Vaticinia Hoseae Lips. 1792) pag. XXII. annexa pariter atque in praemissa historia temporum illo loco commotus interregnum 23 annos duravisse contendit; verum in commentario ad Hos. 1, 1. recessit et de interregno undecim tantum annorum locutus est. Fertur nempe 2 Reg. 14, 23. Ierobeam imperium obtinuisse anno Amaziae decimo quinto, v. 17 autem Amazias Ierobeamo adhuc regnante vixisse 15 annos. Ut hi 15 cum illis 27 annis conciliarentur, nonnulli in Iudaico quoque regno interregnum undecim annorum fuisse statuerunt. Ita utique latius promoveretur ordo tumultuum in regno Israelitico et vaticiniorum Hoseae nostri. Prodiret inde interregnum 23 annorum, et a morte Ierobeami usque ad occupatum per Hoseam regem imperium numerandi forent 64 anni, ubi e vulgari ratiocinandi modo 53 tantum efficiuntur. Quam intolerabilem temporum perturbationem Petavius notavit in Rationario

tribubus Israeliticis rex agnosceretur: renitentibus quidem primatibus, quorum quidam nomine Sallum sexto mense post regni initium detestabili protervia eum in concione publica trucidavit 2 Reg. 15, 10. At ipse Sallum lucro tanti sceleris non gavisus est. Exstitit Menahem Gadi filius caedis vindex, a quo expugnata urbe Samaria interiit Sallum post unius mensis imperium.

---

temporum Part. 2, p. 92. ita difficultatem removens: „Ierobeami II. duplex fuisse initium coniicimus. „Primum a patre Ioaso in communionem adscitus „est regni anno circiter illius sexto, qui fuit Amasiae „quartus. Ita undecim annis cum Ioaso patre re„gnavit Ierobeam: eoque mortuo et Amasiae quinto„decimo novum imperii primordium habuit, a quo „41 eius anni proficiscuntur. Porro Amasias, qui „29 annos regnavit, obiit anno 15 Ierobeami a po„steriori initio, qui 26 a priori numerabatur. Hinc „Azarias anno 27 Ierobeami regnasse legitur.“ Quem plures Viri Docti secuti sunt, v. c. Michaelis ad 2 Reg. 14, 23. Alius exstat modus difficultatem tollendi, qui quidem mihi probabilior videtur. Quod si Asarias anno 27. Ierobeami habuit 16 annos, tempore, quo pater occisus fuit, 5 tantum habere potuit: diserte enim pater 15 annos regnante Ierobeamo vixisse narratur. Donec pervenit ad eam aetatem, qua solus et pleno iure imperio praeesse permissum erat, 11 annos sub tutela fuit. Qui impubertatis anni ad posteriores relati ita computantur, ut non a decimo sexto, sed a quinto aetatis anno 52 annos regnavisse putandus sit. Decimo igitur quinto anni Ierobeami sub tutela procerum regnare coepit, vicesimo autem septimo sui iuris in imperio factus est. Tali inito pacto revera interregnum 11 annorum in civitate Israelitica habemus. Omnes temporum descriptiones in libris regum demonstrant auctores in iis designandis non satis fuisse accuratos.

Menahem tumultus quidem composuisse videtur, verum neque populi amorem benefaciendo sibi conciliavit, neque virtutis et sapientiae existimationem sibi paravit. Crudelis eius animi testes fuerunt incolae oppidi Tiphsa, Sallumi partibus fidem servantes, quos omnes sine discrimine sexus et aetatis occidi, urbem destrui et confinia eius devastari iussit. Eo regnante primo Assyrii hostili manu terram Israeliticam intraverunt, a Tiphsahitis ut videtur obsidione pressis invitati. Quibus resistere non potuit nisi solutis אֶלֶף כִּכַּר־־כָּסֶף. Hoc ingens argenti pondus a populo, ut Phuli Assyriorum regis amicitiam emeret, durissimo modo exegit, immo extorsit; quod quo lubentius cives paterentur, eorum nefariae idololatriae indulsit 2 Reg. 15, 18. eosque omni gentilium impietate praeivit. Cuius effoeminati regis imperium per decennium protractum est.

Menahemum mortuum secutus est filius Pekahiah, fortasse imbecillior patre, quippe qui altero imperii anno coniurationem contra se factam tanta securitate sopitus succrescere passus sit, ut inopinatus in ipso palatio suo Samaritano posset opprimi.

Dux coniurationis Pekah regem se creavit, vir strenuus et fortis, qui quidem bellis perverso et impio modo susceptis vires nervosque populi magis magisque exhausit. Foedus perniciosissimum cum Rezino rege Syriae contra Iudaeos iniit, vinculum prorsus solvens, quod utramque gentem stirpe, dialecto, cultu et legis sanctitate coniunctam omnibus barbaris inviolabilem et invictam praestare debebat. Regi Iudaeorum Ahaso multas magnasque clades intulit, donec Ahas

obsidione urbis Hierosolymae pressus et ad incitas paene redactus, propheta quidem Iesaia dehortante, auxilium Assyriorum imploravit. Tunc iterum Assyrii duce rege Tiglath-Pilesere fines Israelitarum transgressi, Damascum occuparunt, maximam partem superioris Canaanis, regionum potissimum Trans-Iordanensium vastarunt, eiusque cives secum captivos abduxerunt. Pekah his eventibus suis exosus, quarto Ahasi anno interfectus est [3]).

At parricida Hoseas post 16 demum annos auxilio Assyriorum adiutus (vid. infra §. IV, ad cap. 11.) ad tranquillam et firmatam imperii possesionem pervenire poterat [4]). Quo regnante funestus et diu praeparatus regni Israelitici interitus evenit. Rex illud fortasse inevitabile fatum perfidia acceleravit, qua vindictam Salmanasseris regis Assyriorum a se repetendam excitaverat. Postquam enim huic tributum annuum solvere pro-

---

3) 2 Reg. 15, 30. iterum obscura est chronologia. Pekah ibi usque ad 20 annum Iothami regis Iudaeorum regnasse dicitur. At Iotham iam anno decimo sexto diem supremum obierat v. 33. Unde intelligitur verba ita esse explananda, ut Pekah 20 annos ab initio Iothami regnaverit.

4) Est tertia difficultas in recensendis annis imperii regis Hoseae. 2 Reg. 15, 30 legitur regnum eius initium cepisse anno Iothami vigesimo i. e. Ahasi quarto, sed 2 Reg. 17, 1. eum regem factum esse anno Ahasi duodecimo. Quae ita concilianda sunt, ut statuamus iterum octo annorum spatium tumultibus et bellis civilibus contaminatum fuisse, quae quidem Hoseas ope Salmanasseris regis Assyriorum ita composuerit, ut tandem rex constitutus se potenti suo amico tributarium reddiderit.

miserat, clam auxilium Aegyptiorum quaesivit. Qua re audita Salmanasser periurium bello ulcisci decrevit. Itaque ingressus exercitu regnum Israeliticum in deditionem accepit, capite autem eius Samaria consumtis in ea oppugnanda tribus annis vi potitus, regem cum universa gente decem tribuum in exilium abduxit. Quo facto Samariam et universam terram Israeliticam barbaris incolendam dedit. Annus erat a nece Pekahi decimus septimus, nonus ab initio regni Hoseae, Hiskiae autem filii Ahasi, regis Iudaeorum sextus, quo fata imperii Israelitici impleta sunt.

Inter tot tantasque calamitates patriae propheta noster oracula sua edidit. Licet monumenta historica admodum manca sint et magnam divinandi materiam nobis relinquant, tamen historia omnium similium turbarum, quas expertae sunt gentes, satis nobis exemplorum perhibet, ex quorum ratione ea supplere possimus, quae ad intelligendum auctorem in historia Israelitica ipsa desiderantur. Quid mirum in tot interregnis, in tot coniurationibus, in tot sanguinolentis caedibus, in tot denique crudelissimis stragibus mores civium penitus depravatos esse cap. 4, 1. 4. 13. 18. 6, 9. 10. 7, 1. 16. 9, 1. 2. 15. 10, 13. 12, 9., ius fasque funditus sublatum fuisse cap. 4, 2. 8. 6, 8. 9, 9. 10, 4. 12, 1., quemlibet protervum et callidum ducem animos inflammatos ad scelera sua commovisse cap. 5, 1. 7, 4. 6., omnes probos et bene de republica sentientes contemtu et odio vexatos esse cap. 5, 4. 7, 15. 11, 2. 13, 15. gentemque deceptam cap. 7, 11. insidiis illorum falsorum prophetarum et sacerdotum succubuisse cap. 4, 4. 14. 9, 7. 8., qui inania idolorum auxilia promittentes cap. 2, 7. 10, 5. 15. suum modo lu-

crum e perverso Dei cultu et e nationis depravatione quaerebant.

Dum regnum 10 tribuum ad interitum proruebat, aliquanto feliciore sorte reliquae 2 tribus, Iudae et Beniaminis, fruebantur, quibus reges e familia Davidis praeerant, quamvis pristina virtus et pietas iam inde a temporibus Salomonis nimia indulgentia regum erga mores exterorum fuerit hebetior facta. Etenim nonnulli quidem regum illorum melioris indolis bene de civibus meruerant: verum tempore nostri res eo erant adductae ut dulcis et luxuriosa superstitio vicini imperii Israelitici Iudaeorum mores magis magisque contaminaret. Una autem cum Ierobeamo regnavit adhuc 14 annos Asaria, qui in libris Chronicorum Usia vocatur: rex quidem prudens et fortis, aeque bellorum gerendorum atque gubernandae reipublicae peritus, qui consilio usus est Sachariae viri divinis monitis attendentis 2 Chron. 26, 5., et quamdiu hunc sibi ducem esse passus ipse Dei legibus obtemperavit, res bene gessit. Vicit enim Philistaeos, Arabes, Ammonitas; patriam et munitionibus et instructo exercitu defendit, urbes auxit et locupletavit, culturam agrorum studiosissime sustentavit. Verum Sacharia mortuo, postquam vires auxerat, sibi ipsi nimis fidere coepit, superstitionem et idololatriam civium suorum neglexit, instituta templi Iudaeis sanctissima illusit, superbia elatus ipse rebus sacris praeesse constituit. Verum cum protervam prodidisset voluntatem subornandi sub praetextu pietatis religionem patriam sibi suisque violentibus consiliis tamquam ministram, lepra tactus supplicium dedit. Quod foetidum morbi genus cum lue sua infectum hominum societate excluderet, pontificibus regem

ipsorum auctoritati perniciosissimum imperio summovendi sceptrumque filio eius Iothamo tradendi occasionem suppeditavit. Annos 52 imperio functus vidit Samariae regnantes Ierobeamum II, Sachariam, Sallumum, Menahemum, Pekahiam et Pekahum.

Patri similis fuit Iotham et sagacitate imperandi et fortitudine bellandi. Idem barbaros coercuit sibique tributarios fecit multaque praeclare in republica gessit. Verum pari ut pater circa cultum divinum levitate versatus est. Ipse quidem legis praecepta servans, civibus indulsit cum idolis sacra facere tum moribus esse iusto libidinosioribus et protervioribus. Post 16 annos regnante Pekaho rege Israelitico decessit.

Ahas patrem secutus modum et prudentiam patris et avi servare recusavit. Non enim solum civium superstitionem tulit, sed eius particeps factus est. Adeo insanus fuit ut maxime nefariam cultus Baalitici partem, immolationem infantium, ipse suo exemplo probaret 2 Chron. 28, 4. Propterea imperium eius civibus funestissimum fuit. A rege Israelitarum Pekaho socio regis Syriae Rezini vexatus, monitis prophetae Iesaiae non obediens ad regem Assyriae Tiglath-Pileserem misit qui eius auxilium implorarent: a quo quidem adiutus verum auro et argento spoliatus, ipsi adeo tributarius factus est; qua molestia laborandum adhuc fuit filio et successori Hiskiae 2 Reg. 18, 7. Vixit usque ad tertium annum Hoseae, ultimi regis Samariae, et sucessorem habuit eximia pietate et virtute res Iudaeorum restituentem.

Quae rerum descriptio intelligendis iis locis quae in Iudaeos valent cap. 1, 7. 4, 15. 5, 5. 10

— 12. 6, 11. 10, 11. 12, 1. 3. sufficiat. Historiae convenientissimum videtur, ubi sub initium poematis civitas Iudaeorum cum laudis significatione commemoratur, ubi vates postea magis magisque vituperando in eos invehitur, donec in postrema vaticiniorum parte eos eo pervenisse pingit, ut continuo cum Iehova litigarent: וִיהוּדָה (רָד) רָב עִם־אֵל נֶאֱמָן.

II.

De ingenio et indole vaticiniorum Hoseae.

Opus nostrum dictione et argumento in poematibus antiquissimi aevi, maxime Hebraeorum, locum honorificentissimum occupat. Qui in effatis eius mysterium tantumodo futurorum temporum quaerit, vatem aeque non intelligit atque is, qui nexum orationum eius dilacerat, eumque sententiosas tantum et aenigmaticas nec ullo vinculo coniunctas enunciationes sparsisse censet. Ita de eo illustr. Eichhorn (Einleitg in d. A. T. B. 4. §. 555): „die Reden sind mehr strafend „und ermahnend als prophetisch, doch kann man „sie wegen des Vorgefühls der bessern Zeiten „nach den ausgestandenen Strafen, womit der „Prophet an verschiedenen Stellen endet, auch „prophetisch nennen.“ Quamquam autem omnes laborant difficultatibus antiquissimae linguae nobisque ignotae historiae, ita ut multae nos deliciae effugiant, quae in aliis antiquis poetis facilius sentiuntur, tamen ingenuae et liberae vatis contemplationi plurima relicta sunt, quae elegantiam et venustatem poematis nostri testificentur. Quae

ut percipiamus, ante omnia opus est, ut e collatione dictorum in varia capita sparsorum inter se, et cum aliis V. T. locis huc pertinentibus aliquid certi eruamus, ut mente ac cogitatione ad illa tempora vetustissima ascendamus, quorum mores simplices a nostris maxime diversos fuisse ex aliis profanis scriptoribus satis notum est, ut coelo et indoli hominis in illis uberrimis Orientis regionibus degentis sua demus, ut denique in textu ipso spuria et dubia a genuinis nullique omnino dubio obnoxiis seiungamus.

Signa peculiaria et quasi characteristica poematis nostri sunt suavis ardor orationis, clementia et benevolentia animi ubique elucens, ubertas imaginum, levis et fere idyllica forma, praecisa denique sententiosaque dictio. Est aliud genus orationis quod in Iesaia, aliud quod in Ioele et Amoso, aliud quod in aliis prophetis habemus. Verum ut ille et gravitate et severitate ingenii et vi energica, hi arte grandia excelsaque in animo lectoris producendi eaque multivariis splendidisque coloribus pingendi eminent, ita noster suis ornamentis mentem lectoris haud minori dulcedine sibi devincit.

Atque *ardor orationis* non tam in graviter vituperandis flagitiis inque minandis eorum poenis, sed in eo versatur, quod aeque fertur ira sanctissima in scelera atque amore in perversissimos patriae cives. Commotio animi semper fluctuat inter utriusque significationem vatesque propterea per sententias loquitur, nonnunquam adeo obscuritatem non satis cavet, quod maxima indignationis vehementia non minori amoris impetu frangitur. Ex eadem causa indignatio eius neque in indecentes obiurgationes, neque in opinio-

sas exaggerationes abit. Commemorat flagitia, quae vidit, describit ea gravibus sed e communi vita sumtis imaginibus, poenas minatur et e re ipsa et e vaticiniis antiquis in vulgus notis haustas, eodem studio suos vituperans eosque ad morum emendationem provocans. Semel modo cap. 9, 14. in extremum indignationis fervorem abripitur, ut Deum populum punire obsecretur. At in tanta ira diu commorari nequit, eique finem imponit loco communi: *contemnit Deus non attendentes eius monitis.* Omnino pectus est, quod eum disertum facit, non impetus affectuum. Ex quo fit, ut praecipuum orationis momentum semper repetat, nil antiquius, nil satius habens quam patriae sortem deplorare. Huc pertinent interrogationes in Dei sermonibus dubium animum significantes 4, 14. 6, 4. 11, 8., varii modi exhortationis, Iehovam ante omnia esse cognoscendum 2, 22. 5, 4. 6, 3. 6. 8, 2. 13, 4. 14, 4., monitum idololatriam causam esse omnis miseriae 2, 15. 4, 16. 17. 5, 2. 8, 4. 7. 9, 15. 10, 15. 13, 9., increpatio foederis cum barbaris nationibus 5, 13. 7, 8. 11. 8, 9. 10. 10, 4. 12, 2., declaratio totum Israelem penitus esse depravatum cap. 4, 1. 2. 4. 5, 1. 6, 10. 12, 1. eaque modo loquendi irridente significata, quo dolorem animi de eo quod immutari nequeat gravius exhibet 4, 17 — 19. 10, 5.

Inter haec omnia *clementia* et *benevolentia animi* elucet, nostrumque in vatem excitat amorem. Cum enim patria eius ita corrupta esset perversitate incolarum, ut proni essent ad omnia scelera, ut omnem a Deo sibi paratam salutem consulto repudiarent, utque damnum domus Israelis irreparabile videretur, vates iis praesto fuit,

non modo consilia daturus eosque admoniturus, verum etiam spem meliorum temporum iis propositurus. Quam bene autem erga eos animatus fuerit, id non dulci verborum copia significavit, sed clarius etiam dolore, quo ipse sentire visus erat morbum Ephraimi et vulnus Iudae, cum ipsi nondum iis attenderent. Descriptiones eius miserrimum suorum statum pingentes nec criminationes sunt nec merae increpationes, sed iudicia e factis eorum ipsis eruta. *Idololatria in os eos criminatur* 5, 5. 7. 10. *Impetus pravarum libidinum eos prehendet* 4, 19. *Ipsi vinculum amoris cum Deo solverunt* 2, 4. 5, 7. *Non sursum redeunt, ideo cadent* 7, 16. *Similes sunt columbae pellectae cui mens deficit, ergo capientur* 7, 11. *Impietatem colunt, ergo fallacibus fructibus vescentur* 10, 13. *Barbaris se conmiscent, ergo ab iis devorabuntur* 7, 8. 9. *Ipsi sibi daturi sunt perniciem in quam irruant* 9, 14. *Sanguis, quo contaminati sunt, iis inhaeret* 12, 15. Ex quo fit, ut semper redeat ad fontes miseriae eorum, nimirum ad perversissimam idololatriam, ad foedera cum barbaris icta, ad libidinosum animum, qui tantum commodis abundare cupiat, ad defectum cognitionis Dei, ad insanam separationem tribuum Iacobiticarum: non ita quidem ut eorum animos confringat, ut olim factum erat per prophetas, cap. 6, 5., sed ut eos tangat dulcissima commemoratione pristinae divinae benevolentiae 11, 1 — 5. 12, 10. 14. 13. 13, 4 — 6. 10. 14., curae Iehovae in posterum iis benefaciendi 2, 16 — 25., scelera iis condonandi 11, 8. 9., hostes eorum terrore percutiendi 10, 11., securitatem patriae iis concedendi 11., gloriam patriae restituendi, ut firma sit quasi

Libanon cap. 14, 6. et latissime effusa ut oliva. v. 7. Quin ipse sibi persuasum habet, fore, ut populares miseriis convicti et emendati ad Iehovam suum et ad veram salutem redeant, utque tandem digniores fiant meliore sorte a Deo ipsis tribuenda 3, 5. 5, 15. 6, 1 — 3. 10, 12. 14, 2 — 9. Tota denique symbolica narratio fatorum suorum domesticorum cap. 1 — 3. eiusdem animi signa exhibet. Nam quocunque tandem modo eam interpretemur, primarium in quo descriptio et comparatio versatur est benevolentia. Amore se pingit pessimae mulieri iunctum, amore Deum erga ingratum populum agentem. Ita legendo et relegendo vate nostro non potui quin eum huius amoris, qui non e corde molli et lacrymoso ut lamentationes Threnorum nonnullorumque Psalmorum, sed e virili et forti pectore fluxit, prae ceteris vatibus V. T. nota insignirem.

Ubertas imaginum iam a V. D. Eichhornio in introd. in V. T. B. 4. §. 555. iusta et vere poetica laude celebrata est, ut pauca tantum iis addenda habuerim. Omnes quidem poetae V. T. imagines amant, noster autem vates peculiari et ab omnibus diversissima ratione. Neque enim iis utitur allegorico modo ut quasi filum habeat et materiem, quibus animi cogitationes captui lectorum significet easque varie tractet, quemadmodum Ezechiel, Amos, Sacharias; neque corollarii modo, ad grandia memoratuque digna effata earum fulgure et splendore magis illustranda, ut saepius in Iesaia; neque tantum ubi occasio fert, ut vestitum poeticum adhibeat. Nostro poemati imagines ita innexae sunt, ut partem integram orationis efficiant. Earum ornamento vates omnes cogitationes et enunciationes circumdat, animi

autem sui sensus non illustrat, nonnunquam adeo intellectu difficiliores reddere videtur. Quorum quidem gravitatem certius assequi non possumus, quam ita, ut semper artem spectemus, qua elegantissime imaginum suarum significationem non exponit (nam ardor animi ampliorem enarrationem non patitur), sed lectoribus ex toto orationis nexu inveniendam relinquit. v. c. 4, 19. 8, 6. 7. 11, 9 — 11. 12, 13. 14. Vatem nunquam comparationes effugiunt, altera enim ab altera quasi protruditur, altera alteri occasionem praebet, 10, 11 — 12. 13, 12. 13. 9, 10 — 16. Nec altius repetitae sunt illae imagines, neque opiniosa figmenta, verum omnes e communi vita et ex historia gentis desumtae, tum subtilissimae et elegantissimae, 2, 18. 23. 24. 9, 4. 10. 10, 10. 11. 11, 1. 2. 4. 14, 6., tum severiores et asperiores 2, 5. 14. 4, 16. 5, 12. 14. 15. 7, 4 — 7. 10, 9. 13, 3. Modo tangit lineam imagine, 4, 10. 5, 1. 10. 6, 4. 11. 7, 8. 11. 14. 16. etc., modo copiosius eam exornat; 2, 7 — 12. 18 — 23. 4, 16. 6, 1. 2. 8, 7. 9, 9. 10, 9. 10. 12, 8. 13, 15. 14, 6 — 8 etc.; at omnes istae imagines altiorem sensum involvunt quam copiosissimae descriptiones. Nonnunquam quidem luxuries imaginationis poetam ita abripit, ut in tenenda translatione arti criticae non probetur, v. c. cap. 7., ubi qui v. 4. massa fermentata in clibano coquenda erant, v. 7. clibano ipsi similes fiunt; cap. 5, 12 — 14. ubi Deus vocatur tinea et putredo, mox autem leo ferox, discerpens et abducens praedam in habitaculum; cap. 13, 13. ubi natio Israelitica comparatur puerperae dolores partus sentienti, mox autem infans fit, qui tempus maturitatis exspectare nequit; cap. 14, 6 — 9. ubi Israelitae restituti ceu lilium

pullulabunt, tantas radices acturi ut denique fiant arbor latissima et suavissima, fructus autem sumturi ex alia arbore, quae Deus sit, eaque abiete, quae fructus non fert. Verum probe observandum est: 1) versari nos inter poetas Orientis, de quorum ingenii aestu ad regulas nostrorum Orientalium iudicare minime fas sit, et in temporibus antiquissimis, ubi forma poeseos nondum artis legibus coercita et emendata fuerit; 2) vatem nostrum rem comparatam magis curae habuisse, quam comparationem ipsam; 3) talia exempla suo in nexu cum reliqua orationis serie plane alium colorem induere, quam in nuda recensione, ubi e textu evulsa narrentur; 4) multos locos errore librariorum et eorum, qui accentus addiderunt vitiatos esse, ubi leni emendatione imaginis elegantia restitui possit, id quod imprimis de illis cap. 7, 4. et 8, 7. valere mihi videtur; 5) in vate nostro ubertatem imaginationis, ita largam fuisse, ut allegoricae descriptiones ei displicuerint. Pingit planam sententiam imaginibus, sed totus modus eas adhibendi ita comparatus est, ut diu in uno tropo persistere prorsus non potuisse videatur. Quandoque imagines eius allegoriam attingunt, simplex eius venustas aufugit, ipse vel e metaphora excidit vel obscurus fit. Quae potissimum de metaphora massae clibanique 7, 4. 7., arborum cap. 14. et de ea cap. 4, 1 — 6. valent. Magis vati placuisse videtur, rebus simplicibus et eventibus in vulgus notis arcanum sensum subiicere typumque rerum futurarum in nudis illorum eventuum formis et modis invenire, quod quidem etiam genus imaginum est. Qui rerum gestarum usus symbolicus vocatur, et imprimis in tribus eius prophetiarum partibus locum habere videtur: cap. 1 — 3.,

cap. 5, 10 — 15. et cap. 12. Verum et in his typicis expositionibus a perspicuitate et facili orationis amoenitate recedit, maxime capite duodecimo.

Formam poeseos *levem et fere idyllicam* 5) dixi. Neque enim visiones fingit, neque solennibus descriptionibus res celebrat et ex ingenio et ex historia depromtas, neque exsultante fervore in inusitatos sentiendi et scribendi modos abripitur, neque vi didactica mores castigat, neque spem feliciorum temporum epico poemate proponit. Plurima pars sermonum eius tabulae pictae similes sunt gratis figuris et suavibus coloribus decoratae. Omnes imagines, omnes descriptiones morum et temporum, omnes exhortationes e communi vita desumtae a lectoribus et auditoribus facile comprehendi possunt. Dum autem intellectu facillimis formis animos suorum

5) „Graecorum carmina nonnulla generali titulo εἴδη „inscripta fuisse accepimus, qui nihil aliud denotat, „nisi quasdam poematum species s. diversa quaedam „carmina, absque aliqua vel formae vel argumenti „certa designatione. Quodsi quae aut levioris mo- „menti aut styli submissioris aut generis quomodo- „cunque inferioris esse viderentur, nec item ab una „materia inscribi possent, ea diminutivo vocabulo „εἰδύλλια appellabant, qualia Latini *eclogas* malebant „vocare, quasi poemata quaedam habito e pluribus „delectu edita. Quamquam autem sit εἰδύλλιον no- „men vagum et commune, usu tamen et consuetu- „dine suum quemque et proprium charactera obti- „nuisse videtur et fortasse ita describi potest, ut sit „poema modicae magnitudinis, styli medii ad suavi- „tatem et elegantiam potissimum comparati, dispo- „sitionis facilis, rectae, apparentis.“ Lowth de sacra poesi Hebr. edit. Lips. 1815. pag. 326.

commovet, non ei opus est latiore expositione. Impetu studii et amoris ab altero orationis argumento ad alterum fertur, non metuens ne auditores grandi verborum pondere obtusi, orationis gravitatem non capturi sint. Quodsi fata suorum temporum commemorat, neque historice ea illustrat, neque poetice exponit. Sufficit eorum mentionem fecisse quasi quae omnibus nota sint. In eo tantum subsistit, quod unicuique civium pariter atque ipsi curae cordique est. Licet autem eae res sint gravissimae, ita tamen eas tractat, ut gravitas neminem terreat, verum omnium animos commoveat. Ubi v. c. de scelestissima superstitione liberorum immolandorum agit 9, 10 — 17., gratissima expositione et rei obscoenitatem temperat, et turpitudinem designat. Ubi instans periculum ex insana idololatria ortum comminatur cap. 10, eodem modo severissimis sermonibus leniora et mitiora verba immiscet, v. 7. 8. 11. 12. cf. cap. 2. 11. 13. et 14. Quodsi de Iehova loquitur, eum pingit amoris benevolentiaeque plenum, applicantem se animis hominum, ut eius infinitam benevolentiam sentiant: cap. 2, 16 — 25. 6, 1 — 3. 12, 5. 6. 14. Ubi vero eius maiestatem describit, imaginibus utitur e natura desumtis: cap. 5, 12 — 14. 11, 9 — 11. 13, 7. 8. Idem in recitandis poenis, quae refractarium populum manebant, ita agit, ut vel defectum bonorum iis iucundissimorum ante oculos ponat cap. 2, 11 — 14. 3, 4. 4, 16. 8, 13. 14. 9, 1 — 6. 11. 12. 10, 6 — 8., vel defectum favoris divini variis iisque e populari vita petitis descriptionibus animo infigat cap. 1, 2. 9. 4, 6. 10. 5, 6. 7. 12. 7, 10 — 13. 8, 5 — 10. 11, 6 — 8. 13, 9. Pari modo descendit ad captum diversissimi ge-

neris hominum et in vituperanda scelerum magnitudine, 3, 1. 4, 11 — 14. 6, 4. 7, 3 — 7. 9, 1. 9. 10, 1 — 5. 9. 11, 2 — 7. 12, 8 — 13. 13, 13., et in exhortando populo 3, 1 — 4. 6, 1 — 3. 10, 12. 11, 9. 10. 12, 4 — 7. 14, 1. 2., et in promittendis felicioribus temporibus, 2, 1. 2. 3, 5. 11, 9 — 11. 12, 10. 14, 5 — 9. Habemus igitur in Hosea nostro fasciculum poematum ex intimo animi affectu depromtorum et levi manu designatorum. Sed praestantissimum eorum ornamentum est simplicitas. In omnibus brevis est. Quoniam enim quasi per aures et oculos animis suorum sensum veri et recti, pudorem scelerum, necessitatem sapienter et probe agendi infundere studet, veritatem effatorum intelligendi copiam lectoribus relinquit. Talis pingendi modus, ut in Homero, ita in omnibus poetis nos oblectat, qui eodem mentis candore, eadem pietate, eodem amore, eadem denique elegantia dignitateque orationis carmina composuerunt, quemadmodum nostrum habemus exemplum. Huic quidem sententiae de simplici et levi forma vatis nostri non repugnare videtur, quod ab omnibus interpretibus difficillimis et obscurissimis libris V. T. adnumeratus est. Difficultas enim non formae et ingenio poematis inest, sed et rebus quas tractat, et linguae qua utitur antiquissimae in primis culturae rudimentis versanti, et textui depravato. Vid. p. 19. Vates lectores et auditores brevi et sollerti negotio in medias res ducit. At illae res nobis saepius aeque ignotae sunt atque verborum vis et constructio. Accedit, quod plures operis loci et longo temporum intervallo, quo procul dubio occulti iacuerunt, et tractatione librariorum et culpa primorum interpretum maxime Alexan-

drinorum corrupti et depravati sunt. Unde Lowth de sacra poesi Hebraeorum p. 244. 45. acute disserit: „Hoseae stylus vetustatem redolet, acer, „acutus, concisus, eminenti quadam poeticae com„positionis nota signatus, pristinam nimirum ge„neris sententiosi brevitatem et compressionem re„tinens, a qua vates aetate inferiores aliquid remi„serunt. Verum hoc ipsum, quod in principio „suam procul dubio vim habuit et peculiarem „elegantiam, tanta iam in historiae Hebraicae rui„nis obscuritas consecuta est, ut quamquam huius „vatis universum argumentum sit satis apertum, „tamen aliusquisquam haud aeque sit difficilis et „involutus. Est etiam aliud in causa, cur eius „stylus adeo iam videatur impeditus. Vaticinatus „est per longissimum annorum spatium: modicum „habemus volumen, vaticinationes eius ut videtur „praecipuas continens, easque inter se sine ullis „temporis notis et argumenti distinctione conne„xas, ita minime mirum est, si Hoseam perlegen„tes in sparsa quaedam Sibyllae folia incidamus."

Hinc facile efficitur, quid de illo iudicio, *dictionem vatis esse sententiosam*, deque saepius repetito illo Hieronymi edicto: „fuisse eum com„maticum et quasi per sententias loquentem," statuendum sit. Utique sententiosus fuit, siquidem forma poeseos, qua vates noster oracula sua edidit, omnino insulsa esset, et merus verborum tinnitus, si brevitas eius vi sententiarum destituta esset. Verum neque ita abrupte locutus est, ac si meditationes sine ordine et nexu calamo essent elapsae, neque locos commmunes conseruit, neque inventa strenuae cogitationis edere voluit, quemadmodum γνῶμαι, et dicteria aliorum veterum sapientum. Sententias tenero et subtili vin-

culo iunxit, parenthesibus quidem interiectis semper ad argumentum rediit. Ex quo factum est, ut fere nunquam sollertis elegantisque compositionis studium in eo desideremus. Quae sensit vates de turpitudine scelerum, de inclinatione Dei versus impium populum, de fatis suorum temporum, de spe futuri aevi, ea scripsit; et sic habemus poetam sententiosum i. e. qui sensus suos aequi et boni brevibus sed semper inter se cohaerentibus enunciationibus exhibuit. Interpretis est, intimum connexum horum animi sensuum inter se, eorumque translationem et ad historiam illius temporis et ad historiam effataque legis Mosaicae investigare atque illustrare. Quo pacto non solum nubes illae orationis diu in vituperium vocatae evanescent sed et poematis venustas in honorem poetae iucundior elucescet. Cuius rei periculum nos certe fecisse ingenue profitemur.

III.

De argumento vaticiniorum Hoseae.

Omnes vere prophetae V. T. unum idemque vaticiniorum et scriptorum habent argumentum: videlicet ut castigent aberrationem a Deo ex idololatria, perniciosis consiliis et pravis moribus conspicuam, ut poenas minentur ex hoc discessu de Deo oriundas, ut spem melioris aevi annectant tum, cum Abrahami proles ad meliorem frugem rediisset.

Vates noster eandem occasionem vaticinia sua edendi habuit. Conditionem publicam et privatam totius gentis maxima vituperatione dig-

nam conspexit, eamque castigationibus notavit. Poenas iam imminere sensit, immo initium earum vidit easque pinxit. Meliora tempora speravit eaque promisit.

Vitia imperii civiumque conspiciebantur 1) in pernicioso commercio cum barbaris inito, 2) in petito inde cultu idolorum, 3) in nefaria separatione tribuum Iacobiticarum, 4) in depravatione morum, 5) in simulata fucataque pietate.

Moses et priores rerum Israeliticarum moderatores, omni modo in eo elaborantes ut nimia suorum proclivitas a cultu severo et pio unius Iehovae in idololatriam aliarum gentium, quam imprimis inter Aegyptios amare coeperant, abeundi animis eorum evelleretur, nulla re facilius consilii sui compotes fieri se posse opinabantur, quam separatione eorum ab omnibus populis barbaris. Hinc solitaria eorum peregrinatio per Arabicum desertum, cuius ope ita tractandi erant, ut natio fierent, quae viribus suis et auxilio Dei fisa amicitia aliarum gentium non solum supersedere, sed eas etiam sibi subiectas reddere posset, utque paullatim ab usu et sollertia societatem eorum quaerendi desuefierent. Hinc leges, quae peculiarem aliquam indolem populi a Deo ipso electi eiusque patrocinio muniti civibus iniicerent. Hinc iussa Mosis omnem cum iis consuetudinem vitandi Deut. 7, 2. 3. Hinc ipsae Iehovae nomine prolatae exhortationes, ut sanguinem hostium in bellis iis inferendis absque misericordia, sexusque et aetatis discrimine profunderent Deut. 20, 16 — 18. 7, 22 — 24. Hinc crudeles caedes, quibus pristini incolae Canaanis funditus exstirpabantur Ios. 10, 28 — 40. Quibus horrende factis et Israelitarum animi exterorum odio magis

magisque confirmarentur, et exterae nationes ipsae eodem odio in perpetuum ab iis removerentur. Eorum demagogi Mosaicis institutionibus ita initiati erant, ut poenis divinis eos afficerent, qui aliquantulum ab illa duritia et crudelitate lege sancita remitterent. Itaque Saulus cecidit, postquam aliquantum misericordiae erga Amalekitas eorumque regem Agagum prodidit. 1 Sam. 15. Quod odium ex mente Mosis quasi aheneus murus erat, quem barbarorum impietas transilire nequiret. Vanum consilium! Male enim sibi et patriae consulit fulcimina salutis virtuti et naturae hominum contraria substituens. Iacobi posteri iam in deserto Midianitis et Moabitis, saepius sub Iudicibus antiquis Canaanitis se adjungebant. Davides fundamenta quibus omnis institutio patria niteretur bene perspexit eaque animo probavit. Prout autem ipso regnante vires et divitiae augebantur, ita populus pristinam feritatem exuebat, navigatio et mercatura exercebatur, artes et industria patriam intrabant, ita quidem, ut illud ab auctoribus reipublicae tantopere impeditum commercium intermitti amplius non posset. Salomonis imperium hanc novam historiae Israeliticae periodum inchoavit. Ipse opifices ex variis terris vicinis ad templum aedificandum invitavit, foedera cum regibus barbaris icit, cum aliis adeo amicitiam iniit, filiam regis Aegypti in matrimonium duxit, naves ad littora remota misit, mulieres e lectissimis variarum nationum sibi adscivit. Res in peius etiam versae sunt, postquam vires populo perpetuis irruptionibus inimicorum resistendi defuerunt, maxime postquam tribus Israeliticae ipsae internis contentionibus semet ipsas consumere coeperunt. Tunc adeo in auxilium belli reges

barbari, inter quos Syri, post Assyrii, emto eorum favore magno auri et argenti pondere vocati sunt 1 Reg. 15, 18. 19. 2 Chron. 16, 2—4. 1 Reg. 20, 34. 2 Reg. 15, 19. Vidit vates noster patriam his legi repugnantibus amicitiis maculatam, easque in causis perniciei et depravationis esse probe sensit. Tali autem pacto gens Deo dicata barbaris se oppigneraverat, fiduciam in Deum minoris momenti habebat, quam copiam auxiliorum, ope eorum freta patriam sanguine civium inundabat, cum amicitia barbarorum perversos eorum mores excipiebat, poenasque Dei ob violatum eius iussum in dies magis magisque contrahebat. Itaque aeque vana atque impia describit propheta suorum consilia, quod confugiant ad regem Iareb cap. 5, 13., quod gentilibus se commisceant 7, 8., quod Aegyptios vocent et in Assyriam abeant 7, 11., quod conducant mercede amorem Assyriorum et Aegyptiorum 8, 8. 9. 12, 2., quod vicinae Tyri flagitia adoptaverint 9, 13.

E nefario enim cum barbaris commercio *idololatria* orta erat. Moses veri Dei cognitionem, cui a superstitione barbarorum vindicandae iam Abrahamus piam operam navaverat, cuius etiam quasi hereditariam possessionem familiae suae reliquerat, obumbratam et erroribus Aegyptiorum contaminatam deprehenderat. Rudi et sensuum vi agitato populo cultus ille, ubi imaginem Dei oculis intueri et ipsis manibus contrectare poterat, multo acceptior erat illis sublimioribus dogmatibus de Deo inviso nulla imagine pingendo, nullo terrarum spatio includendo. Aegyptiorum quoque religio omnibus illis dogmatibus commendatis ab Abrahamo nitebatur. Ve-

rum singulae eius partes ope symbolorum, imaginum et sacratorum mysteriorum sensuum captui accommodabantur. Summum numen iis Apis erat, taurus pompa, solennibus festis et sacrificiis celebratus, cui cultui ut studiosissimi posteri Abrahae inhaerebant ita Mosi nihil antiquius fuit, quam ut eius amorem animis suorum evelleret; sed iterum iterumque populus ad eum redierat. Quamquam acerbe, adeo crudeliter Moses sacerdotesque ab eo constituti in eos saevirent qui correctionem recusarent, tamen temporis intervallum octo saeculorum reliquias illius Aegyptiacae superstitionis evertere non poterat: quin ipse Ierobeam auctor separati imperii decem tribuum cultum Apidis quasi fundamentum institutionum suarum ita restituit, ut duo vitulos aureos in urbibus Dan et Bethel poneret. Verum ista Aegyptiaca superstitio non erat errorum a populo impubere adamatorum pessimus. A Moabitis et Midianitis primi discebant multo rudiorem et insaniorem cultum Baalium originis Babylonicae, qui et animum emendandi vi et pia erga supremum numen reverentia, quod obscoenis figuris statuisque significabant, destitutus, aeque libidinibus satisfaciebat atque terrores iniiciebat. Eadem crudelitate qua in Aegyptiacum, etiam in hunc Baaliticum stuporem Moses grassatus est, verum eodem inani studio. Siquidem ipse Salomo plurimis illius idoli speciebus altaria et templa sacravit, e quibus superstitio in omnes regiones terrae sanctae manavit, eamque post Salomonis obitum divisi imperii cives amplexi sunt, prae euntibus adeo regibus, maxime famoso Ahabo iuxta delubra vitulorum in nova regia Samariae templum Baalis splendidissimum exstruente, itidemque Io-

ramo et Ahaso tribus Iudae et Beniaminis nefario exemplo ad eandem impietatem provocantibus. Utrique regno non defuerunt quidem reges melius de rebus sacris sentientes. In Israelitico enim rex Iehu studium cultus Baalitici exstirpandi prae se tulerat; verum ipse incertus Iehovae cultor non solum idololatriam Ierobeami retinuerat, sed post deletam Ahabi familiam e nimia facilitate omni gentis superstitioni pepercerat, quae regnantibus eius posteris nova incrementa cepit. In Iudaico autem Hosea vaticinante pietas iam sub Usia labefactata ab impio eius filio et magis etiam impio nepote plane eversa visa est, cap. 6, 11. 12, 1. 3. Utriusque igitur et Aegyptiacae et Asiaticae superstitionis damnum in dies crevit, omnes institutiones Mosaicas delevit, et radices patriae ipsas evertit, 9, 16. Cum enim aeque detestabiles Iehovae redderentur atque ipsa idola 9, 10., ne senserunt quidem perniciem 7, 9. eorumque ope freti 2, 7. copia altarium et magnificentia cultus gavisi sunt 10, 2. 5., Iehova felicitatis ipsorum auctore prorsus abiecto 8, 3. 14. 7, 13. 14. Hanc Israelitarum perfidiam nomine scortatus et adulterii vates designat cap. 1, 2 sqq. 2., 4 sqq. 3, 1. 4, 12. 5, 7. 6, 10., appellat defectionem de Deo 11, 7., scelus Israelitarum 10, 8., insaniam vocat, lignum et metalla hominum manibus excusa divina reverentia colere 8, 4 — 6. 13, 2. 14, 4. et proterviam, Iehovam idolorum causa negligere, cum signis summi eius favoris circumdati sint 2, 10 — 15. 11, 2 — 4. 13, 6. 9., ita obcoecatos idololatria pingit, ut nec Iehovam cognoscere nec eum invenire possint 5, 4 — 6., denotat locum ubi superstitionis negotia tractabantur infausto nomine Bethaven 4, 15.

etc., reprehendit Gilgal et colles ubi arae erant exstructae, Mizpah, Thabor, Gibea, Rama, 5, 1. 8. 9, 15. 12, 12. ita rem tractans, ut fontem omnium malorum ibi reperisse satis luculenter appareat.

Accessit aliud scelus posterorum Iacobi, *separatio et dissidia tribuum inter sese orta.* Ingens erat Mosis opus exiguam familiam unius patris, spatio quidem 500 annorum incredibili modo auctam, ita instituendi, ut inter ipsos bellicosos populos patriam occuparet et imperium evaderet vi sua et copia civium munitum, ita autem comparatum, ut omnibus finitimis hostili animo et studio se opponeret. Simplicitas morum et fiducia in Deo posita rem difficilem ita expediverat, ut temporibus Davidis et Salomonis imperii auctoritas satis firmata videretur. At irrepsit discordia et qui vinculo familiae et patriae iuncti superiores barbaris fuerant, contentione civium inferiores facti sunt. Rehabeam Salomonis filius insolentia sua decem tribus a se abalienavit. Nec dux iis defuit, siquidem Ierobeam filius Nebathi facem civilis belli accendit, quae extingui non potuit, nisi ut separatum iuxta Hierosolymitanum imperium existeret, cuius sedes initio Sichemi, postea Samariae fuit. Iehovam ipsum huic separationi adnuisse, ut poenas familiae Davidis in peius versae immitteret eamque separationem posthac Iehu rege a Iehova in vindictam impii Ahabi ad longiora tempora protractam esse, libri sacri narrant 1 Reg. 11, 29—39. et 2 Reg. 9, 1—7. 10, 30. Verum neque in Dei consiliis erat ut haec infelix separatio semper duraret, quippe et Ierobeamo rege constituto diserte pronunciatum erat: *Davidis progeniem premam sed non semper* 1 Reg. 11, 39. et Iehu tantum trinepotibus imperium

decretum erat 2 Reg. 10, 30, neque pii mores regum Israelitarum deesse poterant ut Deus iis propitius esset 1 Reg. 11, 38. Quoniam autem Ierobeami eiusque successorum mores tantum aberant ut pii essent, ut illi magis magisque superstitioni in dies insaniori sese et populum committerent, nil ea separatione effectum est nisi ut robur gentis Israeliticae frangeretur. Ierobeam, ut civium ex animis patriarum legum et carissimae sibi Hierosolymae amorem submoveret, novum Dei cultum eumque symbolico modo ad exemplar Aegyptiaci in delubris, collibus et lucis magnifici templi Hierosolymitani vicariis exhibendum constituit. His autem institutis et idololatria auctoritate regum demagogorumque hucusque coercita, quasi rupto aggere in omnem terram sacram se effundebat, et terra ipsa incursui hostium patebat. Neque domestica bella Ierobeamo mortuo composita erant. Legimus quidem nonnunquam utriusque imperii reges contra barbaros fuisse coniunctos, v. c. Ahabum, Ahasiam et Ioramum reges Samariae cum Iosaphate, Ioramo et Ahasia regibus Iudae. Quae quidem amicitia incrementa idololatriae in regno duarum tribuum auxit, unde a prophetis vehementissime improbata est 2 Chron. 19, 2. 3. cf. 21, 5. 6. 22, 2 — 4. Plura tamen bella a regibus utriusque imperii invicem gesta sunt, v. c. a Baesa et Assa, Ioaso et Amazia, Pekaho et Ahaso. Quod autem ad idololatriae incrementa attinet, ab Ahabo, strenuo sed crudeli rege Samariae, cultus Baalium cultui vitulorum e lege additus est, cuius insania et pravitas inde ab hoc tempore in gravissimis causis publicae et privatae perniciei fuit. Vates noster tanta damna perspiciens et vaticiniorum 1 Reg. 11, 39. 2 Reg. 10, 30.

memor nil magis curae cordique habuit, quam ut tandem illa miseranda separatio tolleretur. Nullum enim aliud auxilium rebus labefactatis totius gentis mederi posse pie sensit. cf. Herder Geist d. Hebr. Poesie ed. Iusti II, 404 sqq. Huc potissimum tria priora capita spectant. Spes eius tunc adhuc in interitu familiae Iehu posita erat. Et quamquam ea exstirpata plebs insipiens auxilium Syrorum, Assyriorum et Aegyptiorum petere, quam sanctissimum familiae vinculum recipere mallet, tamen iterum iterumque vates ad hanc tristem suorum conditionem rediit, 8, 4. 10, 3. Eaque fere semper notio subest verbis דָּרַשׁ אֶת־יְהוָֹה, בִּקֵּשׁ אֶת־יְהוָֹה 5, 15. 7, 10., הָלַךְ וְשׁוּב אֶל־יְהוָֹה 10, 12., 6, 1. 14, 2. Iehovae enim peculiare domicilium putabatur urbs et templum Hierosolymae. Qui ad eum reverti eumque invenire volebat, favoris et semper parati auxilii conspicuum signum non in aris et fanis idolorum, sed in eo loco, ubi eius interpretes veri sacerdotes oracula petebant, quaerere poterat.

Aliam indignationis ansam praebuit vati nostro *morum depravatio.* Scelera enim et idolorum cultui innexa erant et eum sequebantur. In flagitiis cultui Baalis inhaerentibus vates libidines venereas cum luxuriosis compotationibus infantiumque immolationem commemorat, illas 4, 11 — 18., hanc 9, 12. 13. Cultum quidem Baal Peoris ut ab accusatione rerum venerearum in eo commissarum liberaret operam dedit Seldenus de Diis Syris Syntagm. I, p. 162. Id quidem certum est, quae Rabbini e derivatione nominis a פָּעַר *operire, hiare,* vel a פִּי עוֹר *in ore habens pellem* somniarunt, illud idolum vel foetido hiatu oris et natium, vel turpissima

denudatione immensi membri virilis fuisse dehonestatum, vel obscoenitate his figmentis respondente cultum, ea ad nugas Rabbinicas esse ableganda. Nomen eius potius repetitur a Moabitarum monte Peor Num. 23, 28. Deut. 36, 6., unde Baal Peor nulla alia ratione a reliquis idolis nomine Baal obviis differt, quam Jupiter Capitolinus a Jove Olympio, Dodonaeo etc. Verum venereas libidines aliaque flagitia ad cultum illius idoli pertinentia ex antiquissima Asiae incolarum superstitione in gentem Iacobiticam irrepsisse, satis superque e locis Num. 23, 2 sqq. et Hos. 4, 11-18. apparet. His optime respondent, quae apud plures profanos scriptores de Orgiis, Saturnalibus Lupercalibusve in honorem Deorum celebratis et de obscoenitatibus circumferuntur, quibus cultus paganorum religiosus pollutus fuerit: v. c. Babylone fas fuisse, ut omnes virgines ad annos pubertatis provectae semel circa templum se prostituerent ibique zonis virginalibus cinctae in cellulis sedentes exspectarent dum vir libidine incensus zonam solveret vid. Baruch. 6, 41. 42. Herodot. 1, 199., apud Byblienses autem in Syria lege imperatum fuisse, ut festo Adonis, quod luctu propter eius obitum celebrabatur, mulieres aut capite tonderentur, aut corpus per totum diem festum coitui cuiuscunque peregrinorum traderent vid. Lucian. de Dea Syr. Utrobique quaestus qui inde fiebat in usum templi cedebat cf. Mich. 1, 7. vid. quae de meretricibus Graecorum et Corinthiorum narrat Athenaeus deipnosoph. lib. 13. et ad vocem קְדֵשׁוֹת cap. 4, 14. Eandem libidinosam obscoenitatem cum sacris quibusdam gentilium coniunctam fuisse testatur institutum exsectorum s.

eunuchorum, qui nomine קְדֵשִׁים in libris sacris cum abiectissimae turpitudinis nota occurrunt v. c. 2 Reg. 23, 7. 1 Reg. 15, 11. 12, a Luciano autem in eodem tractatu de Dea Syr. Galli vocantur, Hierapoli in cultu Astartes sustentati, ut exsecto signo virilitatis clam tanto foediores libidines sancto suo nomine a periculo invidiae et aemulationis maritorum tuti exercerent. — De altero scelere in sacris Israelitarum commisso, immolationem infantium dico, saepius SSa loquitur, ita ut omnibus 12 tribubus familiare id fuisse appareat cf. 2 Reg. 17, 17. 23, 10. 2 Chron. 28, 3. Nitebatur stolida opinione de Deorum terribili ira terribili poenitentia placanda, quod illo Carthaginiensium exemplo probatur, qui teste Pescennio Festo ap. Lactant. div. Institt. 1, 21. cum ab Agathocle tyranno Siculorum victi essent, iratos sibi Deos rati, quo efficacius piaculum offerrent, ducentos nobilium filios immolarunt. Nitebatur quoque fanatica pietatis iactatione, cuius plures ineptias calidiorum Orientis et Africae regionum incolas commisisse ex historia satis constat. Ut enim devotissimum Deo sensum significarent, carissimis cordis deliciis, liberis suis, non parcendum esse, quin sacrato igni tradendos opinabantur. Cuius falsae pietatis vestigium in historia Abrahami filium Isaacum sacrificaturi luculentissime habetur, istamque scelestissimam insaniam ex Asia interiori, Babylonia et Syria in terram sanctam immigrasse locis citatis confirmat Selden: de Diis Syris 1, c. 6. eiusque Israelitis praecipuos auctores fuisse Phoenices Hos. 9, 13. significare videtur. — Non autem mirum est, talem idolorum cultum, ut qui ad intimos verecundiae et benevolentiae sensus

exstirpandos faceret, ad plurima alia flagitia deceptum populum abripuisse. Ita victimis suis vere perfidiam erga Deum profundiorem reddiderunt cap. 5, 2. et pudendo idolo addicti aeque abominabiles ac illa quae adamaverunt idola facti sunt cap. 9, 10. Nam ad quaevis flagitia proni fuerunt 4, 1. 2. 8. 18. 6, 8–10. 7, 1. 8, 13. 9, 9. 15. 10, 13. 12, 8. 9. 13, 12., ipsi leges sibi ex arbitrio tulerunt 5, 11. 8, 4. 13, 1., libidinibus indulserunt 2, 7. 4, 11. 7, 14. 9, 1. invitati et decepti a regibus principibusque suis 5, 1. 7, 3. 5. 9, 15. adeoque ab ipsis sacerdotibus, prophetis, vel quicunque eorum loco sacra inter Israelitas administrarent 4, 4. 7. 13. 14. 5, 1. 6, 9. 9, 7. 10, 5.

Malum ex his omnibus posteris Jacobi ortum tanto gravius fuit, quanto crebrior monitisque regum atque sacerdotum evulgatior *opinio* exstiterat, *Iehovam esse, quem idololatria colerent.* Quam simulatam pietatem ut e pluribus SSae locis novimus, ita vates noster severissima vituperatione rependit. Aaron princeps sacerdotum eius auctor fuit, utpote qui superstitioso suorum studio nimium indulgens cultui Apidis Iehovae cultum artificioso modo conciliare studuerat. Cum enim eorum iussu aureum vitulum fabricatus esset, aram ante vitulum posuit, diemque Iovae festum in posterum diem indixit, quo facto postridie holocausta עֹלוֹת et sacrificia pro salute שְׁלָמִים quemadmodum *Iovae* ferebantur fieri curavit Exod. 32, 5. 6. Tanti sacerdotis exemplum posteri imitati esse videntur, qui Iovam coli, si conspicuis eius signis sacra facerent, docerent. Inter quos inprimis Ierobeam, qui cultui vitulorum reliqua sacra Mosaica ad-

iunxisse videtur. „Volebant nempe Ierobeam „et consiliarii eius Iehovam in vitulis coli, nec „religionem corruptam, sed in meliorem com„moditatem redactam, ne populus cogeretur cum „ingenti molestia Hierosolymam ascendere“ Seb. Schmidt ad Hos. 8, 4. Nemini quidem superstitiosarum institutionum auctori in mentem venerat cogitatio simulacra e metallis et ligno confecta Deum ipsum esse. Apidis cultores taurum suum symbolum omnipotentiae divinae, Baalis autem Baalim suos patris et regis ipsorum inter divos relati effigiem referre contenderunt. Posterioribus temporibus, ubi artes floruerunt, Iovis et reliquorum numinum divino honore insignitorum statuae confectae sunt dignae magnificentia personae: rudis autem populus rudia sculptilia in templis collocavit. Verum ut illi paganorum deastri (אֱלֹהִים, in libris sacris אֱלִילִים, שֵׁדִים, שְׂעִירִים appellati) procul a Iehova Zebaoth summo omnium gubernatore distabant (vid. ad 12, 4), ita et omnino Deum imagine aliqua fingere lege Mosaica cautum erat. Exod. 20, 4. Aaron et Jerobeam quidem, dum alteram legis partem: *ne simulacrum tibi facito!* illuserant, non veriti erant, ne alterius: *nullos alienos Deos praeter me habeto!* eversio sponte sequeretur. At secutum est maius detrimentum. Ut primum effigies prolata erat, plebs insipiens a Iehova recessit cap. 2, 4. 7, 14. 15. 8, 3., oblita est creatoris sui 8, 14. 13, 6., ad perniciosissimos idololatriae errores abrepta fiduciam in Iehovam deposuit cap. 2, 7. 5, 7. 9, 1. 10, 13. cultumque Deo vere acceptum sinceritate animi et probe factis בְּחֶסֶד וּבִצְדָקָה exhiben–

dum tamquam alieni quid consideravit 8, 12. 6, 6. Nihilominus tamen iidem impii Israelitae foedus suum cum Iehova magnifecerunt 6, 7., ad Iehovam eiularunt 7, 14., per eum iurarunt 4, 15., aerumnae et doloris signa ei praestiterunt 10, 5., vociferati sunt: mi Deus cognovimus te! 8, 2., de oblationibus suis Deo oblatis gloriati sunt 8, 13., Baalium nomine Iehovam significari contenderunt 2, 18. 19. Tali modo non solum idololatriae scelus vere commiserunt, sed etiam neque ad culpae sensum, neque ad saniorem mentem reduci potuerunt, quoniam sibi ipsi opinionem, esse sese Iehovae strenuos cultores persuaserunt. „Adeo“ ait Schmidius ad 4, 4. „idololatrica hypocrisis Israelitarum eos de„mentaverat, ut iustos se et religiosos existima„rent, nec suam agnoscerent malitiam, sed stre„nue potius contradicerent, et falsi accusarent red„arguentes.“ Plures praeterea loci SSae sunt, e quibus eandem falsam pietatem prophetarum vehementissimam indignationem commovisse intelligitur v. c. 1 Reg. 18, 21. Ies. 29, 13. 48, 1. 2. Ier. 4, 1. Nusquam autem tantis increpationibus notata est, quam apud nostrum. Vocantur mendacia et fraudes, quas ad Iehovam preces effundunt 7, 13. 10, 4. 12, 1. 12., comeprantur ipsi nubi et rori matutino cito evanescenti 6, 4., arcui relaxato qui non sursum redit 7, 16.

Tanta autem vitia tantosque errores non impune a civibus esse conflatos, vates noster et divinarum institutionum divinaeque voluntatis sagacissimus interpres et experientia edoctus probe sentiebat. Itaque descriptionibus annectit minas et e statu imperii et e pie de Deo eius-

que iustitia sentiente animo et e monitis a Mose editis petitas. Status imperii ad interitum vergebat, tempora Ierobeami II. praeterierant, excipientes ea tumultus civitatis vires consumserant, securitas atque tranquillitas civium aufugerat, principes deerant, qui pietate et sapientia rem labefactatam restituerent. Contra Assyriis regni fines patebant, tributarium sibi fecerant Menahemum, depopulati erant regiones Transiordanenses, incolas earum in exilium abduxerant, et paullatim ita rebus Israeliticis potiti erant, ut ultimus rex Hoseas sceptrum pacemque ipsis debuerit, eorum autem favorem magno pretio sibi redemerit 11, 5. Quae omnia depravationem universi populi tam publicam quam privatam sponte sequebantur. Eadem nostri prophetae vaticinia variis coloribus pingunt prouti imperii vices ipsi occasionem praebebant 5, 10–15. 7, 1–7. 8, 1–4. 8. 10. 10, 6–8. 14. 15. 11, 5. 6. 12, 15. 13, 3. 15. Sed quae evenerant et adhuc eventura erant, alio modo evenire non poterant. Deo omnipotente derelicto spem Israelitae in idolis posuerant, quae ipsa opus fragile et ab hominibus confectum auxilium ferre non valebant 2, 12. 5, 5. 7, 10. 8, 5–7. 10, 6. 15. 13, 2. 3., flagitiis se dederant unde radices eorum exaruerant, omnia miscuerant, miseriam et contumeliam auxerant 4, 10. 19. 6, 8–10. 9, 14. 16. 10, 13. 12, 13. 14., senio confecti facillime succubituri erant barbaris 7, 9., ipsi omni pietate et sapientia recusata 4, 6. adhuc impuberes 13, 13. sibi et consiliis suis fisi nil nisi ludibrium et detrimentum capturi erant 7, 16. 5, 5, barbaris se sponte prostituerant, quorum odium et dubia fides pristinarum caedium

ultionem ab iis repetere iam dudum moliebatur 5, 13. 7, 8. 9. 8, 10. 10, 14. Praeterea qui iustissimus Iehova Zebaoth, cuius severitatem olim Moses suis inculcaverat Exod. 20, 5. 6., tantam pravitatem ultra ferre potuisset? Decepti quidem Israelitae Deum non noverant, et quemadmodum se inde a temporibus Aegyptiacis gentem fuisse Deo peculiarem audiverant, ita tunc adhuc foedere eius superbiebant 5, 6. 6, 7. 8, 2. Verum propheta non eodem stupore captus et Iehovae consilia melius intellexit et pia mente eorum sapientiam reveritus est. Itaque divinitus admonitus, quae ipsi sibi paravissent mala a sancto iustoque Deo iis esse immittenda significat 4, 9. 5, 2. 9. 11. 8, 12–14. 9, 7. 11–17. 10, 8. 10 sqq. Ut autem tam severae commirnationes eorum animum melius commoveant, imaginibus utitur nil nisi certissimas poenas indicantibus 2, 11–15. 3, 4. 4, 16. 5, 12. 7, 12. 16. 10, 9. 10. quae tamen omnia non ita premenda sunt, quasi singula fata Israelitis futura indicentur. Veteres quidem interpretes maxime Hebraei arcanum sensum iis inesse, eaque potissimum ad exilium Assyriacum tendere putaverunt. Verum ut hic sensus non sine vi prophetae verbis adhibita elicitur, ita in omnibus illis locis nexus rerum simplici modo verba sic intelligi iubet, ut significatio tantum divinae indignationis et meritarum poenarum in universum inde prodeat. Unde etiam Eichhorn, Einl. ins A. T. tom. IV. §. 555. omnino de exilio populi in terra alicuius victoris subeundo apud vatem nostrum sermonem esse prorsus negat, quae vero sine quadam rei limitatione non dixerim. Utique sunt loca, quae de aliquo peculiari fato univer-

sum populum manente agere videantur, non ut idem Vir illustrissimus vult, tantum de abductione singulorum captivorum, quorum praecipua 8, 13. 9, 3–6. 15. 17. Vates noster et ipse divinitus admonitus et monitorum a Mose iam editorum memor, imperio ad interitum ruenti ea imminere sensit, quae Moses in futuram impietatis poenam, si forte aliquando eam contraherent, indicaverat, nimirum Deut. 28, 45–51. 62–68. ubi Deus comminatus fuerat: *excitabit Iehova remotum populum usque ab extremis orbis terrarum finibus, gentem ita crudelem, ut neque senes revereatur neque puerorum eam misereat. Itaque exterminabimini e terra quam occupatum itis, vosque disperget Iehova in omnes nationes, ut ubi servictis et apud illas gentes neque conquiescatis, neque ubi pedis vestigium requiescat, habeatis. Vosque in Aegyptum classe reportabit in servos et servas inimicis sine ullo assertore vendendos.* Cuius eventus momentum adesse vates noster sentiens illis Mosaicis monitis sua vaticinia de certo aliquo Israelitarum fato superstruxisse videtur, quae locis laudatis copiosius exponemus.

Iam vates noster prorsus naturae convenienter locutus esse videtur, cum, causa omnium malorum sublata, mala quoque cessatura ipsosque suos pristinam felicitatem recuperaturos fore promisit. Quae spes in animo tam pio tamque benevolo, qualem in Hosea cognovimus, non poterat extingui. Quonam enim pacto cogitaret animum hominum ita esse deperditum et obstinatum, quin vel in summo rerum discrimine resipisceret? quo pacto desperaret de docilitate deque poenitentia suorum, quos, licet satis abiectos

propter grandia peccata, magni aestimabat, gentem, in cuius historia vestigia divini auxilii vere mirifica exhibita erant, et cuius bonam indolem a tantis eximiae virtutis patribus propagatione posteris quasi traditam non funditus exstinctam esse censebat? Promisit igitur suis pristinam felicitatem ea quidem conditione, ut ad pristinam pietatem erga Iehovam redirent 3, 4. 5, 15. 6, 1. 10, 11. 12. 14, 2-5. Quam quidem felicitatem iterum variis involvit imaginibus v. c. coniugii 2, 21., fecunditatis terrae 23. 24., revocationis in vitam 6, 2., restitutae pacis et securitatis in propriis sedibus 11, 11. 12, 10., herbae gramina pullulantis et radices agentis, sub cuius umbra et odore undique accurrentes habitaturi sint 14, 6-8., potissimum reditu separati imperii Israelitici ad regem e stirpe Davidis ortum et ad cultum veri Dei in templo Hierosolymitano instituendum 2, 1. 2. 3, 5. At Israelitae nec ad urbem Hierosolymam, nec ad familiae vinculum reversi sunt, nec omnino divinis monitis obedientes mores perversos deposuerunt. Propterea Samaria interiit cum omni imperio, nec unquam antiquam gloriam recuperavit, multo minus felicitatem et libertatem incolis Abrahami posteris reddidit. Deficientibus igitur illis desideratis commodis spes piorum Hebraeorum ad serius venturum Messiam directa est. In quam nos Christiani ita consentimus, ut quaecunque felicia piis in Deo fiduciam ponentibus promissa sint, in Iesu Christi redemtione nobis contigisse credamus. Non quidem quod vates de tali redemtore cogitaverit, sed quod omnia Deo duce eo sermone dicta sint, ut de felicitate morali per Christum nobis parata valere suo tempore intelligi

potuerit [6]). Nonnulla eorum N. T. commemorat, quod ubi autem et quomodo factum sit, ad loca ipsa annotabimus.

IV.

De singulis vaticiniorum Hoseae partibus.

In constituendis libelli nostri partibus interpretes magnam operam impenderunt. Hieronymus tres constituit cap. 1, 1 – 5, 7., 5. 8 – 10, 4., 10, 5 – 14, 10.; causam vero huius divisionis nullam attulit. Fortasse ingenium ducem secutus est, quod ita optime egisse senserit. Verum composuit, quae non uno tempore a vate edita sunt, et seiunxit, quae inter se cohaerent. Certe 10, 1 – 8. praeter omnem dubitationem unam orationem continet. Est divisio antiquissima prophetae in *conciones legales* cap. 1 – 10. quippe in quibus lex animis Iudaeorum inculcetur, et *in conciones evangelicas* cap. 11-

---

6) „Das ganze A. T. ist eine fortgehende Weissagung „auf Jesum; aber kein einziges Messianisches Orakel „hat seinem grammatischen Sinne nach eine voll„kommen zwingende Beweiskraft, wenn nicht die „Realerklärung des N. T. hinzukommt, über die in „einer christlichen Hermeneutik noch viel zu sagen „ist; das hat die Christologie des A. T. bewiesen, „und das Urtheil der grössten Exegeten, die sich „zu einem gedoppelten Sinne der Messianischen „Weissagungen bekannten, bestätigt die Wahrheit „dieser Ansicht." Illustr. D. v. Ammon: die unveränderliche Einheit der Evangelisch. Kirche. Heft 2. pag. 51.

14. in quibus amor Dei in Christo filio praedicetur. Verum et haec divisio fundamento caret, quod alii intellexerunt, eam non omnino *exclusive* verum *synecdochice* esse capiendam contendentes. Etenim in priore parte nonnulla sunt membra, quae a probatissimis theologis nostris Messiana vaticinia vocantur, quorum v. c. locus 3, 5. a Wahlio in historicopractica introduct. in scripta biblica Tom. II. p. 31. maxime disertis vaticiniis adnumeratur, et in posteriore si sanam interpretationem sequimur capp. 12. et 13. omnino nihil de Messiae temporibus inveniri potest.

Alii ratione temporis totum opus in singulas partes descripserunt. Lightfooto in Chronologio V. T. p. 102 sq. duo priora capita sub Ierobeamo II. et Usia prolata videntur, cum propheta adhuc iuvenis fuerit et de coniugio cogitarit; capp. 3. et 4. eodem tempore, quoniam 4, 3. locustarum mentionem fecerit, de quibus Ioel et Amos simul cum eo egerint. Capp. 5. et 6. temporibus Ahasi edita esse censet; cap. 7 sqq. circa ultima tempora regis Hoseae s. sub initium regis Hiskiae ponit. Seb. Schmidius 10 sectiones profert: I, cap. 1. 2. II, c. 3. III, c. 4. IV, c. 5. 6. V, c. 7. VI. c. 8. VII, c. 9. 10. VIII, c. 11. IX, c. 12. — 14, 1. X, c. 14, 2–10. Sed illi beati viri omnes dubiam et admodum incommodam nostrorum capitum normam tenuerunt. Recentioribus temporibus illa segmenta nimium sero orta nec semper ingenio critico facta liberius tractaverunt interpretes, ita ut v. c. Dathius 17, Boeckelius 14. rhapsodias nulla capitum ratione habita distinguerent. In alteram partem abiit Hermann v. d. Hardt, qui in opere: Ho-

seas antiqua chaldaica Ionathanis paraphrasi, quae veterum Iudaeorum — scripturam explicandi modum refert, illustratus Gottingae 1775. prafat. pag. 7. contendit: *volumina prophetarum exhibere plurimas distinctas minutas conciones sive parvos sermones, aut brevia effata et oracula, exiguos libellos, multis annis in gente isthac publicatos uno dein volumine comprehensos.* Ita v. c. vult primo capite post totius voluminis inscriptionem 4 libellos diversis prorsus annis ipso propheta nuntiante editos in Israel et ad notitiam communem divulgatos, addita semper occasione scripti oraculi s. carminis exhiberi I, v. 2. II, v. 3–5. III, v. 6. 7. IV, v. 8—11. Verum omnis orationis concinnitas interiret et propheta vere commaticus foret, si teneram quidem sed elegantem exstructionem singulorum carminum tam crudeli dilaceratione demoliremur. In eo errasse videtur, quod segmenta poetica cuiusque carminis cum carminibus ipsis permiscuit, et carmen vocat, ubi modo novum comma alteri adiicitur. Ab eiusdem dilacerationis culpa non prorsus immunem iudicare possumus doctissimum et elegantem interpretem V. Ill. Eichhornium. Constituit in libro Einleit. ins A. T. Tom. IV. §. 554. p. 282. inde a cap. 4. sedecim diversissimi ambitus sectiones; in uberiore autem vatis nostri tractatione: die Hebraeischen Propheten Tom. I. p. 71–143. has quoque partes in suas particulas dissecat, v. c. VI. X. XI. et ubi continuum sermonem exhiberi censet, orationis intermissione, notis quiescendi, inopinato transitu vatem ita turbat, ut nonnunquam singulis versibus ab altera in alteram rem abripi videamur. Sic expositio capi-

tis septimi, cuius quidem 2 partes in unam coniungit, singulorum commatum nexum tollit, qui ubi quaeritur duas arte compositas tabulas nos invenire iubet. Eodem modo in tractatione loci 4, 1—5, 10. versatur. Gravissimas illas capitis noni increpationes quasi fortuito collectas exhibet. Caput duodecimum in 3 partes disscindens partem hanc intellectu difficilem difficiliorem adhuc reddit. Tali modo argumentum quidem didacticum et complexus singularum grandium sententiarum manet, quae autem ad poematum venustatem maxime faciunt, consensus plurium imaginum, descriptionum et sententiarum ad unam rem, lectori adimitur. Simplicissima mihi videtur eorum sententia, qui vatem nostrum pluribus brevioribus carminibus iisque inter se cohaerentibus et absolutis consistere putant. Qua quomodo ad illustrandum vatis nostri ingenium usi simus, iam exponamus.

Omnes fere recentiores interpretes consentiunt scriptionem duabus partibus consistere, una symbolica s. allegorica, tribus prioribus capitibus, altera thetica, undecim capp. posterioribus comprehensa cf. Eichhorn. Einleit. l. l. §. 554.; verum quamquam illa 3 capita unum e tribus partibus compositum poema efficiant, tamen ista divisio ipsa fundamento caret. *Argumento* non differunt, quod omnibus 14 capitibus idem est. Quod autem ad *vestitum poeticum* attinet, sunt aliae expositiones symbolicae in fasciculo vaticiniorum Hoseae, quas iam p. 19 sq. commemoravimus, de quibus etiam suo tempore uberius agemus cf. V. Ill. Boeckelii Hoseas p. 9.: „zwey Hauptheile, „deren erster sich mit dem dritten Capitel schlies- „sen soll, anzunehmen, wie es gewöhnlich ge-

„schieht, dazu ist kein hinreichender Grund vor„handen; denn wenn gleich vom 4.Capitel an kei„ne eigentliche Rücksicht auf die im ersten und „dritten Capitel enthaltenen Allegorien genom„men wird, so ist diess doch eben so beim zwey„ten Capitel der Fall, ob gleich Anspielungen „auf das Hebräischen Dichtern so gewöhnliche „Bild: Jehova ein eifersüchtiger Ehemann des „treulosen jüdischen Volks, hier wie späterhin häufig vorkommen."

Haud difficilis mihi videtur quaestio, quo tempore prima prophetia priora tria capita complectens confecta sit. Quae 1, 2. leguntur, narrationem de matrimonio et quae huc pertinent principium omnium vatis poematum fuisse significant. His ingenue assentiamur; plura enim indicia adsunt, e quibus idem efficiatur. Vates de familia Iehu ita sermocinatur, ut eam tempore vaticinii adhuc exstitisse cogitemus necesse sit. Porro tota descriptio status reipublicae Israeliticae nondum testimonia illius perniciei exhibet, quae in posteriore parte gravissimis verbis indicatur. Loquitur contra de abundantia panis, aquae, lanae, lini, oleae et potus 2, 7., de ubertate camporum et vinearum v. 10., de inauribus et monilibus splendoris et divitiarum signis v. 15., de gaudiis et festis v. 13.: quae omnia hilarem honorificamque conditionem indicant, quam triumphis Ierobeami II. gentem debuisse facile censeamus. Verba quidem de periculo interitus facit, verum non tam diserte ut in posterioribus, ita tantum, quasi securus excitetur, ne prorsus sopiri patiatur. Periculi autem alicuius exilii omnino nulla mentio est; quae enim de illo exilio e tribus prioribus capp. eruuntur, minime ad

id pertinent vid. ad 3, 4. 5. Omnia mala vates populo adhuc in patria ipsa subeunda esse fingit. Quid quod ne Assyriorum quidem meminit. Denique Iudaeorum res cum maxima honoris nota commemorat, ex quo apparet, tunc temporis adhuc Usiam regem eiusque amicum et magistrum Sachariam 2 Chron. 26, 5. studiose et cultum Iehovae ipsos observasse et cavisse, ne cives depravatione Israelitarum abriperentur. Verum ut haec omnia temporibus Ierobeami II. conveniant, tamen illis ipsis temporibus vaticinia capp. 1–3. non edita esse, probabile videri potest. Loquitur enim propheta de proximo interitu familiae Iehu. At regnante Ierobeamo II. flos istius regiae familiae maxime splendescebat imperiumque Israeliticum tanta vi et honore fruebatur, ut nemo facile de mutatione imperii cogitaverit. Alio modo res post eius mortem habuit, cum filius praeterea superstes esset Zacharias, patre indignus, a plurima parte civium recusatus. Tunc ubi populus, cuinam novo regi sese subiiceret, incertus haesit, ubi imperii salus inter contentiones et seditiones principum pependit, simplicissimo modo pii Israelitae mentem subire potuit cogitatio, solam felicitatem in regibus stirpis Davidicae maxime in Usia esse quaerendam, illudque vaticinium 2 Reg. 10, 30., quo successio patris Iehu quatuor tantum eius posteris promissa erat, deo iuvante ita eventu comprobatum iri, ut tandem faustissimo pii regis Usiae auspicio iterum una natio et unus Iehovae cultus isque Hierosolymitanus restitueretur. Ex quibus omnibus 3 priora capita non diu post obitum Ierobeami, prioribus interregni annis, orta esse efficitur.

Forma est symbolica: nam occasione et exemplo a suo matrimonio sumto mores, pericula et spem infidelis populi describit. Cohaerent tria priora capita et unum carmen efficere videntur, cuius si partem demseris, venustas aptaque totius carminis compositio interibit. Constant autem tribus singularibus poematibus 1, 2–2, 3., 2, 4–23. et cap. 3., quae licet non uno tenore confecta, gradatim res Israelitarum pingunt prout fata domestica prophetae aptissimam occasionem fecerant. Primo capite narrat, quomodo maritus Dei similis fuerit v. 2., quomodo nominibus liberorum spuriorum praecipua momenta correctionis Israelitarum significaverit: scilicet nomine Iesreel, interitum regiae familiae v. 4. 5., nomine Lo Ruchama, poenas populo inferendas v. 6. 7., nomine Lo Ammi, amoris divini defectum v. 8. 9. Porro cap. 2, 1–3. paratam iis restitutionem in melius pronunciat, ubi coniuncti cum Iudaeis, quos Deo acceptos appellaverat 1, 7., ex spuriis una genuina et vera Dei familia evasissent. Altera parte lenissimo modo scil. ficto colloquio et cum liberis et cum uxore animum populi commovere studet, ut quemadmodum matrem liberorum misereat, ita sortem suorum et aequalium et posterorum doleant 2, 4., ut severitatem Dei timeant, quemadmodum uxor mariti gravitatem, utque imbecillitatem et vanitatem amicorum cognoscant v. 5–16., ut denique benignum Dei animum agnoscant et spe melioris aevi ad Deum aeque confugiant atque uxor detrimento suo perculsa maritum iterum quaerat v. 17–25. Tertia pars modum cum Deo se reconciliandi iterum poetica descriptione periculi uxori quod subiret propositi, eamque secuturi reparati

matrimonii cap. 3. pingit, aptissima ratione illorum temporum habita, ubi, sacris iam a Ierobeamo I. ademtis (cf. ad 3, 4.), deleta regia familia rege quoque et principibus privandi erant, ubi adeo iam ob diuturnum interregnum bellaque civilia imperii capite destitutos se sentiebant. S. V. Eichhorn hoc nostrum poema suo more ita dissecat, ut non modo non cohaerere sed tamquam tria diversa carminum conamina a se invicem distare contendat, quorum alterum altero imperfectius res Israelitarum a Iova antea auxilio ornatorum, postea vero propter flagitia interitui maturorum allegorice pingat, quae adeo casu in collectione poematum ita congesta sint ut caput tempore primum, ordine tertium exstiterit. vid. Einl. ins A. T. edit. 4tae Tom. IV. p. 273 sqq.

At maxima est interpretum dissensio, utrum vates de matrimonio suo verba faciens visionem habuerit, an allegoriam finxerit, an rem in facto positam narraverit. A prima harum opinionum, quae fuit doctorum Hebraeorum, omnes recesserunt. In toto enim vaticiniorum Hoseae fasciculo neque verbum neque similis orationis forma neque ullum aliud vestigium, unde visio probari possit, reperitur. Visiones eodem modo alienae sunt a vate nostro, quo simplex, omnia clare perspiciens eius ingenium ab omni furore poetico abhorret. Quod autem ad alteram pertinet opinionem, contineri parabolam s. allegoriam, ea ab antiquissimis temporibus interpretibus placuit. Siquidem Chaldaeus iam ad eam accessit ita initium orationis exponens: *Vade, profer vaticinium contra habitatores civitatis idololatricae, qui addunt peccare: — et abiit et prophetavit conta eos: quodsi conversi fuerint*

remittetur iis, sin minus, defluent sicut defluunt folia ficulnea. At addiderunt et fecerunt mala opera et dixit dominus ad eum: voca nomen eorum dispersos. Dav. Kimchi de hac particula verbis utitur: מָשָׁל לְיִשְׂרָאֵל הַזּוֹנִים מֵאַחֲרֵי יְיָ *effatum propheticum s. parabola Israelitis prolata* etc. Hieronymus autem postquam veritate facti sumta et Deum excusaverat, quod prophetam meretricem ducere uxorem iusserit, et Hoseam, quod sine mora perrexerit ad lupanar scortumque adduxerit ad torum: *alioquin*, addit, *si omnia quae praecipiuntur ob causas ut in similitudinem fiant, vere facta contendimus, ergo et Hieremias accinctus lumbari, vestimento muliebri inter innumerabiles nationes et Assyrios et Chaldaeos gentes inimicissimas Iudaeorum ivit ad Euphratem, ut ibi absconderet lumbare suum et post multa tempora invenit illud computruisse. Quomodo exire potuerat et ire tam longe, obsessa Hierosolyma, exstructis per circuitum munitionibus, fossa, vallo atque castellis? Si illud in typo, quia fieri non potuit, ergo et hoc in typo, quia si fiat turpissimum est.* vid. introduct. in Hos.; idem ad 1, 8. *si illa et cetera, quae in SSa legimus, facta non poterit approbare, et aliud quid significare contenderit, ergo et meretrix ista mulier non turpem stupri coniunctionem, sed sacramenta indicant futurorum.* Hunc secuti sunt probatissimi recentiores interpretes v. c. Drusius, Eichhorn, Kuinoel, Rosenmueller cet. Nec potest negari prophetas saepissime usos esse talibus allegoriis, praecipue illa a matrimonio petita. Profertur Dei amor erga gentem Iudaicam imagine coniugis Ier. 2, 2. maximeque c. 3. et 31, 3, 4., coniunctio quae inter-

cedebat inter Deum et populum imagine foederis coniugalis Ez. 16, 6—8. Ies. 54, 5.; impietas autem eorum et propensio ad cultum idolorum imagine adulterii Ez. 23, 4 sqq. Sic in nostro loco allegoria non inepte adhibita videretur, nisi quaedam essent, quae impedirent quo minus in ea subsisteremus.

E nulla enim alia scriptionis parte, vati nostro tales allegorias placuisse, effici potest. Exornat quidem orationem plurimis imaginibus, verum ita, ut diutius in eodem tropo commorari indoli ipsius repugnasse videatur. Animus Hoseae ardens nimia luxuria imaginum fere oppressus vehementi cursu descriptionum lectorem undique abripit neque in ulla tabularum suarum nos morari patitur, unde est quod eum iterum iterumque translationibus excidisse conquerantur. cf. pag. 19. Verum tantum abest ut inde venustas poematum evertatur, ut eorum nota et indole inde appareat, quacum usus allegoriae per 3 capita protensae non conspirat. Quod ipse Eichhorn sensit, qui sententiam de allegoria defendens libere profitetur: tria haec capita differre a genio, qui in reliquis Hoseae partibus deprehendatur (l. l. §. 556.).

Porro finis totius enarrationis cap. 3. ita comparatus videtur, ut intelligatur parabolam non fuisse excogitatam ad certa et indubitata civitatis Israeliticae fata allegorice describenda, sed rebus quibusdam, quae vere evenerant, symbolicam translationem ad populum Israeliticum adiunctam fuisse. Certe quae de futuris fatis Israeliticis praedicuntur, eiusmodi sunt argumenti, ut ex historia matrimonii facile quidem elici potuerint, verum proximo eventu caruerint.

His accedunt, quod idem S. V. Eichhorn monuit l. l., nomina mulieris eiusque patris omnis symbolicae significationis expertia. Cum summi poetae aliquando dormitaverint, *quid mirum*, inquit Eichhornius, *quod nostro Hoseae aliquid humani acciderit?* Verum maximopere mirarer, si Hoseas nominum symbolicorum studiosissimus 7) in isto loco occasionem suos talibus nominibus designandi neglexisset. Res ipsa monuit, ut allegoriam, si quam exhibere vellet, nominibus et confirmaret et commendaret. Non enim modo lectoribus remotiorum temporum, sed, quod maioris momenti est, aequalibus vaticinia edidit. Iam ista גֹּמֶר בַּת־דִּבְלָיִם aut uxor eius fuit, aut non fuit. Si fuit et tota tamen narratio de eius liberis deque eius dimissione excogitata, male profecto egisset vates mendacio suo vel erga uxorem, quam omni existimatione, vel erga se ipsum, quem fide verborum privasset. Si non fuit, qui sperare poterat sensum parabolae a civibus intellectum iri, cum in nomine meretricis nihil lateret, quod eos fabulam de ipsis narrari moneret? Quin de luxuriosa vita vatis parsuasi: cur iste, dicturi fuissent, nobis meliorem partem designat, aut cur iste gaudia nostra luxuriosa vituperat, qui ipse non modo clam scortatur, sed omni abiecto pudore cum abiectissimis meretricibus rem habuisse fatetur? Res ita in oculos incurrit, ut quomodo vatem fugere potuisset, non intelligam.

---

7) Exemplo sunt nomina infantium: 1, 4. 6. 9.; porro עֵמֶק עָכוֹר 2, 17., בֵּית־אָוֶן 4, 15. 5, 8. al., בַּעַל 2, 18. et symbolicus usus nominis יַעֲקֹב 12, 4., מֶלֶךְ יָרֵב 5, 13.

Omnes difficultates tolluntur ubi rem in facto positam narrari statuimus; idque contendunt interpretes ecclesiae nostrae Lutherus, Calovius, Gerhardus in loco de prov. Dei 129., Glassius, Dathius, nec non Grotius et Liveleius, simulque indicant, quod verissimum e Hieronymi verbis laudatis apparet, veteres, maxime Hebraeos, e nostro loco visionem aut parabolam propterea elicuisse, ut Deum contumelia impii praecepti, et Hoseam culpa fornicationis liberarent. Lutherus in comment. ad Hos. 1, 2. ita Deum vatemque excusat, ut contendat *uxorem Gomer fuisse honestam e proba gente ortam eiusque tres liberos legitimo matrimonio procreatos, sed eos dici* אֵשֶׁת זְנוּנִים *et* יַלְדֵי זְנוּנִים *ad designandam conditionem miserabilem civitatis Israeliticae, cuius omnes cives ob flagitiosam idololatriam moechi et adulteri fuerint, utque populus cogitet: si vates uxorem et liberos tam contumelioso nomine appellare a Deo iussus est, quanto abiectiores et contumeliosiores coram Deo nos esse oportet!* Propterea etiam fuerunt, qui אֵשֶׁת זְנוּנִים mulierem paganam et יַלְדֵי זְנוּנִים liberos e pagana uxore procreatos indicare statuerent. Sed istam mulierem Gomer non honorifico nomine commemorari, eiusque liberos in adulterio procreatos esse, totus nexus docet. Ergo alii nodum ense dissecuerunt, et illud Grotii ad cap. 1, 2. centies repetitum legimus: *uxorem ducere, quae meretrix fuerat, non erat illicitum nisi sacerdotibus Lev. 21, 7. Videri quidem id poterat subturpe, sed quicquid iubet Deus, idem iubendo honestum facit*; et Calov. ad v. 2. *fuerunt*, inquit, *Deo sapientissimo causae graves, cur id mandaret, tum publicae, ut nempe po-*

pulo idololatriam non tantum vehementius exprobraret, sed etiam eundem moneret suamque benevolentiam et μακροθυμίαν, quod ipsos, etsi fornicarios, ferat et beneficiis adficiat, ob oculos poneret; tum p r i v a t a e, *ut nempe scortum illud a procis suis avocaret et per prophetam converteret. Neque id sanctitati prophetae adversum.* Ioh. Schmidius in Comment. in prophetas minores ad Hoseam p. 72. adfert Theodoreti sententiam notatu dignam. *Universorum Dominus beatum Hoseam ornat et comparat ad ducendam uxorem impuram et impudicam, ut hoc genere facti impietatem populi coarguat, et suam tolerantiam incredibiliter ostendat. Etsi ergo Deus libidine proditam adulteram Synagogam suscepit, non tamen contaminatus sanctitatis fons ex impura hac et exsecrabili, neque propheta ex illa stupri plena uxore maculam suscepit. Hoseas enim non libidini serviens, sed nutui divino et arbitrio parere studens, accepit meretricem, atque omnibus nuptiis gratior et laudabilior haec societas fuit. Neque ob id solum, quod ex Dei nutu et arbitrio facta fuerit, sed quod Deum expresserit et designatione quadam retulerit.*

Verum est multo honorificentior ratio vatem de illo matrimonio excusandi. S. V. Eichhorn l. l. ita de ea re disserit: quis potest contendere, אֵשֶׁת זְנוּנִים foeminam prorsus abiectam et meretricem significare? Interpretes nostri tantum auctoritate Hieronymi aliorumque celebratorum nominum capti ita contumeliose de ea statuerunt. Meretrix verbo זֹנָה signatur. Ubi autem Gomer אֵשֶׁת זְנוּנִים vocatur, in substantivo אֵשֶׁת notio uxoris inest, et epitheton זְנוּנִים

conditionem indicat, in quam vel post nuptias incidit, vel quam ante nuptias occultissimam habuit. Porro, si ante matrimonium iamiam luxurians et scortatui dedita fuisset, qui veram gentis Israeliticae imaginem exhibere potuisset? Ubi Deus foedus cum Israelitis pepigerat, quod passim matrimonii nomine in SSa designatur, illa gens casta erat et malis moribus nondum contaminata. Ier. 2, 1. 2. Talem esse aut certe videri sponsam prophetae oportebat, ut in ea imago gentis Israeliticae agnosceretur.

Firmiter teneamus hunc idearum nexum, nec, ut Eichhorn, nimium subtilibus dubitationibus turbati ab eo discedamus. Neque enim Deo, neque propheta indignum videtur Hoseam nostrum uxori fuisse matrimonio iunctum, quae postea eum fefellerit, cuius autem mores et fata retulerit, ad illa effata saepius pronuntiata denuo commendanda: „Vos estis ingrati et impii, „qui ubi resipiscere recusaveritis, sine misericor„dia puniemini.“ Modo ne singula in historia nostra premamus, nec vatem, ut plerique censent, omnino vitam et matrimonium symbolicum egisse contendamus. Vates neque dogmaticum neque historicum opus edere voluit, omnes eius orationes facultatem ingenii simplicissimis rebus vim quandam eliciendi iisque grandia monita adnectendi significant. Cum autem omnes eius imagines e communi vita repetitae sint, eum vel e domestica vita imaginem hausisse, quis est qui neget? Nam quid simplicius esse potest, comparatione fatorum, quae in matrimonio passus erat, cum illa perfidia, qua Israelitae contra Deum peccaverant? Verba זָנָה et נָאַף iam e more usurpabantur de impietate et idololatria populi, siqui-

dem omnes fere prophetae iis usi sunt cf. Exod. 34, 15. Num. 14, 33. Ps. 73, 27. Ies. 57, 4. Ier. 5, 7. Ez. 23, 30. 37. Itaque vates imagine sua prolata nil novi exhibuit, vestitus tantum poeticus novus est. Res ipsa plurimae parti civium nota erat; ergo non erat, quod nomina simularet. Vates amaverat Gomer filiam Diblaim, in matrimonium eam duxerat, susceperat ex ea liberos, donis et opibus eam dotaverat. Sed amore eius indigna sanctissimum matrimonii vinculum libidinibus violaverat, ipsi liberi erant spurii, quippe ex adulterio orti. Qua de re certior factus eam dimittit. Verum et pristini amoris memor et misericordia commotus ad ingratam uxorem redit, signa poenitentiae studiique favorem mariti sibi reconciliandi probat, iterati matrimonii cum ea restituendi periculum suscipit. Res utique per se exigui momenti fuisset, nisi typicus sensus ei vim et significatum dedisset.

Prophetae non solum *dictis* divina monita exhibere solebant, verum etiam *factis* et *fatis* typicam divinae voluntatis significationem referre putabantur. Sic Iesaias narrat, se rem habuisse cum prophetissa i. e. cum uxore sua, et ex ea genuisse filium, qui typus esset liberationis regis Ahasi a Pekaho et Rezino. Ies. 8, 1—4. Eodem modo Ieremias cap. 32. Hierosolymae a Babyloniis obsessus, agrum in stirpe Beniamin ab hostibus iam occupata situm emit, ut signum esset sperandae restitutionis rerum Iudaicarum, et tantae incolumitatis terrae, quae tunc nationi prorsus erepta videbatur, ut copia fructuum inde capiendorum rursus foret. Ioh. Schmidius in commentar. p. 73. loca patrum idem affirman-

tium adscripsit. *Deus turpitudinem idololatriae hoc ipso facto omnibus palam declarare et ante oculos ponere voluit, ut tanto citius flecterentur hominum animi ad eius detestationem. Res ipsa mirabilis et nova satis excitabat ipsam quoque multitudinem imperitam et rudem, ut quid tandem portenderet inquirerent. Huc accedit quod Prophetae fere omnes non solum sermone qui audiebatur et visione quae videbatur, sed conversatione, factis et vitae ratione prophetarunt. cf. Irenaeus adv. haereses.* 4, 37. *non solum, ait, Deus per visiones quae videbantur et sermones qui praeconiabantur sed et in operationibus usus est prophetis ut per eos praefiguraret et praedemonstraret futura. Propter quod et Hoseas propheta accepit uxorem fornicationis per operationem prophetans. Tertullian. de resurrect. carn.* 28. *Augustin. contra Faustin.* 4, 22. *et* 22, 23. Hoseae autem nostro fatorum suorum gravitatem contemplanti facile subvenire poterat cogitatio, se quoque esse a Deo vocatum, ut his suis vicibus domesticis effigies esset et per acta gestaque sua vaticinia impio populo exhiberet. Comparavit sua fata cum fatis Israelitarum, et in dies certius ipsi de arcana eorum significatione persuasum est. Has cogitationes divinitus excitatas literis mandatas civibus proposuit, qui imagine improbae uxoris se ipsos agnoscerent atque intelligerent, quemadmodum maritus diu perfidiam adulterae ferat et non sentire videatur, ita se etiam a Deo esse clementia et misericordia tractatos: quemadmodum maritus animum uxoris et serio et blando colloquio commoveat, ita ipsorum quoque animum a Deo monitis prophe-

tarum commotum esse: quemadmodum uxor se liberosque libidinibus suis perdat, ita se liberosque perniciem manere propter libidinosum idololatriae furorem: quemadmodum uxori ea tantum relicta sit mariti favorem sibi reconciliandi ratio, ut abstineat ab omni prava consuetudine utque castitate et fide probata marito se adiungat, ita eam tantum esse salutem deperditae gentis, ut post susceptam a Deo correctionem mentem iterum advertat ad Iehovam, seque sacris Hierosolymitanis regique a Deo constituto adiungat. Quae comparationis momenta poetico vestitu ornavit, 1) descriptione divinorum iussuum subinde acceptorum 1, 2. 4. 6. 9. 3, 1. 2) nominibus symbolicis infantium 1, 4. 6. 9. 3) colloquio cum uxore 2, 4—25. 4) enarrato modo, quo sese cum uxore reconciliaverit 3, 2. 3. 5) vaticiniis de immensa prole 2, 1., de transitu infelicis ominis nominum illorum in faustam significationem 2, 1—3. 25., de bonis in terra Israelitica recuperandis 2, 20. 23. 24.

Non obstat huic sententiae magnus ambitus quo Hoseas effigiem circumscripsit; de qua re S. V. Rosenmueller Scholl. ad 1, 2. „eiusmodi" ait „actionem symbolicam simplicem „esse oportet, brevissimo temporis spatio absol„vendam et paucissimis signis gestibusque cir„cumscriptam" 8). Exempla eius a profanis scri-

7) Cf. Staeudlin: neue Beiträge z. Erläuterung d. bibl. Proph. p. 129: „Eine symbolische Handlung „muss überschaut, bemerkt werden können, sie muss „nicht lange dauern, sonst ermüdet sie die Zuschauer. „Am besten erreicht sie ihren Zweck, wenn sie „simpel, rasch und feierlich ist."

ptoribus desumta utique sunt brevissima et sententiosa. Verum si illa regula *formam descriptionis* definit, etiam propheta ex suo more brevis est. Brevissimis commemorat iussum Dei, sententiosa sunt nomina liberorum, simplicissima descriptio rerum Israeliticarum, denique quid est quod brevius dictum inveniri possit illa spei designatione 2, 1—3. 3, 5? Nec omittendum est (cf. Rosenmuell. in praef. ad Hos. pag. 27. et nostrae introduct. §. 6.), oracula Hoseae olim dispersa serius demum collecta esse, unde facile efficitur tria priora capita tres particulas, diversis diebus s. annis editas complecti, quarum singulae nullo modo profusione et nimia luxuria laborant. Si autem regula *de facto ipso* valet, quod describitur, tum magis contra allegoriam huius loci quam pro ea allata est, et sententiae de veritate rei novum pondus addit. Nam si vates ex ingenio effigiem hausisset, ut Idanthura Scytharum rex vel illi qui Delphis oracula signis edebant, in signo ipso fortasse brevitas adhibenda fuisset. Verum ea ipsa esset allegoria, vel signis, vel verbis ea exprimeretur. Tum autem regula ita sonaret: si vates allegoriam de matrimonio sumere voluisset, hanc simplicem brevissimo tempore absolutam et paucis signis gestibusque circumscriptam esse oportuisset. Atqui non brevis est: ergo non est allegoria. Vates non voluit, sed habuit rem. Nec habuit modo rem, habuit in animo divinum afflatum, תְּחִלַּת דִּבֶּר יְהוָה, persuasionem: in isto infelici matrimonio contentum fuisse monitum sibi et populo Israelitico de turpitudine idololatriae deque eius certissimis poenis exhibitum.

Itaque re ipsa aliud vituperium cadit: nimiam esse similitudinem facti et rei signatae [9]. Ademto vestitu poetico res plana et simplex restat: descriptio infelicis sed in melius restituti matrimonii, quae quomodo exhibere potuerit conditionis Israelitarum exemplum, e tractatione vatis nostri videbimus. Reliqua exstructioni poematis debentur. Sin autem placet dissimilia requirere, habes in modo, quo vates pactum cum uxore restituit. Uxor accepit favorem a marito ipsi oblatum (וָאֶכְּרֶהָ לִּי 3, 2.), populus Israeliticus semper aeque perversus et Deo non obediens fuit. Uxor sponte correctionem sibi paratam iniit, Israelitae bellis internis et postea Assyriorum vi eam perpeti coacti sunt. Vates conduxit uxoris amorem pretio nummorum et granorum, Israelitis nil nisi miseria contigit.

Qualiscunque res est, neminem fugit, scriptores sacros nil magis amasse, quam ut rebus gestis arcanam significationem, de qua tum, cum gererentur, nondum cogitatum sit, substituerent: ita nec Melchisedeco (Gen. 14, 18.) in mentem venit cogitatio se de rege Davide (Ps. 110, 4.) vel de futuro generis humani servatore (Hebr. 5, 6. 6, 10. 7, 17.) vaticinari, nec Mosi serpentem in perticam efferenti, ut qui eum adspiceret sa-

9) Eichhorn Einl. ins A. T. I. l. „Trägt eine Erzäh-„lung das Gepräge einer wahren Geschichte, wenn „sie nach allen ihren Theilen eine Anwendung auf „eine ihr ganz fremde Sache leidet? — Kurz die „einzelnen Züge des Ehegemäldes unsers Propheten „scheinen zu gewählt, als dass man blos eine zu-„fällige Uebereinkunft des Bildes und Gegenbildes „annehmen kann.“

naretur (Num. 21, 9.), praedicere aliquid de Iesu Christo cruci affigendo (Ioh. 3, 14. 15.), nec Ionae in ventre piscis versanti (Ion. 1, 17.) isto eventu resurrectionem Christi praesagiri (Math. 12, 39. 40.), nec sacerdoti Christi mortem decernenti se impio decreto prophetiam edere de Christi redemtione (Ioh. 11, 50. 51. 52.). At Deo gubernante et mentem hominum movente ille symbolicus sensus in animos sacrorum scriptorum venit. Non igitur video qui aliquem offendat, Hoseam nostrum symbolicarum expositionum studiosum (cf. p. 19.) de suo matrimonio bona fide et ex solo amore suscepto, postquam omnia praeter mentem et exspectationem geri animadverterat, typice cogitasse (cum vates, qui singulari divino favore gaudere et divino spiritu se afflatos esse scirent, in omnibus suis rebus mirificum divinae providentiae ductum, non tam sua, sed hominum, ad quos missi essent, causa exhibitum pie et probe agnovisse satis constet,) eumque, licet spes proximorum eventuum ad res Israeliticas pertinentium ipsum fefellerit, grandiora edidisse de salute Novi Testamenti vaticinia [10]. Cf. pag. 41.

---

10) Hieronymus quamquam nostram sententiam non probat: *nec mirum*, inquit, *si in figura Domini salvatoris et ecclesiae de peccatoribus congregatae haec facta memoremus, cum ipse in hoc eodem dicat propheta: loquar ad prophetas, ego visiones multiplicavi et in manibus prophetarum assimilatus sum, ut quicquid prophetae iubentur operari ad meam referatur similitudinem.* Prooem. ad Hos.

Sensu et dictione aeque cohaerent cap. 4, 1—6, 3. ut illa prior pars hucusque laudata. Constant autem iterum variis particulis variis temporibus ortis. Licet huius varietatis signa ferant, tamen ad unum scopum tendunt, unde apparet, vatem aliquando argumentum antea omissum repetiisse et sic varias particulas adiecto epiphonemate 6, 1—3. in unum opus coniunxisse. Argumentum autem, quod tractant, est dolor et anxietas vatis de crescente depravatione Iudaicarum stirpium, orta ea et aucta exemplo illecebrisque Israelitarum, utrique regno aeque perniciosa. Quod exemplum ut caveant Iudaei, in *prima particula* 4, 1—14. gravissima increpatione describit non solum perversitatem sed etiam turpitudinem, et detrimentum eius designans, non solum insaniam populi sed malitiam et insidias sacerdotum qui specie pietatis effrenatissimas libidines omniaque scelera impudenter propagavissent 4, 4. 13. 14. detegens. In *altera* autem propius ad scopum accedit, commonefaciens Iudaeos, ne illis se adiungant 4, 15., sed infectos ipsos iam esse illorum lue indicans 5, 5. et aucta fervoris vehementia perniciem ab Israelitis adtractam tanquam tubae sonitu in aures Beniaminitarum vociferans v. 9. Illecebras autem a sacerdote et a principibus structas pingit 4, 18. 5, 1. detrimentumque inde oriturum vividis coloribus designat 4, 16. 17. 19. 5, 2. 6. 7. In *tertia* denique habet iam illas Iudaicas tribus vehementer depravatas, habet principes terminos removentes officii 5, 10., habet domum Iudae maturam quae absumatur v. 12., habet Iudaeos ulcerum plenos v. 13. simul cum Israelitis pares poenas a Deo iis illatum iri comminatus v. 14.,

idem utrisque consilium idemque solatium impertiens 6, 1—3.

Civibus degenerantibus in solis stirpibus Iudaicis vatis fiducia erat posita, fore ut vel earum auxilio res Israelitarum ad incitas redactae aliquando restituerentur, vel illis certe promissa felicitas et foedus Dei cum Abrahamo factum servaretur 1, 6. 2, 3. 5, 5. Verum Iudaei ipsi a patria pietate magis magisque aberrabant. Rex Usias, Sacharia et pio et sapiente amico et tutore mortuo, in severitate morum et candore cultus sui remissus errores populi facilius ferebat 2 Chron. 27, 5. 16. cf. pag. 11. Omnino cultum divinum, ubi non ad consilia politica pertinebat, neglexisse videtur, quod certe tristis vitae finis significat. Itaque a rege suo destituti et ab Israelitis invitati in omnem illam superstitionem irruere incipiebant, cuius incrementa regnantibus Usiae successoribus Iothamo et Ahaso ingravescebant. Decidit igitur illud unum solatium, quod vates noster hucusque constanter tenuerat. Hinc animi angor, qui poetae copiam dicendi suppeditavit, qui autem gravior factus est, postquam fata et finis regis Usiae innotuerant. Intellexit denique et Iudaeos esse a Deo reprobatos nec rem esse ita comparatam ut antea, ubi patria pietas peculiare solum sibi in terra duarum tribuum stravisset, contra, antequam denuo salus sperari possit, utrique genti eundem reditum ad meliorem frugem esse instituendum.

Quodsi de origine uniuscuiusque harum particularum quaeritur, prior, 4, 1—5, 9. tempore cohaerere videtur. Descriptio depravationis Israelitarum 4, 1—14. praeparat orationem

c. 4, 15 – 5, 9., quae ipsa semper ad illam respicere videtur. Exhibita est non multo post vaticinia c. 1 — 3. In promtu erant vati symbolicae illae formulae de adultera matre deque spuriis filiis cf. 4, 5. 5, 7. Verum depravatio populi temporibus calamitosis interregni percrebruerat, nam descriptio scelerum multo severior et vehementior est illis trium priorum capitum. Regnum Iudaicum adhuc florebat, verum non ita ut singulari divina benignitate dignum esset, quemadmodum 1, 7. Concordia utriusque regni nondum turbata erat scelesto illo foedere Pekahi regis Samariae cum Rezino rege Syriae contra regem Iothamum et Ahasum, siquidem ex universa oratione prophetae commercium utriusque stirpis iusto familiarius fuisse apparet. Si de calamitatibus, quae 4, 5. commemorantur, aliquid in libris historicis nobis memoriae proditum esset, ducem haberemus in tenebris hisce. Verum quamquam Ies. 24, 3 sqq. Ioel 1, 10 sqq. Amos 1, 2. 4, 6. de iisdem poetice loquuntur, fuisse locustas, siccitatem et ignem, quae frugibus camporum destructis terrorem incolis utriusque imperii iniecissent, quae praeterea plagae divinitus immissae fuissent, tamen neque ex illis locis neque e libris historicis aliquid efficitur. Narrant isti quidem famem et temporibus Iothami filii Ahabi regis Israel 2 Reg. 8, 1. et temporibus Iosiae regis Iudae Ier. 14, 1. 2. terram vexasse, sed utraque res nihil ad nos pertinet. Maioris momenti sunt, quae 4, 1. 2. referuntur de statu imperii corrupto, qui procul dubio durante interregno fuerat, et 5, 1. de domo regia, unde apparet familiam regiam adhuc exstitisse, quae quidem non alia nisi regis Iehu esse potest.

Simili honoris significatione 1, 4. בֵּית יֵהוּא appellata erat. Erat enim utique regis familia eaque a Deo vocata 2 Reg. 9, 2. cf. 10, 30. Postea prophetae Israelitarum nil de regia aliqua familia sciverunt, quippe qui post Sachariam imperium usurpantes nomine regio ornatos ne reges quidem agnoverunt. Fuerunt enim Deo non intercedente ex solo plebis arbitrio constituti. Iaque etiam vates noster de ultimis Israelitarum regibus loquens multo contumeliosioribus modis utitur cf. 7, 5. 8, 4. 9, 15. 10, 15. Sed h. l. regiae familiae commemoratio optime illis descriptionibus ad tempora interregni pertinentibus convenit.

Fortasse tum, cum vates hanc prophetiam edidit, vix tandem interregni motus composi tierant. Sacharias ultima Iehu soboles solium patris ascenderat. Verum tantum aberat, ut pietate sua rem publicam restitueret, ut ipse impudenti idololatriae se dederet. Flagitia interregni adhuc inhaerebant civibus nec legibus nec cultu Dei coercitis, rex ipse laxa manu res Israelitarum moderatus est, non tutor salutis, sed *laqueus* 5, 1. ad perdendum suum sibique cognatum populum paratus, qui vix dignitate regia potitus brevi ab ea removendus erat. Itaque Deus omnibus e regia domo *correctionem paraverat* 5, 2.; *etenim*, ait, *labentur inter peccata sua* v. 5. Qui propterea, quod c. 4. regis et regiae domus non fiat mentio, cum tamen eius copia sit praecipue v. 4. (ubi neminem esse qui pravos increpet et reprehendat legatur, postea autem v. 4. et 9. sacerdotes tantum pari contentione contra Deum deprehensi nominentur), contendere vellet v. 4. alio tempore confectum fuisse quam 5, 1., nimirum tempore ubi nemo rex fuerit: is regulam

migraret, *de silentio non valere consequentiam.* Vates gradatim disserit, et quemadmodum antea sacerdotes increpuerat, ita tunc eius increpatio ad domum regiam processit. Veritati igitur propius accedere putamus contendendo totam particulam c. 4, 1–5, 9. circiter 7–8 annos post c. 1 — 3. statim post constitutum regem Sachariam esse compositam.

Ceterum de isto rege et regia familia plane aliter statuerunt interpretes. Putant Lightfoot in chronol. sacr. p. 102. Seb. Schmidt in comment. ad h. l. p. 205. et Rosenmueller in argumento ad c. 5. p. 167. tempore Ahasi integrum caput quintum editum fuisse, postquam Menahem se tributarium fecerit regi Assyriae et Ahas auxilium Tiglath Pileseris imploraverit. Verum tempora Menahemi et Ahasi non in unum idemque momentum incidunt. Ahas enim certe 18 annos post Menahemum insignibus regiis vestitus est. Deinde temporibus Ahasi plane aliud auxilium ab Israelitis quaerebatur, auxilium Rezini regis Syriae, cf. ad 5, 13. Denique 5, 13. omnino de alio rege sermo est, quam v. 1.; nam licet cum argumento et consilio vatis uterque locus cohaereat, tamen tempore non idem fuit.

Anni enim labebantur: familia Iehu extincta erat: Menahem usurpando imperio Israelitarum potitus aeque nefarius erat atque antecessores. Usiae regis Iudaici superbissima impietas ita innotuerat, ut a Iehova lepra plecteretur. Israelitae auxilium quaesiverant ab Assyriis, quorum regi se illi tributarios fecerant. 2 Reg. 15, 19. Jam in eo erant vaticinia Hoseae, ut eventu probarentur. Itaque denuo redit vates ad illud argumentum, de quo prius et fortasse pluries inania

verba fecerat. Addit graves improbationes principum et populi utriusque imperii, eorum impietatem aptis coloribus pingit, donec finem toti poemati imponit hac quidem sententia: omnem miseriam a Deo iis esse appensam, ut poenas luant peccatorum, utque commoveantur ad Deum in tantis rerum angustiis studiose quaerendum, qui semper revertentibus propitius sit 5, 10. 6, 3. Itaque haec particula ad tempora Menahemi pertinet, quo regnante id evenit, quod 5, 13. commemoratur. S. V. Kuinoel in historia temporum ad Hoseae oracula p. XVI. „haud dubie“ inquit „Tiphsahitae, incolae urbis quae par- „tes trucidati regis adhuc tenebat, in summum „discrimen adducti Phulis Assyriorum regis au- „xilium implorarant. Hic saltem paulo post ex- „pugnationem oppidi illius magno exercitu sti- „patus Israelitarum regiones invasit. Sed Mena- „hemus probe intelligens, si belli fortunam ex- „periri vellet, inferiorem se discessurum, ad hanc „calamitatem avertendam solvit mille talenta.“ Huius Menahemi temporibus turpissimo morbo Usias adfectus est; quonam vero anno, non liquet [11]). Cum igitur utrumque factum tempore

---

11) Non intelligo unde V. Ill. Kuinoel in commentario saepius laudato sumserit id evenisse 4 annis ante mortem eiusdem Usiae regis cf. historia regum praemissa pag. XV. nisi ex eo, quod 2 Reg. 15, 30. dicitur Pekah Israelitarum rex mortuus esse vicesimo anno Iothami filii Usiae, quem tamen tantum per 16 anos regnavisse ex aliis locis constat, et quod ita Kuinoel 4 reliquos annos consortio imperii Iothami cum leproso patre tribuit. — In meo certe exemplo illius commentarii magnus error deprehenditur. Tabula

conveniat, eodem modo, ut vituperationes utriusque regni nostro loco coniunguntur, vatem huc respexisse totus verborum nexus suadet. Suppeditat enim illud triste fatum Usiae regis facillimam expeditionem rei, quae interpretes vexavit, scil. unde tertium comparationis in verbis הָיוּ שָׂרֵי יְהוּדָה כְּמַסִּיגֵי גְבוּל petendum sit. Mutavit Usias rex Iudaeorum terminos regiae dignitatis, ubi huic sacerdotale officium adsociandi consilium cepit. Nec offendere nos potest, quod nomine שָׂרֵי usus sit, cum de rege, מֶלֶךְ, criminatio valeat. Nimirum et propter reverentiam regi Iudaeorum eiusque familiae debitam id disertis verbis designare noluit, quod illis temporibus neminem vel lectorum vel auditorum fugiebat, et poetice tribuit pluribus שָׂרִים quod de uno tantum מֶלֶךְ valuit, cf. 7, 7. Quod autem imagines attinet, earum vis nullo alio modo vere aestimari poterit: *effundam super eos ceu aquam indignationem meam* עֲלֵיהֶם אֶשְׁפּוֹךְ כַּמַּיִם, *absumam domum*

enim synchronistica omnino regem Pekahum omittit, trucidationem Pekahiahi illius antecessoris in annum 3454 ponit, quo secundum nostram computandi rationem Pekah occisus est. In praemissa autem regum historia ex eodem errore iterum iterumque Pekahiah loco Pekahi legitur. — Verum ex omni Kuinoelii narrationis nexu procedit, cruentum facinus Hoseae, quod ille trucidationem Pekahiahi, libri sacri 2 Reg. 15, 30. trucidationem Pekahi appellant, 3 annis post mortem Iothami vel secundum ipsius Viri S. V. sententiam evenisse. Ex quo porro eundem Virum S. V. ut omnes interpretes libris historicis V. T. ducibus annos Pekahi non a consortio imperii Iothami, sed a morte Usiae numerasse apparet.

Iudae quasi putredo כָּרָקָב, *sentiet Iuda vulnus suum* מְזוֹרוֹ, *discerpet Deus ceu leo rugiens Iudam* אֲנִי אֶטְרֹף. Vati quodlibet verbum diligentissime ponderanti aliquid casu excidisse, quod tantopere ad rem peculiarem tendit, vix credam. Eleganter illae imagines pingunt, ubi foetidorum ulcerum Usiae regis lectorem commonefieri existimaverimus. Obiiciant interpretes easdem imagines et de altera stirpe Iacobitica, cuius nemo principum pari lue infectus fuerit, adhiberi. Verum quid, si propheta in illo regis fato effigiem fatorum utriusque stirpis vidit coloribusque ex eodem fato petitis usus fuit ad hanc effigiem significandam? Verba certe hanc sententiam probant. De iis quae ad Iudaeos spectant iam diximus, sed etiam Ephraimum vocat רְצוּץ מִשְׁפָּט עָשׁוּק eodem modo, ut in rege iudicium lege constitutum impletum sit. Num. 18, 7. Addit causam iudicii: quoniam sectatus sit אַחֲרֵי־צָו *mandata humana*, pariter atque rex, qui divinis mandatis neglectis legem sibi faciens morbo percussus sit. Sentit Ephraim morbum, quemadmodum ille rex. — Cum autem nemo civium ei mederi possit, ad gentes exteras mittit qui peterent auxilium. Frustra! Deus inflixit vulnus, solus Deus sanare potest, sicuti leprosi nulla medicina nisi Deo intercedente sanari poterant. Deus morbo regem adfecit, ipse curam huius morbi arcanam sibi, i. e. sacerdotibus vice ipsius fungentibus asservavit. — Quae huius nostri loci explicatio ut verbis et tempori convenit, ita optime ingenio vatis respondet, quem tales symbolicas expositiones amare iam ex initio vaticiniorum cognovimus.

Inde a c. 6, 4. usque ad c. 12. mera habemus fragmenta e reliquiis vatis collecta, quae nullo vinculo inter se cohaerent. Confecta videntur prouti tempus et animi impetus prophetae occasionem suppeditaverunt.

Atque in primo fragmento 6, 4–11. iterum invehitur auctor in utriusque stirpis pravitatem. Impatientes omnium divinorum monitorum omnem pietatem veram probatamque esse opinabantur, modo sacrificia offerrent, quae ipsa non Deo omnipotenti sed idolis oblata erant v. 10. Cuius erroris culpae utraque stirps obnoxia erat, maxime Israelitica, quae exemplo et insidiis suis Iudaicam in eandem perniciem abduxit v. 11. Repetit igitur vates virorum sacrorum monita, qui dudum iam, longe alia pietate opus esse quam sacrificiis et holocaustis, nimirum benevolentia et benefactis, docuerant, quos quidem et intelligere et sequi illi recusaverant. Quam alieni ab ista pietate sint, exemplis terribilibus morum depravationem significantibus describit v. 8. 9. Quorum unum nobis tempus indicat, e quo fragmentum nostrum ad nos pervenerit. Gileaditarum flagitia sanguinolenta commemorat. Cum autem Gileaditae fuerint, qui in nefaria trucidatione regis Pekahiahi successorem eius Pekahum iuverant 2 Reg. 15, 25., omnes fere interpretes in eo consentiunt, vatem h. l. id ipsum factum respexisse orationemque habitam esse primis temporibus Pekahi regis Israelici. Quam aptissimam sententiam nos quoque retinere satius duximus. Genus autem dicendi simile est prioribus partibus: aeque breves enunciationes, quibus quamquam obiter tantum attingere videtur illorum temporum conditionem, tamen, ut ipse

dicit v. 6., penitus confringit et percutit suorum animos.

Hoc excipit aliud fragmentum 7, 1–7. in quo tamquam tabula depicta est pars vitae Pekahiahi, regis Israelitarum. Pauca de eo nobis restant 2 Reg. 15, 23—25. Sed sufficiunt, quibus regem effoeminatum, libidinosum, ignavia obsopitum cognoscamus, qui fiduciam collocans in principibus et dilectis suis, gravissima eorum conspiratione oppressus est. Dum enim inter convivia et pocula bono animo sedens, ludibriis et adulatione callidorum coniuratorum delectatus eorumque petulantiae particeps fit, ex inopinato a Pekaho ducibus Argod et Arie et 50 Gileaditis stipato oppressus in ipso palatio trucidatur. De nullo alio regum, qui tempore Hoseae vixerunt, tam apte descriptio loci nostri valet, vel mores vel finem vitae eius respiciamus. Totus verborum contextus docet, sermonem esse, de gravi aliquo seditioso molimine. Rex comissationibus impeditus est quominus motus circum se praeparatos animadvertat v. 5. Auctor seditionis tamquam fur intrat, consortes facinoris effundunt se foris v. 1. At insidias parans securitatem, amicitiam regis iocosque simulat v. 3. Ita quasi dormiens versatur, machinationes noctis tenebris tegens v. 4. 6. Coniurati vigilant, sicut massa ad fermentationem excitata v. 4. et quanto propius accedit facinoris tempus tanto fervidius ardent in sanguinolentis consiliis v. 6. 7. Cum autem hora edicta venit, omnes prorumpunt et in interitum rapiunt sanctissima reipublicae capita. Pluralis אֶת־שֹׁפְטֵיהֶם iterum, ut 5, 10. שָׂרִים

poetice pro nomine regis positus esse patet. Certe utrum hac an ulla alia seditione Israelitica simul cum rege principes ei familiares ceciderint nescimus. Ceterum vates omnem rem ita imaginibus circumvolvit, ut prudentiam cautumque eius animum in describendo inde cognoscamus. Unde equidem omnino non effecerim, utrumne Hoseas, quem fortasse illud facinus dum praeparabatur non fugit, hoc sermone regem et amicos eius ut sibi caverent aut resipiscerent monuerit, an postquam eruperat suo modo pinxerit, ut omnium tantorum flagitiorum odium excitaret exemplumque ederet, ad quem finem protervia, ignavia et luxuries illorum temporum perducere possit.

Elegantia huius poematis e facultate vatis simplicibus levibusque imaginibus graves res significandi ponderari debet. Si quem vilitas pistoris et fornacis offendit, is profecto etiam Homerum magnas descriptiones iusto nimium exiguis imaginibus ornavisse accusabit. Qui autem vatem propterea vituperat, quod e metaphora exciderit, et quod antea massa fuerit ad fermentandum excitata subito in flammam et clibanum mutaverit, is aliquantulum ignoscat fervido eius ingenio regularum subtilium nostrarum de venustate poematis impatienti. In toto fragmento nil interpretem vere, opinor, offendet, nisi participium מְנָאֲפִים v. 4.; nam quid moechi s. idololatrae h. l. sibi velint, nulla arte expedietur. Verum facillima verborum emendatione haec quoque difficultas amovebitur. cf. ad 7, 4.

Mihi certe huius fragmenti verba ita comparata videntur, ut omnia ad unam rem spectent, ad effigiem aulae regiae effoeminatissimae, et ad

secretas machinationes scelestissimorum hominum. Unde S. V. Eichhornio non assentiar, qui eorum nexum ita discerpsit, ut fere in quolibet versu nova sententia deprehendatur, quique vatis increpationem ubique ad universum populum directam censuit cum tantummodo de aliqua scelerata eius parte sermo valere videatur.

Monet pronomen כָּהֶם medio versu septimo novam orationem inchoari, vel potius fragmentum multo seriore tempore ortum exhiberi. Ceciderant reges Israelitarum deinceps. Respublica magis magisque ad interitum vergebat. Verum nemo erat qui unam et veram salutem quaereret, auxilium, puta, Iehovae. Contra ut columba pellecta quam mens deficit, modo huc modo illuc se contulerant, modo Assyriorum amicitiam magno soluto pretio sibi conciliaverant, modo istius foederis taedio capti ad Aegyptios confugerant. Ita vere senio fuerunt confecti v. 9.; senes enim vi et firmitate in factis consiliisque carent, et obitus iis iminet v. 13.

Huius igitur fragmenti argumentum ab argumento prioris cap. 7. particulae prorsus differt. Vates sibi saepissime illam spem 2, 1—3. et 3, 5. animo repetiisse videtur, fore ut exstincta regia familia Iehu Israelitae rege Iovae probato destituti se regi e familia Davidis subiicerent. Tunc enim simul rediissent ad verum Iehovae cultum Hierosolymae inquilinum, et ita cum universa gente Iacobitica bene actum fuisset. Verum et Iehu progenies exstirpata erat, et plures reges deplorabili nece perierant. Israelitae tantae aversationi Iehovae tantoque Iudaicarum rerum odio

se dederant, ut adeo terribile bellum regibus Iothamo et Ahaso inferrent. Et quamquam aliquoties calamitatibus oppressi ad Deum conclamabant, non tamen favor Iehovae, sed triticum mustumque et quicquid voluptatibus satisfaceret, curae cordique iis erat. Spes autem auxilii et ab idolis v. 10. et a barbaris v. 9. exspectati eos frustrata erat. Vates hunc suorum stuporem carmine fere elegiaco luget, penitus, ut videtur, spe privatus, quam aliquando foverat. Nil enim auguratur nisi detrimentum idque proxime instans. Atque quid mirum, tam inepta consilia in eorum interitum cessisse? Postquam enim inbecillitati rebusque dissolutis perfidiam addiderant, facile Hoseas divinare poterat, fore ut Assyrii hac perfidia ad iram provocati cruentam sumerent eius vindictam.

Haec de argumento et occasione carminis cogitanti paucae temporis notationes temporibus regis Hoseae id assignare suadent. Historia regum Israeliticorum nihil praeterea de commercio cum Aegyptiis refert. Syri quidem saepius commemorantur et hostes Israelitarum, et foedere iis iuncti, Aegyptii nusquam, siquidem ipse regni situs cum iis commercium reddebat certe molestissimum. Inter regnum Israeliticum et Aegyptiacum terra duarum tribuum interiacebat, quam ut praeteriret Aegyptiorum exercitus, vel navibus ad Israelitas traiiceret, vel angustum terrae tractum a Philistaeis occupatum permearet necesse erat. Quo factum est, ut Israelitae Iudaeos oppugnaturi Syrorum, non Aegyptiorum opem implorarent 2 Reg. 16, 5. E coniectura autem commercium aliquod Israelitarum cum Aegyptiis sumere cum historiae vestigiis careamus, non

placet. Quamobrem vel S. V. Eichhornio assentiri nequeo, qui naturale commercium iam antiquitus inter Israelitas et Aegyptios, finitimas nationes, exstitisse contendit omniaque oracula Aegyptios pertinentia in antiquiora tempora ablegat (Hebr. Propheten Tom. I, p. 102. 112 sqq.). Hoseam autem regem ab Assyriis iusto durius tractatum legatos ad Aegyptios misisse certo scimus 2 Reg. 17, 4. Quae historiae commemoratio cum argumento carminis nostri conveniat, id ipsum carmen temporibus Hoseae regis adscribere non dubito.

Cur autem inter multo antiquiora vatis fragmenta locum obtineat, id si quem offendit, causam in eo reperio, quod serus Iudaeus fragmenta Hoseae congerens, similitudine et initii, ubi de regum interitu sermo est, et imaginis v. 8. cum praecedentibus deceptus utramque particulam inter se cohaerere censuit. Inepte quidem; nam inde a medio versu septimo de longe alia re sermonem esse, quam ab initio capitis, illustratione argumenti effecimus. Malim igitur ineptiarum accusare Iudaeum congerentem, quam cum plurimis interpretibus prophetam criminari omnis boni sensus expertem imagines ita miscuisse, ut, qui paullo antea massa fermentata postea ignis et fornax fuerint, eos iam placentae non versae uno tenore assimilaverit.

Ab initio capitis octavi usque ad v. 10. nova oratio exhibetur, quae, quod tempus adtinet, post 5, 9. collocanda videtur. Incipit enim ut illa desierat. Vates nempe clangore tubae minas instantium poenarum edens animos suorum ter-

ret, ita ut ne edicat quidem, quae sonitu tubae indicentur, minas illius buccinae nondum oblivioni traditas esse probe sentiens.

Evenerat id quod patriam vatis ad perniciem concito cursu rapiebat. Assyrii pellecti erant in terram Israeliticam v. 9. 10., Israelitae Deo non addicente sed reditum ad reges Davidicos postulante, spatio unius anni reges sibi constituerant Sallumum et Menahemum v. 4. atque sic et infelix separatio a regno cultuque Hierosolymitano invaluerat, et idololatriae vis novum incrementum ceperat v. 4. Quid iuvat nunc mendax eorum eiulatus v. 2.? Deo se subtraxerunt v. 3.; videant quibus bonis illi, quos Deo praetulerint, remuneraturi sint v. 3. 4. At vitulus in pulverem conteretur, quem ventus absorbebit, quocum simul absorbebitur Israel v. 6–8., barbari hostili animo irruent v. 3., eorum oneri regnum succumbet v. 10.

Vati haec oracula vel sine divino afflatu e statu imperii et e conditione civium petere licuit. Reges imbecilles erant, et domi impotentes et foris crescenti vi finitimarum gentium impares. Arcessitus barbarorum vitium erat politicum, quod aeque imperii fundamenta labefactaverat (cf. p. 25.) ac Dei iram provocaverat. cf. Deut. 7. Assyrii, ferociores Syris et Aegyptiis, clementiam ignorabant. Libidinosus Baalium cultus animos et corpora debilitaverat. Omnia eventu comprobata sunt. Assyrii simulatque opes et amoenitatem Israeliticae terrae degustaverant, imbecillitati regni illuserunt, cives captivos abduxerunt, reges sibi subiecerunt.

Itaque videmus, omnia in eo convenire, referenda esse huius particulae effata ad tempora

et imperii statum sub Menahemo, ubi spes restitutionis universae gentis Iacobiticae post extinctam familiam Iehu vatem fefellerat, ubi loco promissorum bonorum 2, 2. Assyrii terram sacram intraverant, ubi res in peius conversae erant. Quas peculiaris et singularis argumenti notas observaturi poematis elegantiam magis percipiemus quam illi, qui vatem spem universalem tractasse censent. Hieronymus v. c. vituperationem spontaneae regum electionis v. 4. de temporibus Ierobeami I. interpretatur. „Non enim," inquit, „quia „Deus Salomoni iratus regnum eius dividi voluit, „idcirco Israel bene suscepit regem. Debuerat enim „iuxta legis praecepta Deum interrogare an vellet „hoc fieri." Quem secuti plerique interpretes vatem nostrum proterviam Israelitarum in separato regno sibi constituendo in universum spectavisse negligentiamque divinorum praeceptorum quovis tempore inter Israelitas conspicuam vituperasse contenderunt. Quod quidem Seb. Schmidt ad h. l. ita restringit, ut dicat: non tam accusari Ierobeami I. etiam a populo factam electionem, quam solii regii impiam constitutionem. In quam fere sententiam Eichhorn quoque abit (Hebr. Proph. I, p. 109.): „Durch wie vieles verschul-„dete sich Israel, durch Abfall vom Hause Da-„vids, durch Abgötterey, durch Bilderdienst" et not. ad h. l.: „Wer Davids Haus vom Throne „verdrängte, war nicht nach Gottes Willen Kö-nig." Verum et 1 Reg. 11, 29—39. Dei decretum fuisse fertur, ut 10 tribus a regno Davidico avellerentur, prophetamque Ahiam ab eo missum esse, ut regnum illarum tribuum ad Ierobeamum I. deferret; et 2 Reg. 9, 1—9. Iehu filius Iosaphati per Elisam Deo dilectissimum pro-

phetam rex ungitur. Ex quo de plane alia arbitraria populi actione h. l. sermonem esse facile intelligitur, quam quidem in Sallumo et Menahemo habemus.

Nova oratio a 8, 11. usque ad 9, 7. porrigitur. Quae in ea continentur neque temporis neque historiae aliqua notatione insigniuntur. Itaque ea universalis argumenti fuisse videntur. Serius scripta sunt, verum non ultimis regni temporibus, omnino temporibus, ubi Israel fertilitate terrae et abundantia frumenti mustique gaudebat. Fuerunt, qui dicerent, his indicari regnum Ierobeami II., cuius aetati descriptio illa de opibus, divitiis ac florente populi conditione conveniat, v. c. Kuinoel ad 9, 1. Verum cum illa sententia nulla alia re nitatur, nisi quod altarium, arcium, copiarum, quibus repletae sint areae, argentearumque deliciarum mentio fit, totus reliquus nexus ei repugnat. Palatia arcesque et e temporibus Ierobeami II. supererant, et temporibus diuturnioris imperii, quod v. c. Menahem per decem, Pekah per viginti annos obtinuerunt, tanto faciliori negotio exstrui poterant, quanto audacius illum civium aere usum fuisse e 2 Reg. 15, 21., hunc opibus suis ita superbiisse, ut bellum contra reges Hierosolymitanos moliretur e 2 Reg. 16, 5. intelligimus. Fortasse uterque rex latentem miseriam tali splendore texit. Idem splendor de Iudaeis refertur 8, 14. quorum reges et Usiam et Iothamum copiam urbium et arcium munitarum in montibus silvisque auxisse 2 Chron. 26, 9. 10. et 27, 3. 4. legimus. Est autem nostrum fragmentum primus

vaticiniorum Hoseae locus, in quo instans exilium diserte commemoratur. Vidimus p. 39. et videbimus in explicatione singulorum commatum posse quidem verba c. 3, 4. ita tractari, ut tandem ad minas exilii veniamus. Verum tempore illius loci, haud multo post Ierobeamum II., cum praeter recentem Ioahasi et Ierobeami triumphorum memoriam fines Israelitarum ab exterorum hostium vi incolumes essent, nondum vati eximio amore patriam amplectenti tantae rerum vices in mentem venire poterant. Itaque c. 1 - 3. in universum tantum de correctione ipsi destinata loquitur, et ubi dictiones occurrunt, quae posterius fatum attingunt, eae tantum in gratiam symbolici matrimonii suo modo compositae videntur. Eadem est reliquorum locorum p. 39. laudatorum ratio.

Multo apertius nostro loco pronunciatur: *non manebunt in terrâ Iehovae: redibit Ephraim in Aegyptum et apud Assyrios immundis cibis vescentur.* Evenerant igitur multa, quae hoc exilium imminens promoverent. Assyrii a civibus Israeliticis invitati invaserant patriam, et tanta erat imbecillitas contumeliaque Israelitarum, ut rex Menahem magno argenti pondere soluto amicitiam regis Assyriae redimeret. Fortasse inde ab hoc tempore Assyrii Israelitas vexare non desierunt. Quid, si vates in tanto rerum periculo clarius vidit tempus instare, quo antiquum vaticinium Mosis Deut. 28, 15-68. eventu comprobaretur: *abducet vos Iehova, pariter atque regem, quem vobis creaveritis, in gentem et nobis et maioribus vestris ignotam, ubi Deos alienos ligneos et lapideos coletis?* v. 36. cf. p. 40. Verum eo vaticinio diserte monitum erat, fore

ut in Aegyptum abducerentur: *vosque in Aegyptum Iova classe reportabit, in servos servasque inimicis vestris sine ullo assertore vendendos.* v. 68. Quamquam igitur adhuc cum Aegyptiis pacati degebant, tamen vates praevio tanto vaticinio anceps haerebat, utrum ab Assyriis an ab Aegyptiis illa praedicta pernicies ventura sit. Certe a partibus Assyriorum periculum propius aberat, de quibus adeo illa v. 36. verba valebant. Aegyptios autem vaticinium appellaverat. Hanc ambiguitatem vates sentiens utrumque Aegyptios et Assyrios coniunxit, ita tamen, ut fidem Mosi debitam servaturus magis Aegyptios timeret 8, 13. 9, 6.

Quibus omnibus animo perpensis hanc vatis orationem vel in posteriora tempora Menahemi vel in media Pekahi incidere putaverim, ubi res pacatiores fuerunt, ubi populus et praeteritarum calamitatum oblitus, et de abundantia messium laetus, et magnificis sacrificiis superbiens, palatiis arcibusque exstruendis libenter opem tulit. Tum occasio fuit Hoseae suos monendi, ne securitati se committerent; instare enim tempus, quo propter perpetuam improbitatem id perpessuri sint, quod Moses iam vaticinatus esset; Assyrios iam esse paratos ad perdendum populum; Aegyptios esse illum formidabilem inimicum, quem ad vexandum Iacobi prolem Iehova iam dudum excitaverit, quemque ad vindictam sumendam secundum illud vaticinium nisi resipiscant suo tempore evocaturus sit. Id unum praeterea moneam, vaticinium nostrum ante irruptionem Tiglath-Pileseris propterea prolatum videri, quoniam Aegyptii multo solenniori commemoratione quam Assyrii laudantur. Quodsi vates iam tot cives

superioris Galilaeae et tribuum Transiordanensium ab illo rege barbaro abductos vidisset 2 Reg. 15, 29., res non amplius anceps fuisset. Assyrii ipsi fuissent hostes maxime formidabiles et exilium Assyriacum eadem diligentia a vate certiore facto indicatum fuisset, qua a dubitante Aegyptiacum laudatur 9, 6.

Ceterum argumentum totius carminis egregia expositione tractatur. Gloriati erant Israelitae de florescente statu reipublicae, qui nostri aliorumque v. c. Amosi, Iesaiae vaticinia regno interitum minantia mendacii coarguere videbatur. Dixerant fortasse: non solum sacrificia Deo obtulimus, sed plura etiam quam olim, plura enim altaria exstruximus 8, 11. 13., conspicite palatia nostra arcesque Iudaeorum v. 14., degustate panem et vinum, quibus torcularia nostra areaeque abundant 9, 1. 2., num ea omnia signa sunt iratorum numinum? His respondet vates: et altaribus vestris contra Dei praeceptum utimini cf. Lev. 17, 4. 5. 9. Deut. 12, 5. 8. 11. 13., et leges pietatis benevolentiaeque illis sacrificiis multo praestantiores cf. 6, 6. tamquam alieni quid consideratis 8, 12. Itaque sacrificia vobis peccato sunt v. 11. a Deo punienda v. 13. Quod autem et ad palatia, et ad sulcorum vinearumque proventus pertinet, nec in illis secure sedebitis 8, 13., nec area torcularique pascemini 9, 3. Memores estote illius Mosis vaticinii exilium vobis minantis, cui obnoxios impietate vestra vos ipsos praestitistis. Inter barbaros cibum et potum inquinatum capietis, nec erit unde Iovae sacra faciatis 9, 4., palatia igne consumentur 8, 14., eorum loca urticae occupabunt spinaeque 9, 6., dies autem festos nece vestra celebrabitis 5. 6. Nolite igitur

vindictam Dei provocare, nam illius vaticinii tempus instat v. 7.

Iterum medio versu 7 – 9. aliud fragmentum sequitur, idque brevissimum, quod sensu et cum praecedenti et cum sequenti incommode (vid. commentar. ad 9, 7.), optime contra cum alia parte cohaeret. Itaque a 10, 9. avulsum ibique suo loco reponendum putamus.

Cohaerens et in se absoluta particula exhibetur 9, 10—17., cuius argumentum facillime cognoscitur, nimirum vehemens increpatio scelestissimi cultus Baal-Peoris. Quoties Israelitae pietatem erga Iehovam strenuamque ei debitam reverentiam prae se tulerunt, toties facta ipsa contradixerunt. Quid enim Iehovae cum illis libidinosis moribus ad cultum Baalis pertinentibus, de quibus iam 4, 11—14. vates locutus est, quid cum liberorum immolatione? Verum rudi genti institutionisque per prophetas impatienti ea potissimum placuerunt, quae cogitatione et verecundia non egentia sensus solidiore modo tangebant. In his et sacratae voluptates libidinibus iucundae, et immolationes liberorum e stupidissima ignorantia divinae iustitiae ortae. cf. p. 32 sq. Quorum sacrificiorum insaniam Iacobitae iam in deserto adamaverant Lev. 20, 2—5. Deut. 12, 31. 18, 10., vehementius etiam eandem amplexi, postquam Baalis cultus terram sacram intravit, vehementissime, postquam ille cultus ab impio rege Ahaso sacris publicis lege adnexus est. 2 Reg. 17, 17. 2 Chron. 28, 2. 3. Ez. 20, 31. 23, 37.

Quamquam post familiae Ahabi eiusque sacerdotum cruentam trucidationem 2 Reg. 10, 1–28. ab illo Baalitico cultu aliquantulum remissum erat, tamen iterato furore natio eius scelestissima sacrificia repetiit, postquam Ierobeam II. bellis feliciter gestis pristinisque suis occidentalibus et septentrionalibus provinciis receptis novum commercium cum urbe Tyro instituit. Inter Phoenices potissimum infantes immolari solitos fuisse ex historia constat (vid. ad 10, 13). Vates exspectaverat, fore ut reges et principes meliora sentientes illam insaniam vi et auctoritate sua tollerent. Frustra! Principes omnes refractarii fuerunt v. 15. siquidem vel Iudaicos reges eiusdem furoris consortes fuisse legimus 2 Reg. 16, 3. Itaque nil relictum erat, quam ut vates accerrimis comminationibus populum coërceret, quibus id adiecit, quod tunc demum, ut supra pag. 79. vidimus, animo eius patuit, fore ut cives ob tanta flagitia patria et libertate indigni inter barbaros servi et captivi emitterentur v. 15. 17. Cum autem et in nostro loco illud fatum imminens nondum accuratius describatur, haec quoque prophetia ante tempora Tiglath-Pileseris edita videtur.

Plerique interpretum de hoc scelestissimo sacrificiorum genere non cogitarunt, fortasse quoniam in aliis SSae locis non ad Baalis, sed ad Molochi cultum refertur. Sed ex historiae documentis effici potest utrumque sacratis ritibus et institutionibus non multum inter se dissimilem fuisse. Moloch idolum vocatur Ammonitarum 1 Reg. 11, 7., Baal Peor Midianitarum et Moabitarum Num. 25, 1. 3. 6. 17. 18. Paullo ante Ammonitas et Moabitas finitimas stirpes Canaa-

nem incoluisse legitur 21, 13. 23. 26. cf. Deut. 2, 18. 19. Ios. 13, 25. 32. ex quo eosdem ritus sacros ex altera terra in alteram transmigrasse et existimari potest, et exemplo Mesae regis Moabitarum confirmatur 2 Reg. 3, 27., qui ad Deos placandos filium immolavit. Unde etiam Oecumenius ad Act. 7, 43. Molochum *εἴδωλον Μοαβιτῶν* vocat. E pluribus locis V. T. idem apparet: Ps. 106, 28—39., ubi de Baal-Peore sermo est, una serie eiusdem immolationis scelus recensetur; 2 Reg. 17, 16. 17. itidem commemorationi Baalis adnectitur; Ier. 19, 5. et 32, 35. illa excelsa, in quibus liberi comburebantur, diserte excelsa Baalis vocantur; adeo Ier. 32, 35. nomina Molochi et Baalis alternis vicibus leguntur, dum Iudaei sacella in valle Ben-Hinnom Baali construxisse ad natos natasque Molocho ibi traiiciendos narrantur. Itaque idolum illud Ammonitarum proprie Moloch appellatum, cui profana sacra in valle Ben-Hinnom fiebant, quin nomine tantum a reliquis Baalium generibus, quae ab omnibus illis barbaris nationibus divino honore colebantur, diversum fuerit vix dubitari potest. Idem confirmat Selden de Diis Syris Synt. II, 1. p. 227. exemplo idoli Syrorum Alagabali s. Agli-Beli, quod idem puerorum immolationibus placabatur, cf. Synt. I, 6. p. 176.: „uti igitur Baal i. e. Dominus, ita et Me-„lech s. Molech aut Moloch i. e. Rex Ammo-„nitarum hoc numen denotabat, unde et is ipse „forsan fuerit, qui rex Deorum *βασιλεὺς Θεῶν* ti-„tulo singulari vociferatur in Phoenicum vetustis-„sima Theologia.“

Si autem ita de argumento carminis statuimus, ut abominabilem cultum Baal-Peoris in

maxima depravatione conspicuam vates descripserit, non possumus non elegantiam et castitatem admirari, qua propositum argumentum persecutus fuerit. De re horrenda ita caute et venuste locutus est, ut vix quisquam recentiorum. Fingit proavos Israelitas uvas et ficorum primitias v. 10., ex quarum praestanti semine arbor eorundem fructuum spe in amoenissima Canaanis terra plantata excreverit v. 13. At omnem eius gloriam pessima idololatria destruxit. Cultus Baal-Peoris debilitavit stipem; flaccescit flos, fructus decidit v. 12. Non digni sunt, qui liberorum summis gaudiis fruantur v. 11. Insanus ille cultus vincula familiae dissolvit, libidinibus in utero et conceptu vitiatur soboles v. 11., quae autem nascitur, a Deo perdetur v. 12. Vos liberos ad necem idolis educentes v. 13. ipsi his gaudere recusatis, Deus vobis dabit, quod ipsi vobis daturi estis v. 14. Ut patres vestri in deserto sparsi Deo erant dilectissimi, sic vos amoenis domiciliis considentes ab ipso estis repudiati. Itaque qui idem vos plantavit, e domo sua vos eiiciet v. 15., liberis privabit v. 16. Omnia poetice sunt capienda, et vehementer errant interpretes, qui quodvis praesagium vatum stricte intelligunt. Repugnant enim sibi prorsus hoc vaticinium et illud c. 2, 1.

Ventum est ad orationem capitis decimi, quae ultimis temporibus regni Israelitici scripta videtur. Praeterierant laeta et felicia istius regni tempora. Nil relictum erat, praeter memoriam impietatis Israeliticae, simulacra, altaria, flamines et errores idololatriae. Verum ita exhausti

erant viribus et opibus, ut quovis pretio a barbaris pacem emerent, utque ipsa aurea simulacra regi Assyriae muneri darent. Prior Salmanasseris impetus urbibus regni funestissimus fuerat v. 14. Nunc ab eodem crudelissimo rege imminebat regiae urbi Samariae interitus. Iam prope aberat tempus quo rege carituri erant, quippe qui ipse regnum incolumitatemque et dubiae clementiae, et avaritiae Salmanasseris debuisse videretur. Quae omnia de nullo alio tempore, nisi de illo regis Hoseae valent: quo regnante fortasse aliquo anno frumento, oleo et vino abundarunt, quod ipsis placuit: idque ab idolorum flaminibus omnipotentis eorum auxilii signum exhibitum est. Iidem spem converterant ad deastrorum vim v. 15., ad superstitiosam suorum pietatem v. 13., ad copiam heroum v. 13., ad arces munitas v. 14. Verum falso hos seductores populi locutos esse vates proponit, terrae ubertatem urticis et spinis brevi occupatum, idola cum flaminibus abductum, arces devastatum iri vaticinatur. Quae omnia ita sunt comparata, ut illud fragmentum 9, 7—9. inter 10, 8 et 9. aptissime suo loco poni videatur. Significat enim luculentius, unde spes et gaudium in tantis calamitatibus v. 2. 13—15. orta sint; magis proterviam flaminum, de quorum exsultatione v. 5. sermo est, designat, et arctissime priorem cum posteriore capitis nostri coniungit partem.

Quibus versibus suo loco restitutis hic nexus orationis prodit: Felicissima conditione rerum tuarum usa es Israel v. 1., at, e quo eam non Iehovae sed idolis tuis debere arbitraris, poena digna facta es v. 2—4. Perge et fruere paulisper superstitiosa tua securitate v. 5., tem-

pus instat, ubi idola tua abducentur, ubi erubesces propter perversa tua consilia v. 6., ubi excisa erit tua Samaria v. 7., ubi sub collibus et montibus tuis impietatis tuae testibus sepeliri optabis v. 8. Noli credere prophetis tuis futura gaudia tibi, ne fiducia tua in idolis posita irrita fiat, promittentibus. Et ipsi stulti sunt, et te decipiunt; nam tua flagitia omnem salutem a te removent 9, 7. 8. Memor esto contra sortis Gibeatidarum, qui pares tibi fuerunt peccando v. 9. Nunc par iis eris poenas luendo 10, 9. 10. Si etiam nunc felix reddi cupis, ne contemne leges Dei tibi impositas v. 11., semina virtutem v. 12., sin minus, nec crede perversis tuis moribus, neque tuis heroibus v. 13., neque tuis munitionibus, quibus bello orto hosti resistere non poteris 14., nec Betheli, cuius munus certum detrimentum est 14.

Eiecto illo brevissimo fragmento lacuna in ceteroquin integro poemate remanet. Certe comparatio Gibeatidarum cum Israelitis nullum coniunctionis membrum cum praecedentibus habet. Qua de causa etiam Kuinoelio inde a 10, 9. novam prophetiae partem constituere placuit. Verum finis capitis cum initio arctissime cohaerere videtur. Disertis enim verbis vates redit ad priora orationis momenta, commemoratione Bethelis, cuius promissa fallunt v. 15. ad v. 1 et 5., regis, cui proximum interitum indicat v. 15. ad v. 3. Itaque finem cum initio coniungere malim. Est praeterea subtilis et elegans nexus v. 12 et 13. cum 9, 7. 8. Vates enim in utroque loco diserte edicit: *non quae fatui prophetae promittunt, sed quae ipsi vobis praeparatis evenient.*

Ea quo autem factum sit, ut illud fragmentum falso loco positum legatur, non expediverim. Fortasse colligens Israelita sigillatim conscriptum habuerat, quod semel in congerie vaticiniorum Hoseae 9, 7—9. receptum, quamquam iterum suo loco post 10, 8. repetitum invenit, denuo exhibere nollet.

Cap. 11. unum poema efficit iterum tempus suum prodens commemoratione Assyriorum regiminis, quod Israelitae stolida et ignava mente ferebant. Tunc melior pars nationis fortasse detrimentum, in quod irrueret, sensit, quippe rex ipse Hoseas superasse fertur pietate reliquos reges Israelitarum 2 Reg. 17, 2. Propterea vates misericordia commotus in his exhortationibus mitioribus verbis utitur quam hucusque usus fuerat.

Postquam Hoseas regem Israelitarum Pekahum interfecerat 2 Reg. 15, 30., non statim animos suorum promtos expertus est ad imperium sibi committendum. Procul dubio domestici tumultus orti sunt. Vidimus enim p. 9. octo annos praeterlapsos fuisse antequam vere sceptro potiretur. Narratio 2 Reg. 17, 3. suadet, ut tandem id auxilio Assyriorum eum impetrasse existimemus [12]). Imperium solutione tributi incepit, quo

---

12) Verba quidem 2 Reg. 17, 3. עָלָיו עָלָה שַׁלְמַנְאֶסֶר Luth. et plerique interpretes verterunt: *contra eum ascendit Salm.* Verum praep. עַל hostilem superventum indicet minime necesse est. De accessu

regi Salmanasseri se subditum fecit. Nostro loco adeo v. 5. Assur rex patriae terrae, מַלְכּוֹ, vocatur. Assyrii tunc temporis armata manu fines Israelitarum transgressi gravissimo bello v. 6. Hoseam, qui ipsorum tutelae se subiecerat, regem agnoscere illos coegerunt. Quo bello sine dubio expugnatio urbis Beth-Arbelis evenit, de qua 10, 14. sermo fuit. Itaque Hoseas tam perverso modo ad dignitatem regiam evectus offendit Deum temeritate, qua perniciosa cum barbaris vincula iniit. Salus Israelitarum in eo posita fuerat ut una animum erigerent v. 7. et abiectis omnibus illis perversis consiliis מוֹעֲצוֹתֵיהֶם v. 6. Iehovae, regi et sacris Hierosolymitanis se adiungerent. Verum rebus talem in modum gestis non tempus erat querelarum nec dolores sanare poterant populum. Hoseas rex meliora sentire videbatur, nam melior erat antecessoribus. Iugum sibi a rege Assyriorum impositum exuere moliebatur. Quae eadem omnium piorum Israelitarum cura erat, siquidem postea Hiskias rex Iudaeorum consilia vatum secutus felicissimo successu in eadem re elaboravit. Una etiam via ad requirendam salutem patebat, quam vates regi et populo monstrare conatur: Ille Iehova, qui olim patrum pedes moverat, brachiis eos prehenderat cum ad-

---

familiari saepissime occurrit v. c. 2 Sam. 15, 4. 2 Reg. 25, 11. Ies. 54, 15. adeoque significat *pro* v. c. Iud. 9, 17. Nehem. 4, 8.; ita h. l.: *pro eo dimicaturus ascendit*. Quae significatio praeferenda mihi videtur, quoniam sequens הֵשִׁיב in verbis וַיָּשֶׁב לוֹ מִנְחָה restitutionem s. solutionem impensarum praestiti auxilii diserte indicat.

huc impuberes essent et in summis periculis versarentur, cuiusque miraculorum testes proavi fuerant v. 1. 3. 4., eadem etiam nunc benevolentia animatus est v. 8., nec res ita sunt deperditae, quae pietate in Deum, fortitudine animi et obedientia restitui nequeant, non desperandum de futura salute, modo Iehovam quaerere discant v. 10., qui quidem Hierosolymae prae ceteris colendus, tamen non certa quadam urbe inclusus ut idola v. 9., sed ubique promtus paratusque est ad auxilium suis ferendum v. 10. 11.

Habemus igitur hoc nostro poemate praestantissimam significationem animi dignissime de Deo cogitantis. Exuit vates falsas Iudaeorum opiniones de sede Iehovae peculiari, dumque animos civium ad cognitionem Dei ubique efficacis et ubique propitii effert, vere Christianis modis Deum celebrat. cf. Ioh. 4, 20—23. Act. 17, 24—27. Proh dolor! quod et rex et cives monitis eius obsequium praestare recusarunt. Non enim patientia et pietate labefactatum reipublicae fundamentum restituerunt, sed mendacissimo studio Aegyptiorum opem quaerendi interitum sibi accelerarunt. Vatis immortalis gloria manet, hac occasione et celsissimi argumenti, et suavissimae compositionis carmen edidisse, quod, quantum ad tempus attinet, iis quae exposuimus probe consideratis, ad prima regis Hoseae tempora, antequam de foedere Aegyptiaco ageretur, referendum est.

Multo severior increpatio capite duodecimo continetur. Quae quidem est difficillima pars totius prophetiarum Hoseae fasciculi. Difficile est vatem

sequi in modo, quo singula huius orationis membra inter se coniunxit, idque propter singulare eius studium fata et gesta proavi Iacobi symbolice proponendi eiusque exemplum posteris exhibendi. Aeque difficile est intelligere, quo sensu vates singula comparationis membra ceperit, v. c. utrum, quae v. 4 et 5. dicuntur, in laudem an in contumeliam patriarchae dixerit. Denique difficile est significationem singulorum verborum et dictionum enucleare.

Unde multivariae habentur sententiae de huius capitis et *sensu* et *tempore*. Nonnulli enim cohaerere cum sequentibus putant; quorum Seb. Schmidt: „incipit," ait, „hic nova concio, in „qua duae partes, prima contra Iudam, al„tera a v. 12. ad c. 14, 1. contra Ephraimum; „ita quidem, ut in priori parte oppositione inter „Iudaeos et Israelitas facta 1) Iudam laudet de „praeterita constantia in fide et pietate v. 1. 2., „eundem vero 2) de praesenti corruptione ar„guat v. 3., 3) duabus rationibus (quarum prima a „iustissima retributione Dei v. 3. — id quod exem„plo Iacobi probatur v. 4. 6. — altera a Dei „immutabilitate petita v. 6.) ad poenitentiam re„vocet v. 7., 4) opposito exemplo impii Ephrai„mi v. 8. 9, qui ideo deserendus nunc sit, do„ceat, se Iehudae praesertim sub N. T. Deum „futurum v. 10. 11. Unde demum transeat ad „alteram partem adversus Ephraimum." Alii contra interpretes secundum Michaelem ad h. l. „totum caput directe ad Ephraimum referunt, qui „cum Iuda comparatus deterior sit v. 1. 2. et „corruptionis illi etiam auctor v. 3., adeo dege„ner prorsus a Iacobi patriarchae pietate v. 4. 5., „cum contra Deus ex sua parte semper sit idem

„v. 6., ad quem ideo redeundum esse Ephraimum „hortatur v. 7., frustra tamen, ob eius pertina- „ciam in admittendis et defendendis sceleribus v. „8. 9., unde Deus semper sibi constans ex mente „nonnullorum interpretum ipsis exilium minatur, „secundum alios vero ex mera misericordia pro- „missionem de instauratione ecclesiae Israeliticae „sub N. T. confirmat v. 10., ut qui non solum „adhuc officio suo non defuerit per prophetas „vario modo locutus, sed etiam sub N. T. Evan- „gelii doctores et prophetas abunde daturus sit. „v. 11. sqq." cf. Rosenmueller scholl. ad Hos. p. 358. Praeter hos sunt alii interpretes (inter quos referendus iam Luth. in commentario ad Hos. 12. et nuperius I. H. Meissner in progr.: *sistitur oeconomia* c. 12. *Hoseae*, Kuinoel ad h. l., Eichhorn Hebr. Proph. p. 132.), qui orationem huius capitis ad utrumque regnum pertinere contendant, ita tamen ut non anxie quaerendum sit, quid huic illive regno potissimum dicatur, sed omnis oratio prophetae sic accipienda ac si prolata sit universae stirpi Iacobiticae. Eichhorn adeo totum caput in 3 vinculo sine ullo consistentes partes discerpit, quarum prior v. 1-7. exhortationem in genere, altera 8-12. increpationem securitatis Israelitarum, tertia v. 11 — 15. comparationem inter Iacobum eiusque posteros contineat. Hieronymus rem ita expedit ut a v. 2. Deum ita cum utraque stirpe collocutum esse contendat: „Ephraim semel pascente ventos et sequente mendacium, qui in „tantam venit amentiam, ut inter duas gentes ad- „versarias Aegyptios et Assyrios fluctuaret, nunc „mihi omne iudicium est cum Iuda et visitatio „super Iacob. — Visitationem," addit, „vocat fla-

„gella et supplicia, ut qui Ephraim reddidit, quod „merebatur, Iudae quoque reddat iuxta vias suas, „qui non tam fortuito errore deceptus de huma- „na concidit fragilitate, sed inquisivit et invenit „in quibus peccaret. — Itaque," pergit, „et tu, o „Iuda, imitare parentem tuum, plora et roga „dominum exercituum et ad eum convertere, „custodi misericordiam et iudicium, et cum „utrumque feceris spera in Deo" etc.

Pariter dissentiunt interpretes de *tempore*, quo haec oratio habita sit. Hieronymus ad v. 2. dicit: „sacra historia narrat, Menahem regem Is- „rael pace facta cum Assur ab Aegyptiis postu- „lasse auxilium, et hoc est, quod nunc dicitur „pascere ventos, i. e. spe vana se decipere." Transfert igitur prophetiam ad illa Menahemi tempora. Lightfoot in Chronol. V. T. p. 105. sub initium regis Hiskiae editam esse censet. Luth. ad c. 12, 1. ulterius etiam excedit tempora regis Hiskiae premens, cuius pium imperium vates respexerit. Kuinoel ad c. 12.: „Haec ipsa," inquit, „vituperatio, qua reprehendit Hoseas Iu- „daeos, pertinet procul dubio ad tempora inter- „regni 11 annorum Amazia mortuo et ad initium „regni Usiae." Eichhorn l. l. p. 132. 134. fere eodem modo statuit, dum orationem nostram paullo post mortem Ierobeami II. compositam esse contendit. Verum Hieronymus nullum testimonium sententiae iam regem Menahemum foedus cum Aegyptiis iniisse profert. Nisi forte humani quid ipsi accidit, traditionem antiquam accuratius designare debebat, si fidem posteriorum temporum verbis suis conciliare voluit. Lutheri sententia nititur falsa explicatione verborum v. 3. וְרִיב לַיהוָה עִם־יְהוּדָה *darum wird der Herr die*

Sache Juda führen, et admodum dubia interpretatione illorum v. 1. וִיהוּדָה עֹד רָד עִם אֵל *Juda hält noch fest an Gott.* Recentiores interpretes nil Judaeis honorifici in omnibus hisce verbis deprehendunt, contra increpationem vatis in utrumque regnum valere conspectus totius capitis docet. cf. Commentar. ad v. 1 et 3. Itaque tunc temporis pia et sapientia instituta, quibus regnum Iudaicum Hiskia imperante reviviscebat, nondum promulgata fuisse apparet. Accedit quod ita sine causa senectuti Hoseae anni adduntur, cuius munus propheticum inde a primo Israelitico interregno usque ad initium Hiskiae 55 annos durasse utique sufficit. Omni autem probabilitate destituta est S. V. Kuinoelii sententia vatem hanc prophetiam temporibus interregni sub initium regni Usiae edidisse. Ut id taceamus interregnum 27 annos a morte Amaziae abfuisse et Usiam iam 27 annos imperium et solum et sub tutela tenuisse, cum Ierobeam II. moreretur (vid. pag. 6. not.), unde tempora interregni et initium regni Usiae non in idem temporis momentum incidisse apparet; indoles totius orationis in multo posteriora tempora nos ablegat. Nec temporibus Jerobeami, nec sub mortem eius contentio Jehovae cum Juda fuit 12, 3., sed tribus eius benigne fuerunt a Jova excipiendae 1, 7., non puniturus irruit in universam familiam Iacobi 12, 3., sed tribus Iudae salvas reddere promisit 1, 7. Tunc in historia sacra nondum mentio facta fuit Assyriorum, nedum foederis cum iis pacti, neque munerum ad Aegyptios missorum c. 12, 2. Tunc nondum flagitia et fraudes Gileaditarum ita innotuerant, ut postea 12, 12. cf. 6, 8. Tunc omnino

flagitia Ephraïmitarum nondum a propheta nostro tam acerbe et vehementer notata sunt, ut 12, 1. 2. 12. 15. cf. cap. 1. 2. 3.

Propius accedamus ad Lightfooti de hoc capite sententiam. Editum fuit prioribus Hoseae regis Israelitarum temporibus, vel superstite adhuc Ahaso rege Judaeorum, vel vix mortuo. Illo tempore foedere Assyriorum tutus Hoseas sceptrum tenuit, sed foederis iam impatiens Aegyptiorum amicitiam ambire coepit. Illo tempore pessimus Ahas rex Judaeorum mores populi aeque depravaverat, atque reges Israelitarum mores suorum. Illo tempore iam exilium initium ceperat, in quod rex Assyriorum Tiglath-Pileser cives Galilaeae superioris et regionum Trans-Iordanensium abduxit, unde securitas sedium turbata promissionibus versus 12. copiam dedisse videtur. Illo tempore arae in infinitum auctae 2 Reg. 17, 9—12. Illo denique tempore impietas Ephramitarum inter tot tumultus, bella, nefarias machinationes, errores a fautoribus idololatriae promulgatos maxime abominabilis facta 2 Reg. 17, 14. 15. Integra autem oratio in utriusque imperii, et Israelitici et Iudaici gratiam composita videtur. Utraque enim gens pari impietate parique rerum dissolutione laboravit, siquidem vel Hiskias Hierosolymitanus optime de suis meritus adhuc decimo quarto regni anno nil habuit, quod impetui Assyriorum obiiceret, nisi ut submississimis precibus solutoque magno pretio regem Sanheribum ab Hierosolymis secedere et pacem ipsi restituere commoveret 2 Reg. 18, 13—16.

Argumentum autem poematis ita constituerim. Postquam vates variis modis, sed frustra,

suos, ut resipiscerent, commonefecerat v. 1—3., ne in summis angustiis de emendatione sua et divini favoris restitutione desperent nunc Iacobi fata iis symbolico documento proponit: dubia pietatis initia non esse negligenda, sed magis magisque purganda et emendanda, ut tandem vera erga Deum fides probataque pietas existat. Nam et ipse Iacobus olim dubius in probitate et anceps inter cultum Iehovae et deastrorum haerens luctatus est cum barbarorum deastris v. 4., numen arcanum nomine מַלְאָךְ appellatum illicito honore ab eo aliquando cultum facto congressu superavit v. 5., quo facto effigies exstitit luctae gravissimae cum tanta superstitione conflictandae. Qua expugnata etiam exemplum fuit victoriae. Invenit verum Jehovam Bethele, eiusque pius cultor mansit v. 5. 6. Rependite, pergit, haec animis vestris et iidem ad Jehovam revertamini v. 7. At idem proavus typus vobis exstat in cavendis falsorum commodorum bonorumque illelecebris. Insidiatus fratri eiusque primogeniturae inhians, odium eius exul fugere coactus est, mulieris amore correptus libertatem amisit Labanisque gregem per 14 annos pavit v. 13. En mercedem perversae avaritiae libidinumque! Quodsi tantum exemplum in abavo alias Deo probatissimo habetis, quid sperare poteritis, qui excitaveritis Dei acerbissimam iram? v. 15. Aliud praesto est vobis exemplum in memoria maiorum vestrorum. Verba enim mea per prophetas iis prolata servantes non exules fugerunt, sed ab exilio Aegyptiaco liberati sunt, non custodiverunt, sed custoditi sunt v. 14. Non itaque, ut facitis, avaritiam curate v. 8. 9., non fiduciam collocate in idolis v. 12., sed prophetas, quos vobis

misi, sequamini v. 11. si, ut olim patres vestri, iterum salvi esse vultis v. 10. Finit vates, quasi intelligens omnia iam esse irreparabili damno deperdita, orationem verbis ipsam suam desperationem indicantibus v. 15., ut aliquando Jesus Christus dolores de pernicie Hierosolymae significavit Luc. 19, 42.: „o si scires, quae tibi saluti „forent! sed nunc oculos tuos latent.“

Quae restant capp. 13. et 14. arctissime inter se cohaerent. Collectione fragmentorum Hoseae facta, cum his duobus capitibus finis toti operi imponeretur, optime collectioni consultum est: quippe et forma, et argumentum monet, hanc vere fuisse ultimam animi eius significationem, qua peroraverit. Propheta senio iam confectus et finem vitae exspectans his verbis quasi testamentum obsignasse videtur. Repetit denuo omnia beneficia, quae Deus posteris Jacobi praestiterit, inde ab Aegyptiacis temporibus. Ut luculentissima autem fuerunt divini favoris signa, ita turpissima fuit negligentia et impietas, cui a prioribus usque ad postrema tempora illi inhaeserunt. Itaque commemorationi divinorum beneficiorum 13, 4—6. 10. 14. descriptionem impietatis annectit, qua et patres v. 6. 10. 11., et posteri v. 1. 2. 9. 12. 13. Dei poenas provocaverint, et quemadmodum patres iustam peccatorum mulctam passi sint v. 7. 8. 11., ita vates iterum iterumque monet posteros non impune esse evasuros e divino iudicio v. 9. 12. 13. 14. c. 14, 1. eamque poenam sic adventuram esse, ut praeter opinionem perfidiae nefarioque idolorum cul-

tui incumbentes prosternantur v. 3. 15. Sed non sine spe infelices cives patriamque dimittit. Una salus restabat in auxilio Dei et in restitutione pristinae pietatis, qua solá illius auxilio digni forent 14, 2 — 4. Hoc fretis, ait, res ita restituentur, ut omnes sub umbra emendati et Deo accepti imperii felicissima sorte fruantur 5 — 9. Denique finem facit exhortando, ut tandem sapientes evadant et cogitent de viis Jehovae, quibus probi tuto ingrediantur, improbi lapsuri sint v. 10.

Quae omnia cum prorsus in universum dicta sint, cum gravitas orationis subinde mitigata sit commemoratione divinae benignitatis, cum spes et cura patriae solennioribus et loquacioribus formulis quam in ulla priorum orationum exponatur, cum denique ratio temporis nos propius ad mortem prophetae adducat: hic sermo prae ceteris verba pii senis exhibere videtur, qui opus suum absolvens ultima animi desideria votaque posteris ponderanda relinquit. Quod autem ad temporis signa attinet, Kuinoelii coniectura, editam esse hanc prophetiam post trucidationem Pekahi, ubi imperium per octo annos rege caruerit, nititur dubia interpretatione vocis אֱהִי v. 10., quam cum nonnullis interpretibus pro אַיֵּה positam esse putat, ut sensus sit: *ubi nunc est rex tuus?* Verum cum haec interpretatio toti orationis nexui repugnet, certe admodum et dubia et incommoda sit, nil inde de tempore effici potest. Contra 14, 1. interitus urbis Samariae praedicitur, quae quidem post mortem Pekahi nondum in summo periculo versabatur. Illo enim tempore pace cum Assyriis restituta reliqua Israelitarum munimenta adhuc integra

stabant, quae omnia evertenda erant, antequam excidium Samariae eveniret. Deinde ibidem vates iisdem formulis utitur, quibus 10, 14., unde eum eversionem Betharbelis priore Salmanasseri expeditione dirutae in mente habuisse probabiliter censetur. Denique 14, 4. diserte auxilium Aegyptiacum innuit, quod non nisi ab Hosea rege pronunciato quaesitum est. Ex iisdem causis multo minus sententia Eichhornii placet, qui c. 13. temporibus Pekahi, c. 14. autem adeo temporibus primi interregni confectum esse statuit.

V.

De modo scribendi vatis observationes philologicae.

Qui a lectione Ezechielis ad lectionem vatis nostri processerit, dulci admiratione praestantiae orationis abripietur, qua hoc antiquitatis monumentum e primis cultae vitae literisque et scriptis formati ingenii incunabulis ortum, temporum autem vicibus ereptum seriora illa poemata antecellit. Quamquam enim non omnia tam plane et distincte scripta et exposita legantur, ut in operibus posteriorum temporum, contra brevia sint et concisa mentique magnam cogitandi copiam committant: tamen linguae nondum criticis regulis obtemperanti fulgura et tonitrua animi fervidi eximio veritatis amore pioque mentis candore divinitus repleti insunt. Abest vanus superfluorum verborum ornatus, abest nimium copiosa sententiarum expositio, abest acuta tenuitas.

Quae autem ad antiquae simplicitatis venustatem faciunt, pingentia verba, vis et pondus liberioris compositionis, gravis rerum e communi vita petitarum significatio, ellipses vocum per se cogitatu necessariarum, ea ubique reperiuntur. Infirmus autem et saepe dubius modorum, grammaticarum formularum et constructionum usus magis via rhetorica quam grammatica requiri debet, verum nonnunquam irreparabiles difficultates relinquit.

Notas characteristicas poeticae V. T. dictionis exposuit Herder Geist d. Hebr. Poesie ed. Iusti I, p. 1—28. Hoseas, fortasse primus prophetarum, qui chartis mandata reliquit, dialectum gentis suae fere eodem modo comparatam habuit, ut ante 3 saecula culta et in scholis poetarum a Davide institutis adhibita fuerat. Eorum exemplo modum scribendi formavit suaque contulit, ut post magis magisque excoleretur faciliorque et certior cogitationum significatio scriptis exhibenda existeret. Quaestio autem, qua ratione linguam tractaverit, ad intelligendum sensum singularum prophetiarum magni ponderis esse videtur. Ego quidem non is sum, qui omni Orientalium literarum apparatu instructus hanc dissertationis materiam expediam. Verum quae strenua poetae contemplatione mihi maxime notatu digna visa sunt, licet suo loco sigillatim recenseantur, in universum exponam.

Sunt momenta et *grammatica* et *rhetorica*, de quibus dicendum est, ut quasi conspectus operis existat. Non ita quidem, ut singula quaeque, sed ut tantummodo gravissima, quae ad sensum vatis recte percipiendum faciant, commemorem.

Quod ad *grammaticam* attinet, observan-

dus est usus particularum, pronominum, temporum, praepositionum, constructio etiam nominum et verborum. Atque

1. in particulis *copulativae* respiciendae sunt. Occurrunt גַּם usitato modo, nonnunquam אַךְ: modo adversativo, prae ceteris autem ו eodem vario modo, quo apud reliquos sacros scriptores. Quae copula ו, quoniam quodcunque genus relationis duarum enunciationum erga se, et coniunctivam, et adversativam, et causalem amplectitur, saepe rem difficilem reddit. In coniungenda autem oratione vates longe liberius ea usus est, quam antiquiorum temporum scriptores. Omittitur enim saepius, prouti augetur fervoris vehementia, v. c. cap. 4. inde a v. 16. maxime v. 18. 19. Eodem modo 5, 8. 11. 7, 7. 8. 11. 12. 15. 16. 8, 4. 7. 9. 11—15. 9, 3., ubi pluribus simplicibus membris sine copula coniunctis semel positum ו significationem adversativam habet, 10, 1. 2. 4. 11. 12, 3. 13, 2. etc. Ex quo fit, ut etiam crebro iis locis desit, ubi secundum grammaticorum regulam ו conversivum futuri exspectavissemus v. c. 7, 1. יָבוֹא, 8, 12. אֶכְתּוֹב, 11, 4. 5: idque potissimum 13, 8. 10. 11. 14. Vi adversativa occurrit v. c. 2, 1. 7, 1. 8, 14. 10, 11. 11, 3. 5. 11. 13, 4. etc. Significatione causali v. c. 4, 4. 6. 11. 10, 11. Repetitum quoque ut Lat. *et* — *et* legitur v. c. 7, 1. 11, 1. 12, 5.

Vim *comparativam* in omnibus vatis nostri imaginibus habet eaque de causa centies obvium est praefixum כ et כְּמוֹ 7, 4. 13, 7. etc. In oratione continua occurrit copula כֵּן et כָּכָה. Ubi autem comparationis momenta invicem subsequuntur, ut Lat. *quemadmodum* — *ita*, inte-

gra formula כֵּן — כ semel modo legitur 4, 7: כְּרֻבָּם כֵּן חָטְאוּ—לִי. Praeterea tum כ, tum כֵּן omittitur, 11, 2.: קָרְאוּ לָהֶם כֵּן הָלְכוּ omisso כ in priore, 10, 1. et 13, 1. omisso כֵּן in posteriore membro. Duplex כ eodem sensu habetur 4, 9: וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן, eademque in re ו — כַּאֲשֶׁר 9, 13: אֶפְרַיִם כַּאֲשֶׁר רָאִיתִי שְׁתוּלָה וְאֶפְרַיִם. Idem כ similitudinis ita par est praepositioni ב, ut ex ea ortum videatur 7, 1., certe particulae כַּאֲשֶׁר adaequatum est. Alio loco 12, 9. relativum אֲשֶׁר positum est pro כַּאֲשֶׁר; particula comparationis autem omnino deest 13, 8. ante חַיַּת הַשָּׂדֶה, et 14, 8. ante דָּגָן.

Maxima difficultas inesse videtur particulae *causali* כִּי, quae multifariis modis adhibetur. Extra dubitationem formula apud Hebraeos fuit coniungendi orationis partes, quarum altera alterius conditionem continet, nulli nostrarum linguarum voci accurate respondens, quam ipse V. Ill. Gesenius in lex. ad h. v. saepe paullo laxiore coniunctione quasi nostrum *denn* et *weil* occurrere censet. Primaria eius vis fuit pronominis relativi, ut אֲשֶׁר, ὅτι, *quod*, et Gallicum *c'est que*. In nostris linguis cultior oratio formulas causales accuratius seiunxit, et unicuique sententiae aliam vocem assignavit, ut Latinorum *nam*, *quoniam*, *itaque*, *quod*, *dum*, *cum*, *siquidem*, *pro eo quod*. Quae omnes significationes eidem particulae כִּי apud vatem nostrum, vel nudae vel cum aliis compositae (ut cum גַּם, אִם, הִנֵּה) inhaerent: 1) significatio *nam* ubique obvia est; 2) *quoniam* 2, 4. 7. 5, 11. etc.; 3) *itaque* 5, 7. 6, 9. 8, 6. etc.; 4) *quod* 2, 10. 4, 14.

5, 1. 6, 6. etc.; 5) *dum* 7, 6. 11, 1.; 6) *cum* 9, 6. 16.; 7) *siquidem* 8, 10. 10, 3. 5. 13. 13, 15.; 8) *pro eo quod* s. *prout* 4, 6. 8, 11. Notanda est huius particulae repetitio, ubi loco repetitae alias copula ו occurrit 2, 4. 7. 8, 6. 7. Magis adhuc notanda est eius significatio quam secundum Gesenium Lehrgeb. d. Hebr. Sprache p. 771. tum modo obtinet cum futuro apponitur, ut nempe indicet *ut* c. 1, 6.

In *affirmationibus* vates utitur copulativa particula אַךְ v. c. 12, 9. 12. Posteriore loco diserte commutatur cum alia particula אִם eadem significatione. Est praeterea alia אֵפוֹא quae itidem affirmare videtur c. 13, 10.

2. Pronomina et *demonstrativa*, et *relativa* a vate nostro multifario modo adhibentur. Illud *demonstrativum* nonnunquam singulari vi, δεικτικῶς, ponitur, v. c. 2, 6. 4, 14. 5, 10. 8, 9. 9, 10. 12. 14. 13, 2. 13. 15. etc. In omnibus hisce locis diligenter ad orationis nexum respiciamus necesse est, ne in eo erremus, de quo pronomen valeat. Semel modo inusitatius זוּ occurrit 7, 16. Peculiari vi dativus commodi לוֹ 8, 9. 10, 11. ponitur, quae constructio etiam legitur v. c. 2, 17. 21. 25. 10, 12. 11, 1. 4. etc. Nonnunquam pronomen plane omittitur, v. c. 4, 12. רוּחַ זְנוּנִים הִתְעָה scil. אוֹתָם; 9, 9. יִפְקוֹד חַטֹּאותָם scil. עֲלֵיהֶם; 9, 14. מַה־תִּתֵּן scil. לָהּ s. לָהֶם; 14, 9. אֲנִי עָנִיתִי scil. אֹתוֹ. — Tum pronomen primae personae ponitur, ubi subiectum in tertia persona exspectavissemus, v. c. 7, 2. זָכַרְתִּי pro זָכַר יְהוָה, quae quidem est oratio directa loco obliquae

etiam Graecis scriptoribus usitatissima, tum nomen pro pronomine, v. c. 1, 7. בַּיהוָה אֱלֹהֵיהֶם pro בִּי, 4, 1. 5, 6. — Pronomen suffixum significatione pronominis separati legitur v. c. 2, 7. נֹתְנֵי לַחְמִי pro נֹתְנֵי לִי לֶחֶם, 9, 15. אוֹסִף אַהֲבָתָם pro אוֹסִף לָהֶם אַהֲבָה etc. — Accusativus pronominis apud passivum legitur 10, 6. אוֹתוֹ pro הוּא. — In toto pronominum usu mira potissimum personarum, numerorum et generum commixtio interpretes offendit, quae etiam in praecipuis causis est, cur vatem sequi, saepe difficillimum sit. Duplex est momentum ea in re observandum. 1) In symbolicis et allegoricis descriptionibus vates non satis diligenter rem in mente retinet, ut caute prodat, utrum de figura an de re figurata sermo sit. Propterea e metaphora excidit amplioresque comparationes ei omnino displicuisse videntur. Quae observatio posissimum valet de colloquio c. 2. quod cum liberis incipit, mox dirigitur ad uxorem, mox denique ita exponitur, quasi ad gentem Israeliticam conversum sit, promiscue positis suffixis הָ, ךְ, ם et pronomine הֵם. 2) Vates ubi de gente Israelitica loquitur in eo sibi constans fuisse videtur, ut regnum in universum eiusque institutiones et sacra attingens nominibus יִשְׂרָאֵל et אֶפְרַיִם iisque modo genere masculino, modo foeminino, semper autem numero singulari utatur, verum de civibus in specie agens pluralem masculinum adhibeat. Haec valent v. c. de 4, 1 — 6. ubi, ut sensus aptus expediatur בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל v. 1., עַמְּךָ v. 4. et בָּנֶיךָ v. 6. probe a יִשְׂרָאֵל et אִמְּךָ v. 5. secernendi sunt. Verum

in his iterum offendit, quod, ubi de posteriore sermo est, v. 6. non pronomen et suffixum foemininum, sed אַתָּה et ךָ simul cum masculino verbi occurrunt. Cap. 8, 12. singularis לוֹ valet de gente Iacobitica in universum, quae sequuntur pluralia de eius civibus. Cap. 9, 13. Ephraim i. e. gens Israelitica in universum vocatur שְׁתוּלָה, eodem versu autem suffixum masculinum יו de eadem ponitur, tum legitur initio v. 14. לָהֶם scil. *civibus eius*, mox redit ad Ephraimum ipsum in gen. foemin. מַה־תִּתֵּן *quod datura est* scil. לָהּ s. לָהֶם, qui paullo post aperte vocantur תֵּן־לָהֶם רֶחֶם מַשְׁכִּיל. Cap. 11, 3. sermo est de Ephraimo in singulari, iam transit ad eius cives pronomine ָם, ֵם et לָהֶם, at v. 5. rursus adest singularis verbi et pronomen ו, sed in eodem versu pluralis redit, v. 6. iterum singulari יו incipit, sed finit plurali יהֶם, v. 7. 8. 9. denuo in singulari de Ephraimo loquitur, v. 11. inopinato ad cives eius sermonem dirigit וְהוֹשַׁבְתִּים עַל־בָּתֵּיהֶם. Cap. 14, 1. loquitur de Samaria in foeminino; mox adduntur עֹלְלֵיהֶם tam mirifico modo, ut aliud substantivum suppleatur necesse sit, statim autem adsunt הָרִיּוֹתָיו. Eiusdem transitus ab alio genere et numero ad alia plura occurrunt exempla v. c. cap. 1, 7.

Relativum pro scriptorum sacrorum more vel indicatur pronomine ipso אֲשֶׁר, vel copula ו et sequente et absente demonstrativo, vel, licet raro, particula interrogativa, vel plane omittitur, ut ex orationis serie substituendum sit. Ubi pronomen ipsum adest, id ex usu Hebraeorum in omnes declinationum casus quadrare oportet. Rarius ad significandum casum aliud pronomen ad-

ditur v. c. 2, 15. אֲשֶׁר לָהֶם, 14, 4. אֲשֶׁר בְּךָ. Loci ubi relativum copula ו sequente demonstrativo exhibetur sunt v. c. 6, 4. וְחַסְדְּכֶם pro לָכֶם אֲשֶׁר הַחֶסֶד, 12, 6. וַיהוָה זִכְרוֹ pro אֲשֶׁר הַזֵּכֶר יְהוָה. Nonnunquam copula ו eandem vim habet, quamquam demonstrativum desit, v. c. 8, 14. וְאָכְלָה pro אֲשֶׁר אָכְלָה, 13, 1. וַיֶּאְשַׁם pro אֲשֶׁר יֶאְשַׁם, v. 10. וְיוֹשִׁיעֲךָ pro אֲשֶׁר יוֹשִׁיעֲךָ, 14, 3. וְנַשְׁלְמָה pro אֲשֶׁר נְשַׁלְּמָה. Plures praeterea loci occurrunt, ubi omnis nota relativi deest, v. c. 2, 10. וְזָהָב עָשׂוּ לַבַּעַל pro אֲשֶׁר עָשׂוּ, 4, 14. עָם לֹא יָבִין pro אֲשֶׁר לֹא יָבִין, 5, 15. בַּצַּר לָהֶם יְשַׁחֲרֻנְנִי pro בַּצַּר אֲשֶׁר בּוֹ לָהֶם יש״, 11, 10. כְּאַרְיֵה יִשְׁאַג pro אֲשֶׁר כְּאַרְיֵה יש״ cf. 7, 11. 10, 14. 12, 12. 13, 6. etc. Sic sine ו nudum demonstrativum designat relativum, v. c. cap. 6, 3. כְּשַׁחַר נָכוֹן מֹצָאוֹ pro אֲשֶׁר לוֹ מֹצָא נָכוֹן כְּשַׁחַר, cap. 8, 8. אֵין־חֵפֶץ בּוֹ pro אֲשֶׁר בּוֹ אֵין חֵפֶץ, 12, 8. בְּיָדוֹ pro אֲשֶׁר בְּיָדוֹ. Usus formulae interrogationis pro relativo, serioribus scriptoribus usitatior, Arabibus et Aramaeis propinquior (cf. Gesen. in Lex. sub voc. מָה), qui quidem apud alios quoque antiquiores scriptorum sacrorum occurrit, vatem nostrum non fugit. Exempla sunt 8, 5. עַד־מָתַי pro עַד־אֲשֶׁר, 9, 14. מַה־תִּתֵּן pro אֲשֶׁר תִּתֵּן, 14, 10. מִי pro אֲשֶׁר.

3. *Usus temporum* in verbis Hebraicis, quamquam in universum librorum sacrorum lectione comprobatur eorum vim et significationem subtili quodam discrimine fuisse distinctam, de quo Ill. Gesen. vollständ. Lehrgeb. d. Hebr. Spr. §. 204 sq. doctissime disseruit, tamen liberiore quodam modo, maxime in libris poetarum

observatus est, ita ut grammaticorum regulae non semper sufficiant. Sunt etiam in nostro vate plures loci, in quibus praeteritum et futurum alternis legantur, licet utrumque eandem vim habere appareat, v. c. futurum vim *praeteriti*, 2, 15. 4, 3. 7, 1. 8. 13. 14. 15. 8, 12. 13. 11, 2. 4. 12, 5. 11., praeteritum vim *futuri*, 1, 7. 2, 1. 11. 13. 4, 9. 14, 9. Regula quidem in his omnibus locis valere videtur, praeteritum, ubi significatione *futuri* occurrat, prophetico impetu sic tractari, quasi futura eventu expleta iam adsint atque tum plerumque ope copulae cum aliis futuris coniungi, quae propterea ו conversivum praeteriti appellatur; futurum autem, ubi vi *praeteriti* occurrat, vere esse *tempus historicum*. Cum quidem, maxime quod futurum attinet, loci reperiantur, qui ab hac regula declinent, nimirum in quibus futurum non modo in narratione, sed etiam in descriptionibus et commemorationibus absolute perfecti temporis praeteritum indicet, multi interpretes utrumque tempus Hebraicum pro aoristo habuerunt. Id certum est, immo certius etiam, quam idem Vir Ill. Gesenius l. l. §. 205. p. 763. concedere videtur, ad tempus praesens significandum praeteritum et futurum promiscue esse adhibitum. Plurima exemplorum supra laudatorum pars, quae multis insuper augeri possunt, idem confirmant. Ubi autem significatione *praeteriti* futurum occurrit, ea omnia ad formam narrationis reduci posse putaverim, si non ex ingenio recentiorum linguae tractandae peritiorum, tamen ex ingenio illorum temporum. Vel pingere vel narrare soliti discrimen imperfecti et perfecti non curarunt. Sic vates noster in locis,

ubi nos *perfecto* utimur, formam narrationis, nimirum tempus *futurum* habet v. c. 2, 15. 12, 11. etc. Quod autem ad usum futuri in *narrationibus* attinet, notissimum est scriptores sacros ו conversivo futuri usos esse idque praecipue hanc futurorum vim indicare. Verum id non ex grammatica sed ex rhetorica causa. Homines naturae impetum in oratione secuturi v. c. infantes, loquaces ex inferiore plebe narrare nequeunt nisi singulis momentis aliqua copulandi forma coniunctis. Quae formulae in nostris dialectis multifariae, in Hebraica uno fere ו in omnes significationes aptando efficiuntur. Itaque semper in narrationibus, nec unquam saepius redit. Ne autem nudum futurum nos offendat, copula subinde repetita signo est, nos in narrationibus versari. Ubi scriptor elegantioris orationis studiosus, quemadmodum vatem nostrum habemus, narrat, perpetuae copulae pertaesus eam omittit, sed tempus, quo narratur, futurum manet. Accedit quod illud ·וַ extra omnem dubitationem ex aliqua contractione vel e contracto וְהָיָה (cf. Simonis introd. grammat. crit. in ling. Hebr. p. 220.) vel ex abbreviato הָוָה in וַה (cf. Gesen. vollständ. Lehrgeb. p. 292.) ortum est. Quaecunque coniectura veritati accedat [13]), id certum est, hanc compositionem praeteriti cum futuro

13) Ill. Gesenius l. l. illam coniecturam de contractione וְהָיָה improbat propterea, quod iusto violentior sit. Verum nemo ignorat communi vitae, praesertim quibusdam patriae tractibus multo violentiores contractiones usitatissimas esse, idque potissimum in literis gutturalibus, quorum halitus facile 3 sibi similes in unam confundere potest. Quod autem ad eiusdem Viri Ill. coniecturam attinet, ea pro-

adhiberi non potuisse, nisi antea futurum per se *vim narrativam* habuisset. Quod enim V. Ill. Gesenius contendit, futuro *modum subiunctivum* subesse, ut v. c. וַיִּקְטֹל sit: *fuit ut interficeret*, id locum habere non potest. Hebraei enim istius subiunctivi nullam certam notam habent: est iis iterum copula ו sequente et praeterito, et futuro. cf. Gesenii Lex. ad voc. ו n. 3. Glassii Phil. S. p. 602. Certe si Gesenii coniectura valeret, integra forma sonare debuisset הָיָה s. הָוָה וְיִקְטֹל, quae violentior etiam contractio foret illâ ab eo vituperatâ. Unde autem illa narrativa vis Hebraici temporis a primaria eius significatione futuri alienissima orta sit vix unquam effici poterit [14]); in eo modo subsi-

---

pterea in dubium vocari posse videtur, quod et formam וָה libri sacri prorsus ignorant, et sic, v. c. in integra formula וָה יִקְטֹל *fuit ut interficeret*, copula deest, quae quidem in narrationibus Hebraicis maximi momenti est.

14) Nuperrime D. Geo. Henr. Aug. Ewald Gottingensis in libro: Kritische Grammatik d. Hebräischen Sprache Leipz. 1827. hanc difficultatem ita tollere tentavit, ut p. 524. contenderet Hebraicum *praeteritum* et *futurum* non vere esse tempora, sed tantum modos, illum significatione *indicativi*, hunc *coniunctivi*. Verum dubito, an eius sententiâ probatâ facilior et simplicior de illis Hebraicis formis cogitandi ratio existat. Certe omnis Viri Doctiss. dissertatio artificiosam et nimium subtilem rem tractari demonstrat. Nec intelligi potest, quomodo in lingua nondum exculta distinctio modi indicativi et coniunctivi prior existere potuerit, quam illa temporis praeteriti et futuri, cum certe infantibus magna exercitatione opus sit, ut utriusque modi discrimen sentiant et discant, usus autem

stamus, futurum cum et sine ו conversivo apud nostrum vatem *significatione historica* iterum iterumque occurrere. Loci iam laudati sunt, quorum plurimae parti interpretes significationem praeteriti concesserunt Restat c. 13., cuius ora-

coniunctivi vere ad elegantiam linguae faciat. Huc accedunt complures V. T. loci, in quibus orationis sensus non melius inveniri potest, quam ope significationis coniunctivi tempori praeterito adscriptae (vid. Gesenius Ausführliches Lehrgeb. p. 768. 769). Loci Hoseae huc pertinentes sunt 4, 10. 18. 16, 14. praesertim 2, 5. ubi vel post particulam פֶּן *ne* cum futuro signif. coniunct. אַפְשִׁיטֶנָּה praeterita וְהִצַּגְתִּיהָ, וְשַׂמְתִּיהָ, וַהֲמִתִּיהָ coniunguntur. Praeterea eodem iure, quo Ewald p. 539. not. 1. cum Gesenio l. l. p. 293. significationem ו convers. futuri e vi huius temporis coniunctiva derivat, praeterito significatio coniunctivi in simillimis compositionibus suppetit v. c. Hos. 1, 4. עוֹד מְעַט וּפָקַדְתִּי *parum abest ut animadvertam*, v. 5. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא וְשָׁבַרְתִּי *erit illo die ut frangam*, 2, 11. אָשׁוּב וְלָקַחְתִּי *redibo ut sumam* cf. 3, 5. 7, 7. etc. Quod autem ad futurum attinet, in innumeris locis eventus futurorum temporum tam diserte et indicative enunciantur, ut scriptoribus aliquod dubium de iis exstitisse (cf. Ewald p. 527.) omnis oratio repugnet. Itaque eorum sententia multo magis mihi probanda videtur, qui praeteritum et futurum semper aliquod tempus indicasse, verum eorum significationem non ita distinctam, ut in serioribus linguis fuisse statuunt. cf. Lowth de sacra poesi p. 160. 165. 166. et Michaelis not. p. 524. Herder Geist d. Hebr. Poesie p. 16. Posterioribus autem temporibus e libera vulgi consuetudine utrique tempori aliqua praecipua et primaria significatio annexa esse videtur, quae ingenio et studio scriptorum accedente magis magisque culta et confirmata est.

tio simplicissima est, modo versibus 8. 10. 11. 13. 14. id concedamus, quod aliis locis concedere cogimur, scil. propter futura argumentationem vatis historicam, quae usque ad. v. 7. praeter omnem dubitationem exhibita est, non interpellari.

Est praeterea usus praeteriti et futuri in sermonibus vatis nostri obvius *usus concessivus*, qui non negligendus est, ut gravitatem et elegantiam dictionis sentiamus. Designat enim nonnunquam sarcastico modo, quasi fatis suis commissam turpitudinem scelerum Israeliticorum. Praeteritum habemus 4, 10. 18. 10, 14., futurum 5, 13. 10, 5. His adscribo verbum יַפְרִיא 13, 15.

4. In usu *praepositionum* iterum inopes et ambigui sunt Hebraei. Ex earum penuria multas difficultates vati nostro existere diligens lectio confirmat; sensu autem orationis accuratius ponderato fugiunt. Cap. 12, 13. 14. primo adspectu vis pronominis ב in בְּאִשָּׁה longe alia esse videtur, quam in בְּנָבִיא Attamen diserte sibi opponuntur. Itaque alterum alterius causa vatem attulisse patet. Vates scilicet in eo elaboravit, ut ostenderet, quae בְּאִשָּׁה Iacobo contigerint, longe alia fuisse, quam quae Israelitis בְּנָבִיא. Vati utrobique eandem praepositionem idem voluisse constat, nobis eius significatio duplex est, *propter* et *per*. Cap. 10, 9. quaestio orta est utrum praep. מִן indicet *prae* i. e. *priusquam*, an *a* i. e. *inde a*. Verum attentior consideratio docet prius ad veritatem propius accedere. Cap. 11, 3. dubitarunt, utrum praep. עַל *subter* an *supra* significet. Verum illud omni linguae ingenio repugnat. Pari modo de significatione praep. ב *contra* maxime ad 13, 9. dubitatum est. Verum 6, 7. 7, 13.

14. 8, 5. eam confirmant. Res eodem modo se habet cum praep. עִם, quae proprie *cum* significat, verum adiuncta verbis dimicandi v. c. רִיב sensu semper contrario: *contra*, occurrit, v. c. cap. 4, 4., unde etiam 12, 1. lectio רָב ut praeferatur suadet. Accedit usus peculiaris scriptorum sacrorum praepositionem בּ post particulas comparationis omittendi cf. 2, 5. Quae observatio ad 7, 4. 7. translata, nimirum ut כְּמוֹ תַנּוּר sit i. q. כְּמוֹ בְתַנּוּר et כַּתַּנּוּר i. q. כְּבְתַנּוּר, sermonem vatis tantopere vituperatum ab omni vituperatione liberat. Verum eadem praepositio בּ non solum post comparationis particulam, sed etiam ante nomina propria regionum et locorum deest, v. c. 2, 16. 7, 11. 8, 9. 9, 4. 12, 13. unde neminem offendere potest 6, 8. et 12, 12. גִּלְעָד esse i. q. בְּגִלְעָד. Est quoque forma vati familiaris, etiam ab aliis scriptoribus sacris non aliena (cf. Gesenius Lehrgeb. p. 631.), praepositiones accessum quemcunque ad aliquam et rem et personam indicantes cum praep. מִן coniungendi, ut sensus contrarius exeat v. c. מֵאַחֲרֵי 1, 2., מִבֵּין 2, 4., מִתַּחַת 4, 12., מֵעַל 9, 1. Ex eadem causa significatio substantivi מְשׁוּבָה *defectio* existit, 11, 7. 14, 5. Gravis est porro significatio praepositionis לְ et ipsi respondentis לְפִי 10, 12. *ad*, ut consilium indicet cur aliquid fiat. Eadem praep. 6, 11. significationem haud ignotam *propter*, *causâ* habere videtur. Denique praep. בּ iuxta aliorum SSae locorum analogiam 4, 3. vim habet praepositionis עִם et 10, 15. particulae כּ.

5. *Constructio nominum* et *verborum* omnino simplex est. Ubi vis verborum nos non fugit, raro difficultate compositionis offendimur.

In *nominibus* penuria adiectivorum efficit, ut substantiva componantur, quorum alterum alteri adiectivi loco inservit. Sic v. c. 1, 2. אֵשֶׁת זְנוּנִים mulier libidinibus dedita; 1, 2. יַלְדֵי זְנוּנִים et 2, 6. בְּנֵי זְנוּנִים liberi spurii, in scortatu geniti; 6, 9. אִישׁ גְּדוּדִים vir militaris; 9, 6. מַחְמַד לְכַסְפָּם desiderandae aedes argenteae; 9, 7. אִישׁ הָרוּחַ vir divinitus inspiratus; 9, 16. מַחֲמַדֵּי בִטְנָם carissimae soboles; 10, 9. בְּנֵי עַלְוָה homines impii; 11, 10. בָּנִים מִיָּם homines occidentales. Nonnunquam etiam loco adverbii substantiva ponuntur v. c. 5, 11. 12, 15. 13, 13. 14, 5. In usu casuum eadem simplicitas inest. *Nominativi absoluti* prophetae maxime familiares leguntur v. c. 6, 8. 7, 8. 8, 13. 9, 6. 11. 13. 14, 9. Iidem locos difficiliores illustrant 7, 5. 9, 8. 12, 8. In *verbis* activum significatione intransitiva legitur, בָּעַר ardere 7, 4., זָרַק spargi 7, 9., שִׁחֵת se perdere 9, 9., בָּקַק se evacuare 10, 1. *Constructio asyndeta* saepius occurrit, vel ita ut duo verba finita sine copula coniungantur, v. c. 1, 2. 6. 3, 1. 5, 11. 14. 15. 6, 3. 9, 9., vel ut infinitivus cum tempore finito componatur, quorum hoc significationem adverbii accipit, ut 4, 10. 9, 15. 13, 2. — Defectus verbi copulativi הָיָה aeque usitatissimus est, v. c. 2, 2. 3, 4. 5, 2. 11. 12. 14., quo defectu loci difficiliores illustrantur 7, 5., חֲמַת מִיַּיִן pro חֲמַת הָיָה מִיַּיִן et 13, 6. כְּמַרְעִיתָם pro הָיָה כְּמַרְעִיתָם, scil. הָאָרֶץ s. pronomen eius אֲשֶׁר. — Cum brevitatis studio vatis, eiusque concinnitate cohaerent multae aliae *ellipses vocum*, vel e praecedentibus, vel e serie orationis facile supplendarum, v. c. 9, 4. לֶחֶם, 9, 13. רָאִיתִי e v. 10. Item 10, 4. ante שָׁוְא supplendum est דִּבְּרוּ e priore membro;

11, 6. ad וְאָכְלָה deest subiectum, quod e praecedentibus facile addi potest, nimirum עָרָיו; 13, 1. desideratur in altero membro iterum subiectum e praecedentibus supplendum, nimirum נָשָׂא הוּא רְתֵת. Omnino ex ingenio suppleri oportet 2, 20. וַהֲסִרֹתִי ad אֶשְׁכּוֹר, 12, 15. יְהוָה ad verba הִכְעִיס אֶפְרַיִם; nec melius 14, 1. orationi consulere possumus, quam addito ad יִפֹּלוּ part. יוֹשְׁבֶיהָ. Dictiones denique reperiuntur vel rariore, vel peculiari compositione formatae, v. c. 1, 6. נָשֹׂא אֶשָּׂא לָהֶם, 2, 2. וְעָלוּ מִן־הָאָרֶץ, 4, 2. דָּמִים בְּדָמִים נָגָעוּ, 5, 2. שַׁחֲטָה שֵׂטִים הֶעְמִיקוּ, 5, 11. הָלַךְ אַחֲרֵי צָו, 7, 16. יָשׁוּבוּ לֹא עָל, 7, 14. עַל־דָּגָן וְתִירוֹשׁ יִתְגּוֹרָרוּ, 8, 5. לֹא יוּכְלוּ נִקָּיֹן, 9, 1. אַל תִּשְׂמַח אֶל גִּיל, 10, 4. דִּבְּרוּ דְבָרִים, 11, 8. נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי, 11, 9. אֶעֱשֶׂה חֲרוֹן, 14, 3. קַח־טוֹב. In compositione orationis nonnunquam etiam offendit mixtus usus singularis et pluralis, cuius causam semper intelligere non possumus, v. c. 7, 10. 11. 8, 5. 10, 13. 11, 5. 11. 12, 2. Vere difficillimae intellectu sunt illae 6, 9. et 12, 12. constructiones.

Quod autem ad *observationes rhetoricas* attinet, videndum est: 1) quomodo vates in tractandis historicis momentis se gesserit, 2) quomodo in iis, quae ingenio debuit, vim et elegantiam orationis cum brevitate coniunxerit, 3) quomodo de eius parallelismo, poeseos antiquae ornatu, statuendum sit.

1. *Historicae commemorationis* nullum aliud consilium in vate nostro quaerendum est, quam ut poetice eam tractet atque symbolice, et ad confirmandam sententiam, et ad imagines inde repetendas. Itaque levi significatione res tetigisse vati suffecit, tactas poemati subtili modo innexuit, plura e memoria supplenda lectori reliquit. Momenta

autem historiae sacrae omnibus Israelitis aeque erant notissima, ac lectoribus Graecis Latinisque patriae fata, quae a poetis ipsorum celebrata sunt. Nobis non eadem rerum cognitio contigit, quin plura sunt, quae prorsus nos fugiant. Huc pertinet crimen sacerdotum 6, 9., eversio Betharbelis 10, 14. 14, 1., sanguis quo Ephraim contaminatus erat 12, 15. Alia ab historicis eadem brevitate narrantur, qua vates ea commemorat, v. c. caedes Iisreelis 1, 4., trucidatio Pekahi 6, 8. 7, 3 — 7., fata regis Usiae 5, 10 etc., modus quo Hoseas regis Pekahi parricida Assyriis se subiecerit 11, 5. Quae autem scimus non negligenda sunt. Siquidem omnis oratio gravior et consilio animum suorum commovendi aptior exstitit, ubi a notionibus et sententiis universalibus recedimus ad ea, quae in regno inter cives gesta sunt. Ea enim fuit peculiaris nostri et omnium prophetarum sacrorum cura, ut publicae res cum morali civium conditione corriperentur et si fieri posset emendarentur, quoniam depravatio e deperdito regiminis et institutionum publicarum statu orta esset.

Ut autem suorum temporum fata et conditionem semper in animo habuit, ita etiam fata et gesta maiorum memoria repetit. Gratior erit oratio, cum 2, 5. ad historiam Hagaris, v. 16. ad commorationem Israelitarum in deserto, v. 17. ad responsum in deserto Mosi datum Exod. 24, 3. 7. etc., 5, 6. ad pacta Mosis cum Pharaone de exitu Iacobitici populi Exod. 10, 9., 6, 7. ad primam foederis divini ab Adamo in paradiso commissam violationem, 11, 5. ad reditum peregrinantis populi in Aegyptum saepe desideratum nunquam vero effectum,

13, 15. ad verba atavi Iacobi faustum ex nepotis nomine omen trahentis respexerimus. Qui respectus ut ad sentiendam vatis peculiarem vim et gravitatem, ita etiam ad intelligendos locos obscuriores plurimum faciet. Habebimus quid 8, 6. 7. de שְׁבָבִים et de seminante vel de seminato vento statuendum sit, ubi ad historiam elisionis aurei vituli in deserto recesserimus. Cadent dubia 13, 10. et 14. de vexata voce אֱהִי et de omni nexu orationis, ubi historica commemoratione vatem et pristinam theocratiam Iacobiticam et necem primogenitorum Aegyptiacorum spectavisse censuerimus. Patebit significatio 13, 1., ubi Ierobeami filii Nebati perversissimas de sacris leges in voce רְתֵת invenerimus. Nec melius orationem c. 12. intelligemus, nisi fata patriarchae Iacobi h. l. Israelitis symbolico exemplo prolata diligenter ponderaverimus. Historici momenti sunt etiam illi loci, ubi vates dicta virorum sacrorum antiquissimorum, quamquam non recitando, tamen ad sensum exhibendo repetit, v. c. 6, 5., praecepta morum Exod. 20, 3—17. Lev. 19, 2. 3. coll. Ps. 40, 7—9. 50, 8—23.; 14, 3, dum פָּרִים שְׂפָתֵינוּ suis commendat, Ps. 69, 31. 32. Haec valent potissimum de comminationibus futurarum poenarum, quarum commemoratio 8, 13 — 9, 7. omnis e Deut. 28, 46—68. desumta est. Item 7, 16. locum Deut. 28, 37., 13, 15. vero locum Deut. 32, 22. in memoriam revocant. Cap. 9, 17. diserte minae Deut. 4, 27. Lev. 26, 33., nec non 9, 15. illae Deut. 4, 26. 29, 28. recapitulantur. Cap. 11, 8. verba Deut. 29, 23. releguntur. Promissa felicia saecula iterum repetita sunt ex illis antiquis vaticiniis, v. c. 2, 20. e Lev. 26, 6., v. 23. 24. e Deut. 11. 14.;

12, 10. e Deut. 12, 10., 14, 8. e Deut. 30, 5. Eodem modo saepius dicta antiqua virorum sacrorum commemorari admonemur, v. c. 7, 1. בְּשׁוּבִי שְׁבוּת עַמִּי coll. Deut. 30, 3.; 13, 4 sq. coll. Deut. 8, 14 sq. [15]).

2. Eadem autem concinnitas, quae in dictis et factis a vate historice laudatis conspicitur, inest *descriptionibus* et *verbis ex ingenio depromtis*. De imaginibus iam supra pag. 17. egimus, et quae de iis in universum valent, ea huc non pertinent, ubi dictionem in specie tractamus; Verum etiam in imaginibus vis verborum magni ponderis est nec omnino negligenda, ut dictionis elegantiam intelligamus. Cap. 4. ubi imperium et instituta Israelitica cum matre, cives cum liberis comparantur, de quibus in quovis membro sermo sit probe observandum est. Initio sermonem direxerat ad liberos, ut eorum attentionem sibi pararet, mox de terra הָאָרֶץ loquitur, quae eadem est civium mater. Hanc alloquitur voce וְעַמְּךָ, missa tamen subito matre et voce ad liberos s. עַם directa: versus enim 5. totus colloquium cum liberis s. עַם exhibet. Versu autem 6. iterum ad matrem verba facit: אַתָּה enim, quamquam genere masculino legitur, matrem necessario significat, nam eius liberi בָּנֶיךָ

15) „Ich möchte einem Jünglinge, der die Psalmen „und Propheten genetisch verstehen will, statt aller „andern die Hauptregel geben: lies Mosen, lies die „Mosaische Geschichte! Oft giebt ein Wort das „darinne vorkommt zur schönsten poetischen Ent- „wickelung im ganzen Kapitel Anlass. Was bei den „Griechen Homer ist, ist bei den Hebräern Moses." Herder Geist d. Hebr. Poes. Tom. II, p. 75.

vocantur. Masculinum autem fortasse propterea adest, quoniam vates v. 6. de sacerdotio loquitur, quo foemina fungi non poterat. Maxima diligentia in symbolica expositione 5, 10 — 14. omnia ita enarrantur, ut ne verbum quidem alium sensum praeter comparationem utriusque gentis cum foetido regis Usiae morbo innuat. Cap. 6, 1. gradus restituendae deperditae gentis sollerter pingit. Primum ligabit lacerata corpora, porro vitam restituet, tum eriget sanatos ad vitam coram Deo agendam. Cap. 7, 16. verba se invicem illustrant. Quid sit יָשׁוּבוּ לֹא עָל imagine addita הָיוּ כְּקֶשֶׁת רְמִיָּה explicatur, scil. non sursum redeunt, manent in humili statu, quo senio confecti v. 9., a Deo ex aere deiecti v. 12., vitam degebant. Imago ipsa autem קֶשֶׁת רְמִיָּה sequenti יִפְּלוּ בַחֶרֶב lucem debet: cadent enim, quemadmodum nervus in arcu relaxatus recidit. In elegantissima descriptione 9, 10 — 16. omnia conveniunt ad imaginem arboris de stirpe Israelitica exhibendam. Vidit Iehova maiores Israelitarum quasi fructus praecoces et delicatos in deserto sparsos v. 10., ex quorum semine arbor existat late et amoenissime se expandens. Excrevit stirps, quam Iehova iterum videt non amplius in deserto quasi casu disiectam, sed plantatam, שְׁתוּלָה, in pulchris domiciliis v. 13. Quanta elegantia oppositionis inest in verbis v. 10. רָאִיתִי בַּמִּדְבָּר et v. 13. רָאִיתִי שְׁתוּלָה בְנָוֶה et quam apte ad destructionem sobolis, veluti rami et frondes, e quondam laetissima stirpe pullulantis vel adhuc pullulaturae lectorem ducunt; denique v. 16. exstirpatio sponte et bene praeparata sententia sequitur. Maxima concinnitate imago 10, 10 — 12. composita est.

A iumentis incipit, ut omnem rem agrariam descriptione correctionis populum insipientem manentis complectatur. Sic omnia simplicissimo modo intelliguntur. Iehova coniungit, אֶסֳּרֵם, par impiorum ad idem iugum subeundum, בְּאָסְרָם. Subacti iugo a Iehova non levi operi destinabuntur, sed graviori. Non triturando, sed arando, occando ministrabunt; non quidem Iehovae, sed sibi, לוֹ, ut tandem laboris fructus capiant. Quae omnia ita describuntur, ut non videam, quomodo paucissimis verbis sublimior sententiarum copia subesse possit. Cap. 13, 12. verba צָרוּר עֲוֹן צְפוּנָה חַטָּאתוֹ illustrantur sequenti imagine mulieris dolores puerperii sentientis. Intelligitur vatem peccata Israelitarum descripsisse colligata et abscondita, usque dum tempore instantis poenae proditura essent. Quod tam gravibus doloribus, ut partus mulieri, eveniet. Unum modo addam locum 12, 13. 14., ubi quidem verborum vis altius abscondita latet, nunquam autem comparationis momentum invenietur, nisi illam sedulo eruamus. Vis inest in oppositione verborum וַיִּבְרַח et הֶעֱלָה, שָׁמַר et נִשְׁמָר maximeque verborum בְּאִשָּׁה et בְּנָבִיא, ut, quae Iacobo per mulierem, Israelitis per prophetam contigerint, indicentur.

Nec alio modo res se habet, ubi sine imagine in continua oratione vatis versamur. Subtilem orationis sensum tum modo inveniemus, cum verba accurate perpensa habebimus. De nullo alio matrimonio c. 3. sermonem esse posse, quam de eo, quod c. 1. et 2. commemoratur, oppositio verborum לֹא־אֶהְיֶה לָכֶם 1, 9. et וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ 3, 3. docet, quam profecto non

casu ortam esse in verba diligenter ponderante propheta magnopere est, quod existimemus. Cap. 4, 10. verbum וְאָכְלוּ diserte respicit ad idem יֹאכֵלוּ v. 8, et cum eo arctissime cohaeret. Cap. 4, 16 — 19. eadem accurata verborum existimatione efficitur, qua de re sermo sit, et quomodo versus illi difficiles capiendi sint. In omnibus inest notio dimissionis a Iehova, quem ipsi non reveriti essent. Haec imagine iuvencae e tuto stabulo dimissae praeparatur v. 16., diserte pronunciatur v. 17. הַנַּח לוֹ, verbis v. 18 et 19 confirmatur, quae curam Dei ab iis prorsus remotam significant: *indulgeant sine pudore pravis libidinibus, eos non curo.* Gravior fit oratio, quoniam v. 18 et 19. ad singula membra praecedentium versuum respicit: סָר סָבְאָם ad יַיִן וְתִירוֹשׁ v. 11., הַזְנֵה הִזְנוּ ad זְנוּנִים et נַאֲפוּפִים v. 11. 13. 14., אָהֲבוּ קָלוֹן מָגִנֶּהָ ad עֵצוֹ וּמַקְלוֹ omnemque impietatem qua יִזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם v. 12., רוּחַ צָרַר אוֹתָם ad רוּחַ זְנוּנִים v. 12 coll. 5, 4. Cap. 5, 7. בָּנִים זָרִים cum symbolica illa expositione c. 1 — 3. et cum eo dicendi modo cohaerent, quo de idololatria verbis נָאַף et בָּגַד agitur. Cum enim Israel sanctum matrimonii cum Iehova vinculum solvit, cives Deo patre gaudere nequeunt, ipsi peregrini sunt liberi, i. e. nihil ad eum pertinere possunt. Cap. 8, 3. et 5. vis radicis זָנַח non melius capi potest, quam ita, ut utramque strictissime sibi oppositam cogitemus: *abiicit Israel felicitatem suam — abiicit vitulus Samariam.* Cap. 9, 14. in bis repetito verbo נָתַן brevissima et aptissima significatio sortis inest, quam ipsi Israelitae sibi paraverint. Cap. 10, 5.

aeque gravissima significatio est vocis עַמִּי. Qui enim olim fuerat populus Dei, עַמִּי 2, 25. 4, 6., ingravescente impietate לֹא עַמִּי 1, 9., nunc adeo *populus idolorum* vocatur. Cap. 13, 10. sensus interpretes propterea fugisse videtur, quod peculiarem vim vocum בְּכָל־עָרֶיךָ neglexerunt. Aptissime enim respiciunt ad בַּמִּדְבָּר v. 5. et sic verba, quae omissa oppositione frigide dicta essent et quae interpretes vexarunt, ad id nos ducunt, quod vates voluit: nimirum voluit Israelitarum fata deinceps recensere eosque, quemadmodum in deserto, ita in urbibus, i. e. in patria culta praesidio Dei tectos pingere. Cap. 14, 1. verbum תֶּאְשַׁם ad idem וַיֶּאְשַׁם 13, 1. spectat, quae ita invicem cohaerere videntur, ut non solum una oratio utriusque capitis fuisse appareat, sed etiam significatio utriusque verbi clare elucescat.

Ad formas rhetoricas, quarum consideratio potissimum vatis nostri interpretationem adiuvat, pertinet *lusus verborum*, *παρονομασία*, cuius plura exempla occurrunt. Praecipue memorandum illud 10, 5. videtur, ubi fere in quavis voce vatem eas omnes in favorem soni coniunxisse monemur. Neque enim עֶגְלוֹת, אָבַל et גָּלָה casu iuxta se posita sunt, neque verba יָגוּרוּ et יָגִילוּ sine soni relatione: quae quidem omnia ad similitudinem nominis עֶגְלָה alludunt; v. 7 et 8. eadam similitudo verborum קֶצֶף et קוֹץ redit. Aliud est exemplum 12, 12. ubi גִּלְעָד, גִּלְגָּל, et גַּלִּים euphoniae causa coniuncta videntur. Cap. 8, 7. verba similiter sonantia קָמָה, צֶמַח et קֶמַח eodem modo alternis scribuntur. Cap. 9, 15. verba כָּל־שָׂרֵיהֶם סוֹרְרִים similitudinem soni produnt

pariter ac 14, 1. verba תְּאְשַׁם שֹׁמְרוֹן. Cap. 10, 8. 9. nil nisi similitudo soni commemorationem Gibeatidarum attulisse videtur; sponte enim in vocibus לַגְּבָעוֹת *colles* et הַגִּבְעָה *Gibea* in aures incurrit. Eodem modo res se habet in quibusdam aliis nominibus propriis. Sic c. 1 et 2. nomen filii יִזְרְעֶאל in gratiam cognati יִשְׂרָאֵל legitur. Nomen autem אֶפְרַיִם subinde alludit ad vocem פָּרָה et פְּרִי *fructus* et *fructus ferre* v. c. 9, 16. 13, 15. 14, 9., ad vocem autem פֶּרֶא *onager* 8, 9. In omnibus hisce locis significatio verborum non nimium premenda est. Primum momentum euphonia erat, quam significatio sponte sequebatur. Est etiam forma dicendi illi cognata, quae *antanaclasis* vocatur, cum eadem vox diversa significatione repetitur. Eam habemus praecipue in voce רוּחַ 4, 19. Cum enim v. 12 et c. 5, 4. significet *libidinum impetum*, qui etiam 4, 19. tanquam primaria vocis notio vati in mente fuisse videtur, simul transfertur ad *ventum*, ut sic indicet interitum in quem abrepturus sit impios בִּכְנָפֶיהָ. Eadem inest nomini בַּעַל 2, 10. 18. 19., nomini יָרֵב 5, 13. 10, 6. et verbo שׁוּב 11, 5., quo loco lusus poetae cum verbo שׁוּב adiecto מְשׁוּבָה clarissime in oculos incurrit. Huc etiam referri potest ambiguitas praepositionis בְּ 12, 13. 14.

Nec desunt *parentheses*, quamquam ista orationis forma rarior in libris sacris occurrit cf. Gesen. ausführl. Lehrgeb. p. 854. Huc pertinent, quae 2, 4. a verbis וְתָסֵר זְנוּנֶיהָ usque ad finem v. 6. leguntur. Repetita enim particula כִּי v. 7. series orationis iterum cum initio v. 4. coniungitur. S. V. Kuinoel contra in parenthesi po-

suit verba כִּי הִיא לֹא אִשְׁתִּי וְאָנֹכִי לֹא אִישָׁהּ, quod mihi secus videtur. Sunt enim vere litigationis liberorum cum muliere momenta, quibuscum sequentia v. 7. verba, et propter particulam כִּי, et propter argumentum orationis optime cohaerent. Est porro parenthesis, quae 4, 4. leguntur וְעַמְּךָ כִּמְרִיבֵי כֹהֵן. Hoc enim loco tantum ὡς ἐν παρόδῳ commemorat, quae postea v. 9. recipit, ut tum demum de sacerdotibus peculiariter loqui incipiat. Item parenthesin habemus 7, 4. verbis יִשְׁבּוֹת מֵעִיר מִלּוּשׁ בָּצֵק עַד־חֻמְצָתוֹ, aliamque c. 11. versus 2 totus et 3 verba וְלֹא־יָדְעוּ כִּי רְפָאתִים efficiunt. Nec aliud quid nisi parenthesis est, cum c. 13. commemorationem fatorum gentis antiquae recensione malorum morum gentis tunc viventis interrumpit v. 9. et 12. 13.

In indicanda vatis oratione *significatio metonymica* eorum verborum non negligenda est, quibus abstractum pro concreto ponitur. Quae ut omnino forma est poetica, ita imprimis illis antiquis hominibus, quorum abstractarum et concretarum rerum sensus nec satis certus, nec cultiore lingua definitus erat. Ita ponitur 2, 4. זְנוּנִים et נַאֲפוּפִים pro consuetudine impudica et adultera, v. 11. עֶרְוָה pro nudo corpore, 4, 18. קָלוֹן et מְגִנָּה insania pro pudenda et insana idololatria, 5, 5. et 7, 10. גְּאוֹן־יִשְׂרָאֵל pro simulacris quibus superbiunt, 5, 7. חֶלְקֵיהֶם sors pro terra sortita, i. e. patria, 9, 6. מַחְמַד לְכַסְפָּם pro desiderandis aedibus argenteis, 9, 10. בֹּשֶׁת pro pudendo simulacro, שִׁקּוּצִים pro abominabilibus, אֳהָבָם pro iis quae amant, 9, 16.

מַחֲמַדֵּי בִטְנָם pro carissima sobole. Huc pertinet etiam metonymia עֵץ et מַקֵּל pro simulacris ligneis 4, 12.

Restant voces vel prorsus novae vel peculiari significatione obviae. Novae sunt נַבְלוּת 2, 12., אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים 3, 1., מֶרְחָב 4, 16., מְגִנָּה 4, 18., שֵׁטִים 5, 2., שְׁבָבִים 8, 6., הַבְהָבִים 8, 13., מַשְׂטֵמָה 9, 8., אוֹכִיל 11, 4., תַּמְרוּרִים 12, 15., יִלָּבֵט 4, 14., יֵגְהֶה 5, 13., תַּלְאוּבוֹת 13, 5., תִּרְגַּלְתִּי 11, 3., אֲמַגֶּנְךָ 11, 8. Voces vel nudae vel compositae peculiari vi occurrunt אַחֲרִית הַיָּמִים *finis dierum statutorum* 3, 5., סֹבֶא *compotatio* 4, 16., מַסִּיגֵי גְבוּל *terminos imperii removentes* 5, 10., קִרְיַת עֲקֻבָּה מִדָּם *civitas vestigiis sanguinolentis conculcata* 6. 8., שֵׁמַע *fabula* 7, 12., זַעַם לְשׁוֹנָם *proterve et mendaciter enunciata* 7, 16., לֶחֶם אוֹנִים *panis inter luctum et lacrymas sumtus* 9, 4., אָדָם *homo adultus* 9, 12., נָוֶה *pulchra et amoena domicilia* 9, 13., גֶּפֶן בּוֹקֵק *vitis late se expandens* 10, 1., שֹׁמְרוֹן מַלְכָּהּ *regia Samaria* et קֶצֶף *spuma* 10, 7., רָעַת רָעַתְכֶם *extrema vestra impietas* 10, 15., בַּדִּים *vectes portarum* 11, 6., מִשְׁבַּר בָּנִים *os matricis* 13, 13., פָּרִים שְׂפָתֵינוּ *oblationes labiorum nostrorum* 14, 3.: פָּחַד de anxio et festinante accessu ad Iehovam 3, 5., פָּרַץ de effugiendo damno 4, 10., הֶעֱמִיק de pessimis sceleribus committendis 5, 2. 9, 9., חָצַב et הָרַג de prophetis animum suorum confringentibus 6, 5., מָשַׁךְ יָד de porrigenda manu ad consortium ineundum 7, 5., בָּלַל de commixtione cum gentilibus, voce a subigenda massa coquenda petita, 7, 8., עָרַךְ de miscendis sacrificiis 9, 4., דָּמָה de

modo prophetias parabolis edendi 12, 11., חָרַשׁ רֶשַׁע de colenda improbitate 10, 13. Huc pertinet significatio usitata verborum בִּקֵּשׁ et דָּרַשׁ יְהוָה, *adire sacra Iehovae Hierosolymis unice recte celebranda* 3, 5. 5, 15. 7, 10. 10, 12., קִבֵּץ et אָסַף, *colligere ad interitum* 4, 3. 8, 10. 9, 6., יָדַע et דַּעַת אֱלֹהִים de ea Dei cognitione, quae pietatem in animis hominum gignit 4, 1. 5, 4. 6, 6. 13, 4. etc., שׁוּב *redire ad meliorem frugem* 11, 5.

3. Poetarum sacrorum diligentissime observandus est parallelismus, et quoniam rhythmum poeticum format [16]), et quoniam ad illustranda loca per se obscura et intellectu difficilia gravissimi momenti est. Omnes interpretes recentiores maximi eum faciunt vid. Herder Geist d. Hebr. Poesie I, 19., qui idem improbationes adversus eum excitatas egregrie refellit. Vates

16) „Der Rhythmus der Hebr. Poesie ist nicht wie bei „den Griechen in Sylben-Messung auch nicht wie „bei den Neuern im Reim, sondern in einem durch „den Inhalt bestimmten Ebenmaass der einzelnen „Sätze der Rede, dem bekannten Parallelismus der „Glieder, wozu noch ein gewisser Wohlklang der „Rede und feierlicher Tonfall kommt. Die begeisterte „Rede des Hebräers bewegt sich in einem feierlichen „gleichschwebenden Gange. Viele haben diesem uns „metrischen und reimlosen Rhythmus keinen Ge- „schmack abgewonnen oder ihm den Nahmen Rhyth- „mus abgesprochen, Ist aber Rhythmus im allge- „meinen harmonische Bewegung der Rede, so muss „auch dieser Parallelismus als eine solche harmoni- „Bewegung seine Stelle unter d. Rhythmischen For- „men behaupten.“ Bernstein im N. theol. Journ. v. Winer und Engelhardt. B. 2. 1824. p. 45.

noster eundem rhythmicum modum elegantissime servavit, nec exigua est eius poematum vis, quoniam magna sententiarum copia parallelismo illo membrorum facili et dulci arte connexa est. Iam quomodo ad intelligendum vatis sensum observari et tractari debeat expouam. Eius adminiculo oratio universi c. 2. facilius fluit. Nec altius latet in aliis locis. Cap. 4, 4. verbum parallelum יוֹכַח illustrat praecedens יָרֵב; v. 8. nulla dubitatio reliqua est de significatione verborum חַטָּאת יֹאכֵלוּ, quia cum altero membro אֶל־עֲוֹנָם יִשְׂאוּ נַפְשׁוֹ componuntur, scil. *avide peccata committunt*; v. 12. מַקְלוֹ et עֵץ cum rhythmo tum sensu sibi respondent. Omne dubium de significatione v. 16. cadit, cum versum 17. praecipue verba הַנַּח־לוֹ quasi reflexionem praecedentis esse putamus; nam fere idem de Ephraimo, quod antea de Israele dicitur. Cap. 5. ratione prorsus parallela v. 2. 5. 7. iuxta se positi sunt; quae v. 2. de victimis, ea v. 5. de simulacrorum generibus, v. 7. de festis, mutatis tantum verbis dicuntur; v. 12 — 14. quodque sequens membrum praecedens et illustrat et amplificat. Cap. 6, 1. 2. aptissime gradus sanationis iuxta se ponuntur; v. 5. בַּנְּבִיאִים et בְּאִמְרֵי־פִי idem significant; v. 6. verbum מֵעֹלוֹת, quod interpretes offendit, non ultra offendere potest, cum e parallelismo nil aliud significare quam antea לֹא־זָבַח intelligamus; v. 8. 9. post historicam commemorationem rhythmi causa v. 8. עֲקֻבָּה מִדָּם et v. 9. כִּי זִמָּה עָשׂוּ adposita videntur. Cap. 7, 8. elegans parallelismus isque utrobique sensum evolvens in verbis בָּעַמִּים יִתְבּוֹלָל et הָיָה עֻגָה בְּלִי הֲפוּכָה,

et v. 9. in verbis זָרִים אָכְלוּ כֹחוֹ et שֵׂיבָה זָרְקָה בּוֹ deprehenditur. Rhythmus initio v. 13. tantus est, ut verba אוֹי — כִּי fere velut cantus in aures sonent. Eodem modo finis v. 13. cum initio v. 14. cohaeret. Quae autem significatio sit verbi יִתְגּוֹרָרוּ v. 14. in dubium vocari non posse videtur, ubi ad יָסוּרוּ בִי attendis, scil. *ad vinum et triticum peregrinantur — a me recedunt*; v. 16. imago arcus elegantissimum parallelismum praecedentis יָשׁוּבוּ לֹא עָל efficit. Iterum in eodem versu זַעַם לְשׁוֹנָם erit לַעֲנָם i. e. *ut illi quaevis proterve loquuntur, ita proterve a barbaris deridentur*. Cap. 8, 3. et 5. in tanta brevitate quanta vis est oppositorum parallelorum זָנַח יִשְׂרָאֵל טוֹב et זָנַח עֶגְלֵךְ שֹׁמְרוֹן, porro אוֹיֵב יִרְדְּפוֹ et חָרָה אַפִּי בָּם! v. 7. non melius coniunctionem sententiarum vatis intelligemus quam parallelismo consulto, scil. רוּחַ יִזְרָעוּ et סוּפָתָה יִקְצֹרוּ *ventus dissipabit, turbo conglomerabit eum tanquam in messe*. Cap. 9, 1—6. iterum omnia membra parallela sunt, v. 4. difficile verbum יֶעֶרְבוּ illustratur praecedenti יִסְּכוּ; sequentia verba ita legenda sunt: לֶחֶם כְּלֶחֶם אוֹנִים לָהֶם — כָּל אֹכְלָיו יִטַּמָּאוּ. A subsequentibus huius capitis partibus quamquam nusquam parallelismus deest, alio modo difficultates removeri debent. Cap. 10. statim v. 1. elegantissime cohaerent כְּרֹב לְפִרְיוֹ הִרְבָּה et כְּטוֹב לְאַרְצוֹ הֵיטִיבוּ; v. 4. parallelismus monet, ut in altero membro דִּבְּרוּ e priori repetamus; v. 5. prius membrum usque ad עַמּוֹ porrigitur, tum alterum quasi prius resonat et rhythmus vere musicus utrique inest; v. 8. similis est versui 7. iterum cognatis verbis קֶצֶף et קוֹץ

adhibitis; qui autem fieri potuerit, ut aliquis huic similitudini attentus in nomine מַלְכָּה de rege cogitaverit, cum tantum utrobique de exscindendis locis civibus sacris et venerabilibus sermo sit, non video; v. 12. 13. parallelismus orationis sponte in oculos incurrit. Cap. 11. omnia parallela sunt, v. 1. in altero membro amplificata amoris illius, quem prius membrum indicat, descriptio exhibetur; v. 4. חַבְלֵי אָדָם et עֲבֹתוֹת אַהֲבָה eodem sensu iuxta se ponuntur; v. 7. posterioris membri sententia illam prioris illustrat, sensus enim hic existit: *vellent si possent sursum se efferre ad Iehovam, adeo ad eum clamant, verum sunt* תְּלוּאִים *infixi defectui ab eo*; v. 8. נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי et יַחַד נִכְמְרוּ נִחוּמָי eandem sententiam pronunciant. Cap. 12, 2. tria paria sententiarum duplici modo pronunciata exhibentur: v. 4. בַּבֶּטֶן et בְּאוֹנוֹ sibi opponuntur et se illustrant; v. 5. adeo dictionis parallelismus suadet ut post בֵּית־אֵל יִמְצָאֶנּוּ legatur וְשָׁם יְדַבֵּר עִמָּנוּ; v. 11. singula membra idem significant, itaque אֲדָמָה nil aliud est nisi modus prophetiam edendi; v. 13 et 14. egregia est membrorum oppositio de qua iam supra p. 119. exposuimus. Cap. 13, 2. iterum idem significantia membra, quorum parallelismus non video quomodo interpretes fugerit: יַעֲשׂוּ לָהֶם עֲגָלִים; זֹבְחֵי אָדָם; לָהֶם הֵם אֹמְרִים; מַסֵּכָה וַעֲצַבִּים יִשָּׁקוּן; unumquodque enim membrum idololatriae insipientiam gradatim amplificat. Haud difficilis est parallelismus v. 3. 4. 7. 8. Una sententia v. 14. quadruplici modo exhibetur, nimirum: *a morte eos liberavi*. Cap. 14. in comparationibus quae sortem felicem Israelitas man-

suram pingunt, parallelismus parallelismum excipit; v. 8. sequentia וְיִפְרְחוּ כַגָּפֶן et זִכְרוֹ כְּיֵין in prioribus etiam יְחַיּוּ כַדָּגָן pro vulgari דָּגָן si non legi tamen intelligi iubent; v. 9. iterum propter recensionem felicitatis in tribus posterioribus membris quartum prius אֲנִי עניתי significationem calamitatis continere non potest, sed, ut vulgaris lectio עָנִיתִי monet, explicari debet: *eum exaudiam.*

VI.

De historia vaticiniorum Hoseae.

Hoseas vaticinia sua in utroque regno dispersa reliquit. Licet enim peculiari modo ad Israelitas directa essent, tamen multa, quae Iudaeos monerent, continuerunt. Conditio utriusque imperii ad civium mores imprimis regnante Ahaso fere eadem fuit et eadem utriusque politica dissolutio. Ex quo factum est, ut curae vatis Israelitis significatae non minori gravitate et pondere ad duas reliquas tribus transferri possent. Vir Ill. Eichhorn quidem Hoseam ipsum omnia in unum fasciculum collegisse statuit Einl. ins A. T. tom. IV. §. 554. p. 274. Verum causa, quam adfert, epiphonema 14, 10. non sufficit. Non minus enim suo loco est, ubi capp. 13 et 14. ultimas animi vatis significationes, quibus munus propheticum finiverit, contineri existimamus. Sunt contra causae, quarum consideratio operis compositionem in seriora tempora ablegandam esse monet. Vidimus in uberione expositione p. 45 sqq. singulas eius partes non ratione

temporis in ordinem redactas esse: 7, 7—16. seriora tempora indicare, quam caput undecimum, 8, 1 — 10. post 5, 9. esse ponendum, adeo particulam c. 9, a v. 7. medio — v. 9. quasi casu in locum plane alienum esse deiectam. Ut autem aliae partes suo loco dimotae reperiuntur, sic aliae plane deperditae esse videntur; idque probabile fit hac quidem causa gravissima. Cum enim neminem fugiat, vatem nostrum memoratu dignissima, quae ex historia novimus, imperii Israelitici et Iudaici fata cecinisse, scil. interregnum et spem, quae eo durante a piis Iacobi posteris alebatur, fore, ut id restituta coniunctione utriusque regni finiretur c. 1 — 3., implorationem auxilii Assyriorum temporibus Menahemi 8, 1 — 10., proterviam et morbum Usiae 5, 10 — 15., trucidationem Pekahi 7, 1 — 7., eandem cum aliis illo tempore commissis facinoribus 6, 4 — 11., perniciosum vinculum Hoseae regis cum Assyriis c. 11., mendax eiusdem regis studium ope Aegyptiorum ab Assyriacae amicitiae mole se redimendi 7, 7—16. c. 12.: qui factum fuerit, ut de alio quodam eventu publico eoque inter omnes gravissimo tacuerit, vel, si non tacuerit, eum in collectione omiserit, non liquet. Insanum dico et nefarium regis Pekahi cum Rezino Syrorum rege foedus et inde motum bellum Israelitarum cum civibus duarum tribuum, de quo vid. 2 Reg. 16, 5 sqq. 2 Chron. 28, 7 sqq. et Ies. 7 sqq. Syrorum ne verbulo quidem mentio fit, cum tamen subinde Aegyptii et Assyrii commemorentur, neque exilii civium superioris Galilaeae et regionum Transiordanensium; nam quae 12, 10. leguntur tantum occasionis causa calamo excidisse videntur. Qui eventus rebus Israeliticis Iudaicisque

perniciosissimus et mortis regis Pekahi, et regiminis Assyriorum, et subsequentis Israelitarum interitus causa fuit; quippe turbae sedari non poterant, nisi regis Pekahi parricidio tributoque magno soluto Assyriorum gratia Hoseae parricidae conciliaretur. Cum igitur de tam gravi momento apud poetam nostrum fata publica canendi studiosum nil legatur, desideramus, quod frustra quaerimus, et lacunam operis aegre ferimus [16]). Ut autem haec lacuna in promtu est, ita plura vaticinia temporum vi interire potuerunt. Hinc ortam dubitationem iam S. V. Rosenmüelleri sententia sustulit Schol. in V. T. prooem. in Hos. p. 26 sq. fuisse „hominem quendam Ju„daeum, qui oracula dispersa sacrorum scripto„rum syntagmati inserenda unum in volumen col„ligere aggrederetur.“

Videamus quomodo ex nostra sententia rem exponamus. Hoseas et reliqui antiqui prophetae oracula minime eo consilio scripserunt, ut posterorum memoriae traderentur (omnia enim ad cives suos spectarunt), sed ut in patria divulgarentur utque eos etiam commoverent, quorum aures attingere oris effata nequirent. Tali modo etiam in regnum Iudaeorum venerunt, fortasse ad Iudaeos consulto missa. Regnum cum viris Israeliticis interiit. At memoria tantorum virorum alta mente reposita mansit, immo eorum auctoritas in dies aucta est, cum natio sorte sua edocta probitatem et veritatem eorum magis co-

16) Quae S. V. Kuinoel tentavit, ut foedus Israelitarum cum Assyris in 5, 13. insereret, nec sufficiunt, nec doctrina ingenioque eius digna sunt; cf. infra commentar. ad illum locum.

gnosceret, et sera poenitentia intelligeret, quam male animo ab eorum monitis averso egissent. Sic calamitate temporum studium quae adhuc superessent eorum monumenta colligendi ortum est, et ut illos viros olim neglectos omni qua par erat pietate revererentur, et ut Iudaei adhuc superstites commonefierent.

Ante exilium Assyriacum, in quod Israelitae agebantur, eiusmodi collectionis nullum certum documentum exstat, quamquam tot divinitus inspiratorum nomina ad nos pervenerunt. Utrum enim illa Ionae vaticinia, quae iam temporibus Ierobeami II. enunciata fuisse legimus 2 Reg. 14, 25, uti nunc ea quidem habemus ab auctore ipso profecta habenda sint necne, id admodum in dubium vocari posse videtur. Omnino speciem mythicae traditionis diu post eius mortem, cum scripta eius interiissent, literis mandatae prae se ferunt. Simulac autem regnum Israeliticum eversum erat, plura prophetarum monumenta exstiterunt Hoseae, Ioelis, Amosi, Iesaiae, Ionae, quorum collectio uberior et facilior fuit, ubi auctores Iudaeos complectebatur; ex quo etiam factum est, ut sermones Hoseae et Amosi (Israelitarum) multo imperfectiores et potius in forma fragmentorum ad nos venerint, quam Ioelis, Iesaiae, Michae, qui in regno Iudaico floruerunt.

Post imperii Israelitici excidium plures adhuc vivebant, qui Hoseam et Amosum vaticinantem cognoverant, deque Iona audiverant. Horum et profugi, et ab Hiskia rege Hierosolymitano arcessiti, et ad domicilia in tribubus Iudae collocanda invitati 2 Chron. 30, 1. 7. 11. 25. 31, 6., fragmenta orationum sacrarum et secum portarunt, et inter Beniaminitas sparsa invene-

runt. Erant, quae ex unoquoque horum virorum audivisse meminissent. Haec inter Iudaeos inventa illaque secum portata, de quorum utrorumque origine dubium iis existere non potuit, congesserunt et congesta inscriptione instruxerunt. Sic nostri Hoseae quoque inscriptio ingenio vatis maxime conveniens orta est. Quod enim offendit, unius tantum Israelitici regis mentionem fieri, cum tamen propheta plurium regum fata tetigerit, id optime eius et omnium piorum Israelitarum de regibus illis sentiendi modo respondet. Nam post Ierobeamum II, fortasse excepto filio Sacharia paucissimos menses regnante, omnes a Deo non vocati, ergo nomine regio indigni erant. Ionae fata et sermones e memoria scriptis composuerunt. Sic quasi sacrum pristini Israelitici aevi monumentum e temporum ruina conservatum sibi recondiderunt et statu regni Iudaici post cladem Sanheribi placato sacris Hierosolymitanis addiderunt, quod, post Manassis et Ammonis tempora iterum maxime calamitosa regnante Iosia rursus inventum, fortasse priori parte oraculorum Iesaiae sicuti et reliquiis Ioelis et Michae auctum est. Qua sententia probata etiam commodissime de illa vatis nostri lacuna statuere licet. Colligentes pii Israelitae partium desideratarum vestigium inter Iudaeos non invenerunt. Cum enim illud nefarium bellum conflatum esset, commercium utriusque regni sublatum fuisse videtur, ita ut vatis sermones Iudaeos attingere non potuerint. Quae autem vel secum tulerunt vel in memoria habuerunt, ita comparata fuerunt, ut aliquid certi collectioni inserere non liceret. Fortasse consulto de iis tacuerunt, ne rem tangerent regi et omnino populo Iudaico infensam.

Rationem, qua scripta illa sacra Hierosolymis et templo destructis conservata fuerint, nescimus. Antiqua traditio fert: Ieremiam scripta Mosis et reliquorum sanctorum virorum incendio templi erepta secum in Babyloniam detulisse (cf. Eichhorn. Einleit. ins A. T. I, c. 1. §. 3.). Nec est, quod huic narrationi contradicamus. Non enim copiosus fasciculus fuit. Quae in templo recondita fuerant non tam publica cura tecta fuisse, ut semper usui paterent atque ab interitu vindicarentur, historia Iosiae docet, ubi inventae leges Mosis tanti sunt factae 2 Chron. 14—30. 2 Reg. 22, 8 sqq. Itaque praeter scripta Mosis, praeter cantica sacra et genealogias librorum historicorum fundamenta, denique praeter laudatos prophetas nil deportandum fuit. Horum autem sacrorum monumentorum fasciculum non modo in templo sed etiam prophetis ubique sparsis notissimum fuisse, Eichhorn l. l. docuit, et vatis nostri lectio confirmat, quippe qui inter Israelitas degens subinde huc respexerit, cf. pag. 116. Fac ea, quae in templo et quae privata piorum virorum cura conservata fuerunt, Ieremiam vel alios de patriae institutione bene sentientes secum in exilium portasse, id certum est, Iudaeos exules ea semper devotissimo studio fovisse. Idem scriptis Hoseae contigit, quae exilio reportata et post templi patriaeque restitutionem sacrorum librorum catalogo adscripta reperimus. Nec ipsi *nunc* demum adscripta legimus, sed ibidem nunquam defuisse sat vestigiorum habemus. Continentur versione Alexandrina. A Philone singula eorum loca diserte commemorantur, cf. Eichhorn l. l. §. 30. Iosephi testimonium dubium est. Refert enim Antiqq. lib. 10, c. 3. non

tantum Esaiam, sed reliquos prophetas, quorum 12 numero essent, vaticinia reliquisse, ut eventu comprobata esse intelligerentur; quamquam autem eodem loco se de unoquoque sigillatim locuturum esse promisit, tamen promissis omnino non stetit, neque omnes duodecim neque Hoseam nominavit. Itaque incertum est, utrum verbis *δώδεκα τὸν ἀριθμόν* tantum nostros 12 prophetas minores, an omnes praeter Iesaiam reliquos 15 in animo habuerit, et qui fuerint illi 3 ab eo omissi. Melito praeter reliquos nostros maiores prophetas *δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ* commemoravit. Quid de Origenis omissione 12 prophetarum minorum statuendum sit Eichhorn l. l. §. 54. adfert. Ceterum Targum Ionathanis, Hieronymus, Talmud omnesque seriores versiones Hoseam nostrum habent.

Quod ad historiam textus pertinet, eum cum textu omnium sacrorum scriptorum, certe postquam in catalogum *τῶν ἁγιογράφων* receptus erat, diligentissima cura observatum fuisse ne depravatione laederetur constat. Attamen tanto temporum intervallo omnis depravatio evitari non potuit. Nam et in interpretatione LXX., et in paraphrasi Ionathanis, et in versione Hieronymi, et in reliquis antiquissimis versionibus lectiones a nostro textu recedentes reperiuntur. Longius in usu punctationis recedunt, quod neminem interpretum offendere potest, cum textum sacrorum librorum non ante quintum saeculum nostris vocalibus et accentibus instructum esse certissimis documentis demonstratum sit, cf. Capelli arcanum punctationis revelatum, libri 2. Eichhorn l. l. tom. I. cap. 11. §. 68—72.

Antiquarum versionum maximam auctorita-

tem in ecclesia quoque Christiana nactae sunt Graeca Alexandrina, Chaldaicae nomine Targumim insignitae, quarum auctor versionis sive potius paraphraseos Prophetarum Ionathan adeo temporibus Haggai, Zachariae et Malachiae vixisse a Iudaeis fertur, Latina Hieronymi. Qui omnes interpretes quamquam in intelligendis prophetis non negligendi sunt, tamen probe cavendum est, ne eorum erroribus abripiamur. Quam difficile autem sit eorum vinculis auctoritate et usu tot temporum quasi sacratis prorsus non adstrictum teneri omnis interpretationis historia docet, nec nostris temporibus ea plane rupta sunt. Versio Alexandrina maximis erroribus laborat. Sunt loca, quae vatis nostri sententiam nonnunquam tam absurdo modo vitiant, ut omnino non intelligatur, quomodo error ortus sit, v. c. 1, 4. 2, 4. 14. 17. 5, 2. 14. 7, 2. 4. 13. 16. 8, 1. 3. 4. 10. 12. 9, 6. 13. 10, 5. 6. 8. 11, 3. 4. 7. 12, 5. 9. 12. 13, 2. 3. 13. 14, 3. 5. 6. Nihilominus eius auctoritas usque ad Hieronymum tanta fuit, ut adeo Hieronymus ipse falsissimis eius interpretationibus sublimiorem sensum substruendo diligentem operam navaverit. In adhibenda igitur hac versione probe cavendum est, ne eius causa aliquid in textu Hebraico mutemus, neve vatis sententiam bene cepisse existimemus. Ipsa nil nisi cumulum aliis verum vatis sensum inveniendi gravibus causis addere potest. Paraphrasis Chaldaica, Ionathanis praecipue, interpretibus Hebraicis dux et fax fuit. Sal. Iarchi, Ebn Esra, Dav. Kimchi, primates inter Rabbinos, in eo negotium impendunt, ut eam defendant et confirment. Sed quamquam eam longe versioni LXX. praestare non inficie-

mur, tamen tantum abest, ut saniorem de sensu vatis cogitandi rationem excludat, ut diligentissimum eam Hebraicarum literarum eruditione examinandi studium provocet. Emicat Hieronymus, qui primus in ecclesia Occidentali grave negotium suscepit ab auctoritate LXX. liberam et textui Hebraico consentaneam interpretationem introducendi, gravius etiam, quoniam antiquiorum Christianorum auxilio destitutus cum Alexandrinorum patronis v. c. cum Augustino et Rufino luctani iniit. Quae enim Aquilae, Symmacho, Theodotioni, et ad Hoseam nostrum Apollinario Laodiceno, Origeni, Pierio, Eusebio Caesareensi, Didymo, Hebraeorumque magistris (vid. Prooem. in Hoseam ad Pamphilum) debuit, non magni momenti fuisse ipse fatetur. Egregiam vati nostro interpretando viam aperuit. Utinam posteriores pii Christiani eam viam doctrina et ingenio instructi ingressi fuissent. Verum in verba eius iurare maluerunt. Versio eius quasi canonicam auctoritatem adepta est. Quae autem in posteriori Vulgata aliter leguntur, non emendationis, sed depravationis nomine notanda sunt plurimaque praeterierunt saecula usque dum liberior sacra monumenta tractandi ratio nostro quoque vati facem accendit.

Lutherus primus nostrae ecclesiae interpres et commentator tractationem vatis aggressus annotationes in Hoseam prophetam Vitebergae 1526 edidit. Quamquam prophetae nostri expositionem magis in usum dogmaticum et moralem scripserit, tamen haud exigua eruditione et illa ingenii vi, quae ex omnibus eius operibus elucet, eam ita confecit, ut studium omnem auctoritatis et antiquitatis opinionem prae-

iudicatam deponendi significet. Qui eum secuti sunt doctissimi, et nostrae, et aliarum ecclesiarum interpretes, copiosissime et omni, qua par est eruditione literaria atque critica recensuit Ill. noster Ern. Friedr. Car. Rosenmueller (in Scholiorum in V. Test. Tomi tertii vol. primo Hoseam et Ioelem continente Lipsiae 1817.), cui ex meo certe penu literario nil addere habeo. Ipse illis interpretibus doctissimo suo commentario se adiunxit, qui, quicquid antiquitus et recentius de Hosea scriptum est, brevi sed eleganti conspectu exhibet, in quo id unum dolendum est, quod de suis tam pauca addidit, siquidem et in singulorum poematum argumenti recensione et in modo, quo eorum seriem connectit, raro se ipsum, plerumque notas marginales Ioh. Henr. Michaelis ad editionem V. T. Halae 1720. nuncupat. Aliud opus post istius voluminis editionem in lucem prodiit Illustrissimi et de interpretatione V. T. Meritissimi I. G. Eichhornii: die Hebraeischen Propheten Gottingae 1816., in quorum primo volumine Hoseam ita tractavit, ut vernaculam versionem addito sententiarum vatis earumque inter se connexionis conspectu cum historicis animadversionibus ederet. Opus maxima elegantia et eruditione confectum, cui in eo tantum non assenserim, quod argumentum vaticiniorum nimium in locis communibns et in notionibus universalibus quaerit, et sic vatem semper in gyrum agit, cum tamen in peculiari ad historiam ipsius aevi et ad statum regni politicum respectu maxima vatis et vis, et copia, et elegantia mihi inesse videatur. Ex quo etiam fit, ut subtile eius poeseos vinculum tollat, et suum Hoseam vere fragmentarium s. (secundum Hie-

ronymum) commaticum faciat. Ad interpretes recentissimos Hoseae accedit etiam. V. Ill. de Wette, in Versione SSorum: Die Schriften des A. und N. T. übersetzt von I. Ch. W. Augusti und. W. Mt. Lbr. de Wette, Heidelberg, B. IV. 1810., qui linguae vernaculae aeque potens atque eruditione excellens copiam interpretationum egregio ornamento locupletavit. His recentioribus V. Ill. E. G. A. Boeckelii nunc Hamburgensis Versio Hoseae Germanica Regiomont. 1803. non obscurata est, quae, quamquam linguae vernaculae poetico usu non omnibus satisfaciat, tamen et ingeniosa est, et docta vatis tractatione praestat.

Vaticinia Hoseae.

I.

Inscriptio operis.

I, 1. Monita Iehovae, quae contigerunt Hoseae filio Beéri temporibus Usiae, Iothami, Ahasi et Hiskiae regum Iudae et temporibus Ierobeami filii Iohasi regis Israelis [17].

דְּבַר־יְהוָה pr. *verbum Dei*. Quemcunque modum, quo Deus vim suam patefacit, hoc nomen complectitur. Repetitus est huius nominis usus e primis humani generis monumentis Gen. 1, 3. 6. 9. etc. Ad eum probe diiudicandum in primordia culturae humanae ascendamus. Quemadmodum maiestas regis in eo ponebatur, ut verbum eius sufficeret ad quaelibet perficienda, ita Deus cogitabatur stipatus numinibus, simplicibus elementis et auxiliis, quae iussu eius quocunque moveren-

---

17) Id ante omnia moneri debet, in toto vatis nostri poemate discrimen inter Iudaeos et Israelitas probe esse observandum. Illi sunt cives regni tribuum Iudae et Beniaminis, hi cives reliquarum decem tribuum. Unde etiam in omni nostra commentatione nomina *Iudaeorum* et *Israelitarum* hoc peculiari sensu leguntur. Ubi de posteris Abrahami in universum sermo est, plerumque *Iacobitae* appellantur.

I, 1.

tur (Ps. 33, 6. 9. 104, 4. cf. Matth. 8, 8. 9.), et uti hominis voluntas verbis significatur, ita prioris aevi homines, qui non nisi anthropopathice de Deo cogitare et loqui poterant, omnem manifestationem voluntatis Dei דְּבַר־יְהוָה appellabant. Ita vates antiqui, simulac aliquodammodo se excitari sentiebant ad gravia et vulgares res excedentia cogitandum et proferendum, id Deo tribuebant verbis: וַיְהִי דְבַר־יְהוָה אֵלַי Ier. 1, 4. 11. Ez. 3, 16. al. Ex quo factum est, ut paullatim in posteriore res philosophice tractandi ratione illud דָּבָר, quod antea populari modo adhibitum erat, tanquam essentiale quid cogitaretur et in ipsa voce arcana quaedam institutio de divini numinis interna relatione quaereretur. Unde et h. l. Hieronymus ad illum philosophicum verbi sensum mystice respiciens: *Verbum*, ait, *Domini, quod in principio erat apud Deum patrem et Deus erat, factum est ad Hoseam filium Beeri.* In hac nostra inscriptione, quemadmodum Ioel 1, 1. Mich. 1, 1., indicat complexum admonitionum divinitus in animo Hoseae excitatarum. אֲשֶׁר הָיָה *quod factum est.* Non singulari quovis loco premendus est modus, quo exhibita sint vatibus divina monita, num somnio 1 Reg. 3, 5. Dan. 7, 1. Ioel 3, 1. al., an visionibus Num. 12, 6. Ez. 40, 2. Am. 7, 1. al., an inusitata quadam et vehementi animi exsultatione Ez. 8, 1. 2. Apoc. 1, 10., an inopinatis eventibus naturae 1 Reg. 19, 11 — 13., an rebus communis vitae Ier. 18, 2 — 4. 24, 2. 3. Ez. 37, 1 — 3., an, ubi talia non commemorantur, inventionibus strenuarum cogitationum Ies. 50, 4. 5. fervoreque piorum animi sensuum Ies. 26, 9., inspiratione adeo poetica et musica 2 Reg. 3, 15. 1 Chron. 26, 1 — 3. Sufficit haec illis contigisse et grato animo ea colere, quae ad emendationem generis humani Deo gubernante per prophetas gesta sunt, cf. Herder Geist der Hebr. Poesie ed. Iusti T. 2. p. 69. 70.

הוֹשֵׁעַ. De significatione huius nominis Hieronymus disserit: *in lingua nostra sonare salvatorem.* Est imp. s. inf. Hiph. *salvando* scil. *salvavit nos.* Apud LXX. legitur ’Ωσηὲ, in nonnullis Graecis exemplaribus ’Αυσῆ, quod Hieron. reprehendit ac si *nihil omnino intelligatur.* Verum idem est atque ’Ωσηὲ. Varietas in-

I, 1.

est in pronunciatione τοῦ ו, quod Graeca litera υ significatur, הוֹ, αὐ, Hieron. ω, cf. Drusius ad h. l. Huic nomini iam aliquid symbolici inesse contendit Lightfoot Chronol. p. 92.: *quemadmodum sub Hosea, i. e. Iosua, quondam intravit Israel in terram Canaanis et sub quodam Hosea inde educti fuerunt in captivitatem, ita suscitavit dominus Hoseam primum horum prophetarum, qui ingratam eorum mentem perstringeret ratione introitus et terribilia denunciaret, quoad captivitatem.* בֶּן־בְּאֵרִי. De patre isto prophetae nil constat. Commenta antiquiorum interpretum vid. in introd. p. 4. De regibus sub quorum imperio Hoseas prophetias suas edidit, monumenta supersunt 2 Reg. 14—18. et 2 Chron. 25—29., vid. introd. p. 5 sqq. Inscriptionem autem non a vate ipso, sed post eius decessum collectione fragmentorum eius facta adiectam esse, in eo omnes recentiores interpretes consentiunt, cf. introd. p. 131 sq.

II.

Cap. I, 2 — II, 3.

I, 2. Incepit Iehova divinitus Hoseam monere, cum ei diceret: abi, matrimonio adiunge tibi mulierem meretricem et liberos e scorto prodit uros, nam impios populus sequitur amores aversus a Iehova. 3. Abiit propheta et duxit Gomeram filiam Diblaimi, quae gravida facta filium ei peperit. 4. Iehova vero ita eum allocutus est: Voca nomen eius Iisreel; brevi enim animadvertam ob caedes Iisreele perpetratas in familiam Iehu, et prorsus evanescere faciam imperium domus Israelis. 5. Eo tempore frangam vim Israelis in planitie Iisreele. 6. Iterum gravida facta mulier prophetae filiam peperit, quam Iehova nomine Loruechamae appellari iussit. Non enim,

inquit, diutius miserebor domus Israelis quin ab iis poenas repetam. 7. Sed domum Iudae benigne excipiam ipsosque salvos faciam per me Iehovam, eorum Deum. Non autem saluti eorum consulam arcu, nec gladio, nec armis, nec equis, nec equitibus. 8. Quum vero mater a mammis removisset filiam Loruechamam, denuo concepit peperitque filium, 9. quem Deus iussit vocari Loammi. Nam, inquit, non estis meus populus, propterea ego quoque non vester ero. II, 1. Attamen erit numerus filiorum Israelis ut arena maris immensus et innumerabilis, quibus eveniet, ut in loco, ubi alias dictum erat: „Vos non estis meus populus," rursus audiant filii viventis Dei. 2. Una simul enim filii Iudae et filii Israelis reconciliabuntur. Tum constituent sibi unum principem et emergent e miseria sua, nam magnus est dies Iisreel. 3. Appellate igitur fratres vestros Ammi et sorores vestras Ruechamah.

De tempore et sensu oraculorum Hoseae, quae c. 1 — 3. continentur, vid. introd. p. 46 sqq. Id omnino tenendum est, fatum aliquod domesticum vaticinia canendi Hoseae occasionem praebuisse eumque illa occasione lyrico modo usum esse ad disserendum de moribus et fatis Israelitarum Iudaeorumque. Prima autem haec particula profert poetice, quae evenerint, quomodo ipse datum sibi Dei monitum intellexerit et quomodo se ipse divinae patientiae atque fiduciae erga gentem iam ita deperditam exemplum populo exhibuerit. Opera, qua haec tria capita sigillatim exposuerunt, vid. ap. Rosenmuellerum in Schol. ad h. l. p. 42 sqq.

2. תְּחִלַּת דִּבֶּר. Puncta vocis דִּבֶּר vexarunt interpretes. Nimirum si, quae forma in usu est, דִּבֶּר esset praet. Piel, tum legendum esset תְּחִלָּה: *initio locutus*

I, 2.

est. Unde תְּחִלַּת vel adverbiascere, ut רַבַּת Ps. 120, 6. 129, 2., vel subintelligendum esse relativum אֲשֶׁר (cf. Exod. 6, 28. al.) putarunt, ut nimirum sit: *initium, quo locutus est.* Verum LXX. verterunt ἀρχὴ λόγου Κυρίου et Chald. שֵׁרוּת פִּתְגָמָא. Habuerunt igitur nostrum דִּבֶּר substantivum. Quod offendere non potest, cum plures eiusmodi Hebraicas formas habeamus in שִׁלֵּם, אִלֵּם, כִּסֵּא, et substantivum דִּבֵּר eodem modo punctatum expresse legatur Ier. 5, 13. Praeterea lineola Mappik antiquos interpretes substantivo דִּבֶּר arctissimam coniunctionem cum sequenti יְהוָה dedisse indicat. Non igitur est, quod legatur דִּבֵּר, ut Lilienthal in comment. crit. ex quodam antiquo codice et Kuinoel ad h. l. contendunt. Hieron. vertit: *principium loquendi Domini*, ac si infinitivus דַּבֵּר legeretur. Utrum nostra, an Hieronymi, an Lilienthalii puncta vera sint, effici nunquam poterit. Punctationem ipsam multo serioris originis esse eamque non ante quintum saeculum p. Ch. n. a Masorethis factam Capellus in arcano punctationis revelato gravissimis argumentis demonstravit. Unde non mirum est LXX., Chaldaeum et Hieronymum in lectione punctorum saepissime inter se differre. Ceterum illud initium divinorum monitorum tantum de Hosea valet, nec Lightfooto in Chronol. V. T. p. 93. indulgendum est, qui inde Hoseam omnino primum consiliorum Dei interpretem fuisse coniectat. Nam inde ab Abrahamo, qui primus propheta in V. T. vocatur Gen. 20, 7., multi iam ante Hoseam divinitus inspirati verba fecerant. Quod autem ad formam vaticinii attinet, ea profecto nova fuit. Quamquam enim similitudo idololatriae et perfidiae uxoris in matrimonio omnibus nota erat, nemo tamen vatum hanc similitudinem ita pinxerat, ut et mores, et poenae, et rationes perfidiae reparandae exemplo ipsius matrimonii exhiberentur. Hoseas autem, ut primum se interpretem divini consilii constitutum esse intellexerat, fato suo domestico illud exemplum civibus ante oculos posuit. Praepositio בְּ in sequenti verbo בְּהוֹשֵׁעַ itidem indicat fuisse internam revelationem, quae vati et cogitando, et orando divinitus contigerit. Nam h. l. nullum mandatum reperitur, ut per eum populo ali-

I, 2.

quid dicatur. Mandatum soli fiebat Hoseae. Itaque illa praepositio non, ut 12, 13. 14. Num. 12, 2. Gen. 48, 20., est *per* pro quo usitatius בְּיַד, sed *in*, nimirum *in piis animi eius sensibus.* Sic 2 Sam. 23, 2. Habac. 2, 11., ad quem locum Hieron.: *hoc,* ait, *notandum est: prophetiam, visionem et eloquium Dei non extrinsecus ad Prophetas fieri, sed intrinsecus et interiori homini respondere,* et Eucherius de Quaest. V. et N.T.: *loqui in aliquo dicitur Deus, cum ea, quae agi vult, eius cordi ut agantur inspiret.* Drusius ad h. l.

וַיֹּאמֶר יְהוָה אֶל־הוֹשֵׁעַ לֵךְ. Ea quae nunc egisse narrat, divino se afflatu egisse vati persuasum fuit, sed fortasse post factum, cum plures graves cogitationes et inspirationes accederent, demum intellexit, quae vis divina talem uxorem ducere se commoverit. Hunc autem Dei impetum illis verbis significat. לֵךְ est asyndeton emphaticum, cf. 3, 1., ut Lat. *i quaeso.* לְקַח formula de matrimonio ineundo admodum usitata Gen. 4, 19. 24, 3. 7. 34, 4., h. l. sensu praegnanti ponitur. Quod enim Hebraei uno verbo pronunciant, id a nobis in duo resolvi debet. Drusius h. l. vertit: *accipe uxorem et suscipe ex illa liberos.* Nicol. de Lyra: *adopta.* Fac esse ambiguitatem in eo verbo, ut non certum sit utrum spurii, an genuini fuerint liberi, fortasse vates consulto eam verbis significavit, cum in animo ipsius esset. Certe si ambiguitatem fugere voluistet, posuisset וְלַד יְלָדֵי sive וְהוֹלֵד יְלָדֵי. Id unum constat prophetam hac enunciatione indicare, *se liberos illos ut suos recepisse.* אֵשֶׁת זְנוּנִים compositio verborum omnibus scriptoribus Hebraicis usitatissima, qua defectum adiectivorum suppleverunt. Vim igitur habet adiectiva significandi cf. pag. 113. Cf. v. c. אִישׁ מִלְחָמוֹת 1 Chron. 18, 10., אִישׁ דְּבָרִים Exod. 4, 10., בַּעֲלֵי חִצִּים Gen. 49, 23., אִישׁ מַכְאֹבוֹת Ies. 53, 3., et ap. nostr. 6, 9. אִישׁ גְּדוּדִים, 9, 7. אִישׁ הָרוּחַ. H. l. *uxor stuprum faciens* sive *voluptatibus venereis dedita.* Non solum substantivum אֵשֶׁת, sed omnis nexus orationis, praecipue 3, 1. indicat, non meretricem (quae זוֹנָה fuisset), sed uxorem legitimo matrimonio a

vate sumtam idque vanissimum esse; quod Seb. Schmidt ad h. l. contendit: *mulierem scortationum nil aliud esse, quam pellicem sine pactis dotalibus et sponsalibus ductam*. Quod additur יַלְדֵי זְנוּנִים, id paullo exquisitiori modo dicitur, neglecta quidem in gratiam parallelismi verborum diligentia. Sunt autem, ut plurimi interpretes consentiunt, *liberi in fornicatione nati*. Luth. non male vertit: *Hurenkinder*. Quod vero Hieron. monet: *intelligendos esse et priores fornicariae mulieris de fornicatione susceptos, et liberos quos ipse vates ex meretrice generaverit*, id ex arbitrio textui immiscetur, quoniam et de illis prioribus infantibus omnino non sermo est, et vates nusquam dicit liberos, quos illa genuerit, sibi genuinos fuisse. Denique quod alii dicunt, esse *liberos aeque ac matrem libidinibus deditos*, quamquam proprie verbis insit, id etiam locum habere non potest. Nam infantes erant, de quorum moribus nihil nec statui poterat, nec a vate in omnibus tribus capitibus statutum est. Sermo tantum de matre est.

כִּי־זָנֹה תִזְנֶה הָאָרֶץ. Iam venit ad momentum huius symbolicae significationis. Pia prophetae meditatio, si fas est eam sequi, hoc ordine processisse videtur: *Omnis natio Israelitica, quam tantis amoris documentis Iehova sibi iunxit, quantis probus vir cum uxore sua coniunctus est, fidem solvit ei debitam eique promissam; quid tu ad negotia prophetica vocatus meliora adspirasti? Subiice te Deo et exemplo tuo prophetam te praesta. Nam omnia a Iehova ita instituta erant, ut per te populo coram oculis poneretur, quam nefanda esset eius impietas, eiusque hinc oritura pernicies*. מֵאַחֲרֵי יְהוָה. Cum אַחֲרֵי hoc nexu semper indicet *in tergo aliquem sequi* (cf. Exod. 34, 15. ubi est וְזָנוּ אַחֲרֵי אֱלֹהֵיהֶם), מֵאַחֲרֵי notionem habet a tergo alicuius recedentis, v. c. 2 Sam. 7, 3. 20, 2. Ps. 78, 71. Zeph. 1, 6. LXX: ἀπὸ ὄπισθεν τοῦ Κυρίου. Chald.: *errando errabunt a cultu domini*. Hieron.: *a Domino*. הָאָרֶץ autem est *natio Israelitica*, ut totus nexus docet.

3. Cum igitur matrimonium iniisset, iussum Iehovae exsecutus erat. גֹּמֶר בַּת־דִּבְלָיִם. Interpretes al-

I, 3.

legoriam s. parabolam in hac parte vaticiniorum quaerentes multum operae impenderunt, ut extorquerent symbolicam horum nominum significationem. Nomen uxoris Gomerae originem habuit a verbo Hebr. גָּמַר *perfecit* Ps. 138, 8., cf. 57, 3., ubi Deus dicitur גֹּמֵר עָלָי *perficiens pro me.* Ita nomen Gomer h. l. interpretantur: *perficiens et non perfecta*, τετελεσμένη, uti Hieron. vult. *Sunt*, addit, *qui mensuram* עֹמֶר *sive amaritudinem* מַר *suspicentur*, *quod recte dicerent*, *si* ג *literam non haberet.* Nomen Diblaim putant non fuisse nomen patris, sed nomen oppidi, unde nata fuerit, sicut frequenter in SSis dicuntur: *filiae Hierosolymae*, *mulieres inde natae.* Ita v. c. Nicol. de Lyra vid. Drus. ad h. l. qui addit: *dubito an bene*, *aut potius non dubito*, *quin male*, *nam filia Hierusalem non quae nata ex ea urbe*, *sed ecclesia s. respublica Hierosolymorum.* Fuit Diblah Ez. 6, 14. et Diblathaim Ier. 48, 22. urbs Moabitarum unde, qui hanc interpretationem sequuntur, documentum petunt אֵשֶׁת זְנוּנִים fuisse *paganam.* Hieronymus contra ducit nomen patris Diblaimi a דְּבֵלָה *massa ficuum*, quam Iesaias propheta ulceri Ezechiae regis iussus fuerit imponere, cf. 2 Reg. 20, 7. Ies. 38, 21. Hinc Iarchi: *doctores nostri dixerunt*, *hoc esse nomen mulieris propter scortationem eius*, *quia omnes potiuntur eâ* (גּוֹמְרִים בָּהּ), *absumunt eam vel perficiunt in ea* (scil. *optatum*) *et conculcant eam sicut massam ficuum.* Chald. secundum Kimchium exposuit גֹּמֶר *e significatu* גמירא *consumtionis*, *q. d. consumet super eos eorum scelera et iniquitatem illis remittet.* Omnis paraphrasis ita sonat: *et abiit et prophetavit super eos*; *quod si conversi fuerint*, *remittetur iis*, *sin minus*, *sicut defluunt folia ficulneae defluent*; *at addiderunt et fecerunt mala opera.* Quae tantum propterea commemoravi, ut ostenderem, quam vana sint studia symbolicam significationem ex illis verbis extorquendi et quam bene S. V. Eichhorn Einleitg ins A. T. Tom. IV. §. 558. p. 295. ed. 4. monuerit, nemini adhuc contigisse probabilem et nexui prophetiae aptam illorum nominum explicationem edere. Nos, qui in facto historico subsistimus,

talia non curamus, sumimus nomina ut sunt, nomina nimirum hominum civibus Hoseae satis notorum.

וַתַּהַר וַתֵּלֶד־לוֹ בֵּן. His verbis non indicat vates se filium ex uxore procreasse, sed consulto iterum, ut antea, verbis ambiguis utitur, quibus nil definitur nisi: eum filium ex illa natum suscepisse. Praeterea pronomen לוֹ deest in quibusdam Codicibus ap. de Rossium ad h. l.

4. Cognoverat vates consilium Dei, ut fata sua domestica exemplo essent et symbolo fatorum Israeliticorum. Itaque se liberis nomina ad rem pertinentia dedisse et sic monitui Iehovae obsequium praestitisse poetice narrat. Quod verbis expressit: וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלָיו. Suffecit haec dixisse: nam eum obsecutum fuisse Deo omnibus notum fuit. Nomen maioris filii fuit יִזְרְעֶאל. Verbum duplicis significationis. Poterat enim et bono et malo sensu accipi. Radix זָרַע est *seminare*, scil. *semen ut augescat*. Eadem vero est *dispergere*. Hoc loco malo sensu esse intelligendum, memoria et infelicissimi regis cruore Nabothi contaminati, qui in urbe Iisreele nefaria sua facinora patraverat 1 Reg. 21., et cladis in valle Iisreele Saulo a Philistaeis illatae 1 Sam. 29, 11., item c. 31., et cruentae vindictae a familia Ahabi in eadem valle Iisreele sumtae 2 Reg. 9. suasit. Post tot tamque infelices casus nomen Iisreel non nisi malo omine ab Israelitis audiri potuit. Id voluit vates: postea autem remota acerbitate orationis, ne parvula quidem literarum mutatione, qua in reliquis duobus nominibus infantium opus erat, adhibita, transiit ad faustam significationem. Praeterea illud nomen infaustum simul urbi primariae Israelitarum iuxta Samariam [18]) inhaerebat et levi inflexione vocis nomen honorificum Israelis cum illo commutari poterat. Ad quod probe attendisse videtur vates, nam et urbis Iisreelis et domus Israelis in nostro versu ita meminit, ut infaustum omen huic portentum esse luculenter appareat. Hiero-

---

18) vid. Hieron. ad h. l. qui eam vocat *metropolin regni Samariae prope quam sunt campi latissimi et valles nimiae vastitatis.*

nymus alium etiam typum vocis *Iisreel* addit. *Quod enim*, inquit, *propter sanguinem Naboth, qui effusus est in Iesreel, deleta est domus Achab, sic propter sanguinem veri Iesreel h. e. seminis Dei destructum est regnum Iudaeorum.* Eichhorn significationem rad. זָרַע neglexit, dum nomen *Iisreelis* ita solvit: „es züchtigt Gott," et postea vallem Iisreelem: „im Thal der Strafe Gottes."

Sequitur nunc quod infausto illo nomine significari voluerit vates, nimirum *interitum familiae Iehu*, quae eatenus quatuor reges imperio Israelitico dederat, et omnino *finem imperii Israelitici.* Illud prius indicatur verbis וּפָקַדְתִּי אֶת־דְּמֵי יִזְרְעֶאל עַל־בֵּית יֵהוּא. Quod praecedit עוֹד מְעַט est: *brevi, propediem.* Erat enim vaticinium: *fore ut Iehu trinepotes in Israelitarum soleo sedeant* 2 Reg. 10, 30. Quod ubi ita intelligitur, ut quartus post Iehum ultimus ex eius posteris rex sit, tempore Ierobeami vel brevi post eius obitum, qui tertius erat, unus modo restabat Sacharias, isque a magna civium parte recusatus, propterea etiam interitus huius familiae non procul aberat. פָּקַד pr. *invisere*, quod vel malo vel bono sensu fieri poterat. H. l. ut in multifariis V. T. locis: *invisere peccata ad ea punienda*, respondet Latino: *animadvertere.* v. Gesen. Lexic. ad h. v. Non clarum est, quid intellexerit vates sub דְּמֵי יִזְרְעֶאל. Puto: *omnia malefacta a regibus Israeliticis, quorum pars in urbe Iisreele sederat, commissa.* De posteris Iehu sigillatim sermo esse non potest, quippe qui potissimum in nova urbe regia Samaria commorati fuerint, nec de Iehu ipso, nam sanguis ab eo in urbe Iisreele profusus iussu Dei fluxerat. Verum qui factum est, ut posteri Iehu poenas flagitiorum a se non commissorum luerent? Primum non anxie premenda est significatio *sanguinis Iisreelis*, ac si cruenta tantum facinora in urbe vel in valle Iisreele patrata punienda fuissent. In favorem nominis, quod infanti erat, vates h. l. omnia flagitia regum Israeliticorum isto nomine complectitur. Etsi enim plures regiae sedes in regno Israelitico commemorantur, Sichem 1 Reg. 12, 25., Thirza 1 Reg. 15, 33. 16, 23., inprimis Samaria ab Amri exstructa 1 Reg. 16, 24. 29., tamen urbem Iisreelem, ubi palatium re-

I, 4.

gium erat, saepius invisisse videntur reges Israelitarum, quod certe de illis e familia Ahabi constat, cf. 1 Reg. 21, 1. 2 Reg. 8, 29. 9, 30. 10, 11. Ex qua regia sede, per synecdochen partis pro toto vates epitheton characteristicum regum Israeliticorum in universum formavit, ut caedes Iisreeliticae sint *eae, quae ab illis, quorum palatium Iisreele erat, patratae sunt*. Eodem modo dicuntur 7, 5. רָעוֹת שֹׁמְרוֹן. Quae forma loquendi nostro usitatissima est. Habemus enim semper *Ephraim*. pro regno Israelitico, *Samariam* pro eodem 14, 1., *Bethelem* pro omni cultu imaginum 10, 15. (cf. *Ioseph* pro Israelitis Am. 5, 15. 6, 6. cf. Glass. Phil. S. p. 1273 sqq.). — Deinde reges e familia Iehu non insontes erant, verum meritis poenis afficiendi; favebant enim idololatriae iisdemque flagitiis, quibus Ierobeam filius Nebati iram Iehovae commoverat 2 Reg. 10, 31. 13, 2. 10. 11. 14, 24. Propterea meliora sperare haud licuit, quam quae prioribus familiis regiis contigerant. Extincta erat familia Ierobeami, extincta Baesae, exstincta Simri. Nunc idem interitus manebat familiam Iehu ob eadem facinora. Ergo poetica forma remota sensus hic est: *brevi ego Iehova familiam Iehu evertam ut priores familiae regiae eversae sunt, quoniam particeps facta est scelerum, quae illis interitum paraverunt*. Eodem fere sensu, ut videtur, de Wette: „noch wenige Zeit, so ahne ich die Blutschuld von Iisreel am Hause Iehu." Alii interpretes veram significationem verborum quaerentes sanguinem Iisreelis putant esse: *nefariam caedem Nabothi ab Iesabele praeparatam*; alii improprie acceperunt pro *cultu idolorum, imprimis vitulorum a Ierobeamo Dane et Bethele instituto, a Iehu autem non exstirpato*. Al. *de caede spirituali, quam induxerit Iehu domui Israelis et Dei populo cum idololatriam stabiliret*, cf. Ier. 2, 34. Ez. 3, 18. 20. Al. dicunt intelligi: *ipsas caedes a Iehu perpetratas Iisreele, quando Achabum cum suis interficiebat quidem, verum intus in corde longe aliud spectabat, cum non tantum multa crudelius quam decebat ageret, sed etiam alteram partem mandati divini, nempe exstirpationem idololatriae, prorsus negligeret, praedae tantum inhians, non pietatem curans* cf. Tarnovii comment. ad h. l. LXX. pro Iehu habent ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα, quod scriptorum inscientia irrepsisse Hieronymus suspicatur.

I, 4. 5.

וְהִשְׁבַּתִּי מַמְלְכוּת בֵּית יִשְׂרָאֵל: *Non solum in familiam Iehu puniturus inveham, sed omnino tollam separatum illud mihi semper infestum imperium Israelis.* His verbis propheta non interitum regni per Assyrios vaticinari videtur, sed finem illius nefariae separationis tribuum Iacobiticarum et coniunctionem omnium duodecim restituendam. Id enim 2, 2. luculentissime commemoratur. Quamquam hoc modo regiae potissimum familiae triste fatum portenderetur, tamen haec eversio rerum, cum inter bella civilia tunc temporis iam accensa (vid. introduct. p. 47.) eventura esset, non sine maximis damnis et calamitatibus ab universo populo ferendis fieri poterat, quod v. 5. innuit.

5. Formula Hebraica וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא וְשָׁבַרְתִּי auget gravitatem vaticinii et retinere debet attentionem lectoris in ea re, ut apud LXX. καὶ ἔσται et de praeterito facto formula usitata וַיְהִי, καὶ ἐγένετο. בַּיּוֹם הַהוּא: *tunc temporis* scil. *ubi illa eversio imperii Israelitici eveniet. Frangam arcum* i. e. *vim militarem*, *arma et praesidia*, *quibus freti sunt.* Hieron.: *robur exercitus.* cf. Ier. 49, 35. Ps. 76, 4. In verbis קֶשֶׁת יִשְׂרָאֵל בְּעֵמֶק יִזְרְעֶאל videtur esse lusus verborum s. paronomasia. Utrum id evenerit quod vates praedixit, in valle Iisreele futuram esse stragem Israelitarum, nec ne, de eo nihil memoriae proditum est. Hieronymus quidem narrat: *in hoc commisso certamine ab Assyriis caesus est Israel.* Utrum vero hoc hauserit ex certis monumentis historicis, an in honorem vaticinii contenderit, incertum est. Unde alii בְּעֵמֶק יִזְרְעֶאל vertere maluerunt *propter vallem Iisreelem* i. e. *propter caedes ibi factas* cf. Drusius ad h. l. S. V. Kuinoel a nostra sententia de significatione verborum admodum recedit, cum contendit: *Iisreel esse imaginem victoriae.* Victoria quidem fere illis in regionibus a Gideone de Midianitis reportata est Iud. 6, 33 sq. Verum illius victoriae memoria obscurata fuit tristibus eventis recentioribus, vid. ad v. 4. Ergo ista vox imago non victoriae sed infortunii erat. Vates omnino indicare voluit *magna clade perditum iri imperium decem tribuum.* Ut autem nomine designaret locum cladis, id ei suasit et situs illius vallis ad

gium erat, saepius invisisse videntur reges Israelitarum, quod certe de illis e familia Ahabi constat, cf. 1 Reg. 21, 1. 2 Reg. 8, 29. 9, 30. 10, 11. Ex qua regia sede per synecdochen partis pro toto vates epitheton characteristicum regum Israeliticorum in universum formavit, ut caedes Iisreeliticae sint *eae, quae ab illis, quorum palatium Iisreele erat, patratae sunt.* Eodem modo dicuntur 7, 5. רָעַת שֹׁמְרוֹן. Quae forma loquendi nostro usitatissima est. Habemus enim semper *Ephraim*. pro regno Israelitico, *Samariam* pro eodem 14, 1., *Bethelem* pro omni cultu imaginum 10, 15. (cf. *Ioseph* pro Israelitis Am. 5, 15. 6, 6. cf. Glass. Phil. S. p. 1273 sqq.). — Deinde reges e familia Iehu non insontes erant, verum meritis poenis afficiendi; favebant enim idololatriae iisdemque flagitiis, quibus Ierobeam filius Nebati iram Iehovae commoverat 2 Reg. 10, 31. 13, 2. 10. 11. 14, 24. Propterea meliora sperare haud licuit, quam quae prioribus familiis regiis contigerant. Extincta erat familia Ierobeami, extincta Baesae, exstincta Simri. Nunc idem interitus manebat familiam Iehu ob eadem facinora. Ergo poetica forma remota sensus hic est: *brevi ego Iehova familiam Iehu evertam ut priores familiae regiae eversae sunt, quoniam particeps facta est scelerum, quae illis interitum paraverunt.* Eodem fere sensu, ut videtur, de Wette: „noch wenige Zeit, so ahne ich die Blutschuld von Iisreel am Hause Iehu." Alii interpretes veram significationem verborum quaerentes sanguinem Iisreelis putant esse: *nefariam caedem Nabothi ab Iesabele praeparatam*; alii improprie acceperunt pro *cultu idolorum, imprimis vitulorum a Ierobeamo Dane et Bethele instituto, a Iehu autem non exstirpato.* Al. *de caede spirituali, quam induxerit Iehu domui Israelis et Dei populo cum idololatriam stabiliret*, cf. Ier. 2, 34. Ez. 3, 18. 20. Al. dicunt intelligi: *ipsas caedes a Iehu perpetratas Iisreele, quando Achabum cum suis interficiebat quidem, verum intus in corde longe aliud spectabat, cum non tantum multa crudelius quam decebat ageret, sed etiam alteram partem mandati divini, nempe exstirpationem idololatriae, prorsus negligeret, praedae tantum inhians, non pietatem curans* cf. Tarnovii comment. ad h. l. LXX. pro Iehu habent ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰούδα, quod scriptorum inscientia irrepsisse Hieronymus suspicatur.

I, 4. 5.

וְהִשְׁבַּתִּי מַמְלְכוּת בֵּית יִשְׂרָאֵל׃ *Non solum in familiam Iehu puniturus inveham, sed omnino tollam separatum illud mihi semper infestum imperium Israelis.* His verbis propheta non interitum regni per Assyrios vaticinari videtur, sed finem illius nefariae separationis tribuum Iacobiticarum et coniunctionem omnium duodecim restituendam. Id enim 2, 2. luculentissime commemoratur. Quamquam hoc modo regiae potissimum familiae triste fatum portenderetur, tamen haec eversio rerum, cum inter bella civilia tunc temporis iam accensa (vid. introduct. p. 47.) eventura esset, non sine maximis damnis et calamitatibus ab universo populo ferendis fieri poterat, quod v. 5. innuit.

5. Formula Hebraica וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא וְשָׁבַרְתִּי auget gravitatem vaticinii et retinere debet attentionem lectoris in ea re, ut apud LXX. καὶ ἔσται et de praeterito facto formula usitata וַיְהִי, καὶ ἐγένετο. בַּיּוֹם הַהוּא: *tunc temporis* scil. *ubi illa eversio imperii Israelitici eveniet. Frangam arcum* i. e. *vim militarem, arma et praesidia, quibus freti sunt.* Hieron.: *robur exercitus.* cf. Ier. 49, 35. Ps. 76, 4. In verbis קֶשֶׁת יִשְׂרָאֵל בְּעֵמֶק יִזְרְעֶאל videtur esse lusus verborum s. paronomasia. Utrum id evenerit quod vates praedixit, in valle Iisreele futuram esse stragem Israelitarum, nec ne, de eo nihil memoriae proditum est. Hieronymus quidem narrat: *in hoc commisso certamine ab Assyriis caesus est Israel.* Utrum vero hoc hauserit ex certis monumentis historicis, an in honorem vaticinii contenderit, incertum est. Unde alii בְּעֵמֶק יִזְרְעֶאל vertere maluerunt *propter vallem Iisreelem* i. e. *propter caedes ibi factas* cf. Drusius ad h. l. S. V. Kuinoel a nostra sententia de significatione verborum admodum recedit, cum contendit: *Iisreel esse imaginem victoriae.* Victoria quidem fere illis in regionibus a Gideone de Midianitis reportata est Iud. 6, 33 sq. Verum illius victoriae memoria obscurata fuit tristibus eventis recentioribus, vid. ad v. 4. Ergo ista vox imago non victoriae sed infortunii erat. Vates omnino indicare voluit *magna clade perditum iri imperium decem tribuum.* Ut autem nomine designaret locum cladis, id ei suasit et situs illius vallis ad

pugnam inter omnes regni regiones fortasse aptissimae, tot cruentis proeliis notatae, et symbolica significatio huius vocis, quae universalem hanc notionem exhiberet: *in valle ubi Deus dissipabit populum.*

6. וַתַּהַר עוֹד וַתֵּלֶד בַּת. Iterum res ambigua relinquitur, utrum e marito, an ex amasio conceperit. Quod filiam peperit, id interpretibus ponderi est. Schmidtio v. c. videtur *respici ad sexus miserabilitatem. Sexus enim muliebris prae virili misericordiam consequi solet, at hic ne illi quidem Deus parcere voluit.* Drusius: *ut*, ait, *per filios populum, ita per filiam innuit Synagogam;* al. scribunt: *per filiam accisas regni vires denotari.* Vates autem non in eo, quod uxor filiam pepererit, significationem symbolicam reperisse videtur, sed satis habuit, filiae symbolicum nomen dedisse. Nomen autem a Iehova sibi suggestum esse vates pingit verbis וַיֹּאמֶר לוֹ קְרָא. Nomen erat לֹא רֻחָמָה, LXX. οὐκ ἠλεημένη. Chald.: *non misericordiam consecuti sunt in operibus suis.* Hieron.: *absque misericordia.* Varians lectio in vett. Codd. LXX. est: οὐκ ἠγαπημένη, quam secutus est Paulus in recitando hoc loco Rom. 9, 25. Petrus vero nostram usitatiorem lectionem adfert 1 Petr. 2, 10. Licet prima Coniugatio ex Arabica et Syriaca analogia magis indicat *diligere*, tamen usitatius Piel *misereri* et h. l. 3 Pual: *misericordiam consecuta est* cf. 14, 4. Formula לֹא עוֹד alias quidem, secundum Glassium, certum aliquod temporis spatium indicat. Verum h. l., ubi עוֹד post אוֹסִיף positum est, redundare, certe nil nisi significationem augere videtur. Id quidem probe tenendum, Deum non in universum populo misericordiam denegare (contrarium enim indicat 2, 1—3.), sed in eo tantum misericordiam defuturam, quod nunquam restituturus sit regnum Israelitarum i. e. 10 tribuum. בֵּית יִשְׂרָאֵל, ut antea v. 4. ita saepius occurrit in vate nostro, v. c. 5, 1. 12, 1 cet. pro stirpibus imperii Israelitici separatis ab imperio Iudaico. כִּי נָשֹׂא אֶשָּׂא לָהֶם. Multifariae sunt interpretationes horum verborum, quarum recensionem vid. ap. Rosenmueller. ad h. l. Afferam eas tantum, quae in ecclesia auctoritatem nactae sunt. LXX. ἀντιτασσόμενος ἀντιτάξομαι αὐτοῖς i. e. *adver-*

sabor iis, ut נָשָׂא sit *efferre se contra aliquem*, quae significatio verbi in Niphal quidem occurrit verum in prima coniugatione argumentis confirmari vix poterit. Hieronymus: *oblivioni obliviscar eorum*, ex commutatione radicis נָשָׂא *tulit*, cum נָשָׁה s. נָשָׁא *oblitus est*, quae commutatio e defectu accentuum temporibus Hieronymi nondum in textum receptorum facile nasci poterat. Luth.: *sed prorsus abiiciam eum*, addita hac explicatione: נָשָׂא *est abiicere, disseminare. Quodsi quid dispergitur, antea tolli debet; unde primaria significatio in lucem prodit. Proprie igitur verba audirent: auferam eam, ut abiiciam.* Verum ut haec explicatio admodum arbitraria est, ita usui pronominis לָהֶם non convenit. Chald.: *veruntamen si conversi fuerint dimittendo dimittam iis.* Praeterea interpretes verba elliptice intellexerunt et quisque ex arbitrio aliquid addiderunt ad sententiam supplendam. Maxime provulgata est sententia Ebn Esrae, qui contendit his exponi exilium decem tribuum, ut nempe verbo נָשָׂא tribuatur usitatissima significatio: *penitus auferam eos*, cui addit Kuinoel notionem *abigendi* s. *abducendi* scil. in captivitatem, a voce Arab. נזא. Verum de abductione in captivitatem in omnibus tribus capitibus nondum sermo est (v. introd. p. 39.) et pronomini לָהֶם, quocunque tandem modo hac explicatione torqueatur, nimia vis infertur. Facillima et naturalis maximeque usui loquendi V. T. conveniens est explicatio: *ut iis ignoscam*, probata etiam viris doctissimis, Tremellio, Iunio, Drusio et V. Ill. Gesenio in Lex. ad h. v. נָשָׂא cum dat. personae saepissime ita occurrit, ut sit *tollere* s. *removere ab aliquo peccatorum poenas* scil. suppleta voce עָוֹן, v. c. Gen. 18, 24. 26. Num. 14, 59 cet. cf. Ps. 25, 18. ubi formula plenius audit וְשָׂא לְכָל־חַטֹּאותָי: *remove culpam ab omnibus peccatis meis.* כִּי autem, si ante futurum ponitur, est coniunctio, consilium aliquod indicans, quemadmodum Latinum *ut*, ex analogia Arabica كَيْ, v. c. Gen. 38, 16. Deut. 14, 24 cet. vid. introd. p. 103. Quam sententiam versio nostra exhibet: *miserebor domus Israel, quin ab iis poenas repetam.*

7. בֵּית יְהוּדָה *imperium duarum tribuum* quod *Iudaicum* dicebatur, oppositum stirpibus Israeliticis, quae nomine יִשְׂרָאֵל et אֶפְרַיִם in toto vaticiniorum Hoseae fasciculo leguntur. In Iuda spes erat posita; ibi enim purior Iehovae cultus etiam nunc superstes erat. Regnabant posteri Davidis magis pie Deum reverentes, erant denique instituta ad cultum Iehovae pertinentia, templum Hierosolymitanum, lex Mosis, promissiones Iehovae illis locis illisque posteris Abrahami adnexae. Regnum contra Israeliticum inde ab initio Deo non placuerat, quia eo constituto vinculum familiae et religionis, quo ex singulari divino iussu inter se et cum Iehova coniuncti intacti et invicti a barbarorum impetu essent, prorsus dissolutum erat: quia inde ab hoc tempore pars posterorum Iacobi irruptionibus barbarorum minus defensa patebat: quia inde perniciosa bella utriusque gentis oriebantur: quia denique deficientibus sacris religiosis genti peculiaribus Israelitae ad cultum superstitiosum simulacrorum avidissime proruebant. Iam si Israel periret Iuda servanda erat ad salutem ipsam illorum refractariorum. Nulla igitur Deo erat clementia erga Israelitas, dum separatum regnum effecerunt. Misericordia autem eos manebat quippe posteros Abrahae rursus cum Iuda coniungendos ut restituerent rem a Deo initiatam. Sic intelligitur, quomodo eadem Lo Ruechama et Ruechama, idem Loammi et Ammi appellari potuerint, sic quoque sensus horum et sequentium verborum, eorumque nexus cum 2, 1. 2. restituendus est, cf. Herder Geist der Hebr. Poesie. II, 404.

Incolumes servabo eos scil. cives regni Iudaici. בַּיהוָה אֱלֹהֵיהֶם est emphatica circumscriptio pronominis primae personae scriptoribus V. T. usitatissima, neque aliud quid nisi *per me* significans, cuius plura exempla laudavit Glassius in Phil. S. p. 150. 152. Exod. 30, 16. Lev. 10, 11. Ps. 50, 14. Chald. vertit בְּמֵימְרָא דַיְיָ *per verbum Dei*, et plurimi antiquiorum interpretum e talibus locis arcanum trinitatis extorserunt. Hieron. vertit: *in domino deo suo* h. e. *in se ipso qui loquitur, vel pater in filio, secundum illud, quod scriptum est: pluit dominus a domino Gen. 19, 24.* cf. Ge-

I, 7.

sen. im Ausführl. Lehrgb. p. 740. Inest autem his verbis aptissima oppositio eorum, quae sequuntur, בקשת, ובחרב etc. qua vates significare vult: *nullis viribus et artibus humanis sed Deo soli Iuda salutem suam debebit.* ולא אושיעם בקשת. His verbis inest vaticinium peculiari modo eventu comprobatum eoque dignius quod ponderetur, cum Ies. 31, 8. fere idem praedictum sit; nimirum: *cadet Assyrius non virorum gladio nec humano confectus ense, fugae se mandabit non ob gladium.* Nec bene egisse videtur S. V. Rosenmueller, quod hoc vaticinium iusto brevius absolvit. Non enim negari potest prodigiosam cladem Assyriaco exercitui illatam, qua tempore Hiskiae Iudaeorum respublica ab interitu servata est 2 Reg. 19, 35 — 37. et Ies. 37, 36 — 38., vaticinio nostro fuisse simillimam. Cum autem factum habeamus duplici loco duorum prophetarum tam consentaneum, nil restare videtur, nisi ut existimemus: aut illa vaticinia divinitus inspirata, aut post eventum addita, aut illam inauditam stragem Assyriorum, ubi in una nocte 185 millia hominum per Iehovae angelum occisa feruntur, in gratiam nostrorum vaticiniorum si non excogitatam, tamen adornatam fuisse. Cum autem posteriores sententiae cum sana SSae loca interpretandi ratione convenire vix possint, restat divina inspiratio. Quae quidem ita vatibus contigisse videtur. Vati nostro ex historia Iacobiticae gentis divini auxilii exempla in promptu fuerunt, ubi vires Iudaeorum admodum impares fuerant immensis hostium viribus et ubi Deus ipse pro populo dimicasse traditus fuerat, v. c. Exod. 14, 23 — 31. Ios. 6, 2 — 20. 10, 8 — 13. Iud. 5, 7. 8. 7, 15 — 22. 1 Sam. 7, 10., ut ex iis spem repetendi divini praesidii rebus pari modo desperatis excipere et ardore pietatis plenus populo infigere posset. Praeterea autem punctum comparationis inter utrumque regnum, et Iudaicum et Israeliticum, bene observari debet, ut intelligamus, quam simplex quamque e re ipsa petitum sit nostrum vaticinium. Regnum Israeliticum pingit vates ita confectum iri bello civili, ut tandem viribus exhaustum ad pristinum foedus cum reliquis 2 tribubus v. 5. 4. 2, 2. 3, 4. 5. refugiat; Iudaicum vero florens et validum sub felici

sceptro Usiae eiusque magistri Sachariae, ut illa pericula quae regno Israelitarum immineant (nempe neces belli civilis omnes vires absorbentes) illi non metuenda sint. Itaque sensus verborum, occasione qua vates scripsit diligenter ponderata, non alius esse potest nisi hic: *eos servabo sine bello et cladibus civium* i. e. *ita ut tranquilli maneant pace interna minime turbata, nec opus sit arcu, gladio, armis etc.*; quae vere temporibus Usiae et Iothami eventu comprobata sunt. Si autem oraculum nostrum de fatis regni in universum valere censeamus, historia eventui repugnat. Utique enim Deus arma Iudaeorum iuvit, ut in bellis exteris Philistaeos, Arabes, Meunitas et Ammonitas vincerent 2 Chron. 26, 7. 8. 27, 5. Quae quidem vates h. l. ita praedicavit, ut ratione sui temporis habita de prorsus alia re valerent, iis Dei providentia mutatis temporum vicibus alio modo eventum adiecit, quamquam non miraculosum (pestis enim fuit, qua trucidabantur Assyrii, non miraculum) inauditum tamen illi vaticinio consentaneum. Hoseae vero oraculum fortasse instante ab Assyriis periculo a Iesaia, quem illud optime novisse nemo infitias ibit, tanquam eventu proxime comprobandum suo modo repetitum est. Verba nostri versus *arcus, gladium, arma, equi* et *equites*, instrumenta militaria, quibus tunc temporis utebantur, indicant. מִלְחָמָה i. q. כְּלֵי מִלְחָמָה: per metonymiam *arma*, ut Ps. 76, 4. cf. Gesen. ad h. v.

8. גָּמַל pr. *ad maturitatem perducere*, de fructibus Num. 17, 23. Ies. 18, 5.; porro *educare ut maturus fias*, de hominibus 1 Reg. 11, 20.; hinc *ut maturum tractare*, et conferendo, quod ad accipiendum maturus est, imprimis iterum perdendo id, quod quis meritus est, unde significatione *retribuere* in omnibus lexicis occurrit atque cum praep. עַל construitur, et ablactando maturum infantem, unde *ablactare* h. l. et Ies. 11, 8. Gen. 21, 8. 1 Sam. 1, 22. In narratione tertii puerperii rursus nil inest, quod ambiguitatem de filii origine tollat. Chald. qui parabolam in toto loco deprehendit, uberius explicat versum nostrum ita: *habitatores autem eorum, qui exules transportati sunt inter populos, inventi sunt misericordia indigni in ope-*

ribus suis, sed addiderunt perpetrare mala opera. Sunt interpretes, qui filiae ablactationem typum esse ablati usus divini verbi s. ademtorum reliquorum, quibus hucusque in patria sua fruiti fuerant, commodorum autument, cf. Hieron.: *qui ablactatur recedit a matre, parentis lacte non vescitur, alimentis sustentatur externis. Ita et Israel proiectus a Domino et captivitatis circumdatus angustiis, atque in Babylone cibis sustentatus immundis vocatur etc.* Quibus contradixit Manger ap. Rosenm. ad h. l.: *ablactatio per se nihil mali infert, praesertim apud Hebraeos, qui diem, quo ad illam aetatem puer pervenerat, festum et genitalem habebant* Gen. 21, 8.

9. Vates iterum filium Deo monente לֹא עַמִּי appellatum fuisse refert. Redit ad Israelitas, de quibus solis typus noster valet. Nam ubi Iudaeorum mentio fit, id tantum quasi in parenthesi fit ad amplificandum et definiendum monitum Israelitis destinatum. *Israelitae, ut nunc se gerunt, non populus meus sunt. At ubi mutata sorte mutatisque moribus cum Iudaeis coniuncti erunt, rursus populus meus erunt* cf. 2, 1. 2. Nimirum sub Vetere Testamento tota gens Iacobitica populus Dei erat cf. Lev. 20, 26 cet. idque non solum spiritualiter, sed etiam politice, siquidem reipublicae gubernatio, omnes eius institutiones, victoriae, duces etc. a singulari divina providentia pendebant. Ex ista peculiari Dei tutela exciderant Israeliticae stirpes inde ab infausta separatione flagitiis et idololatria, propterea *non amplius populus Dei erant.* לֹא־אֶהְיֶה לָכֶם: Hieron.: *non ero,* LXX: καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμι ὑμῶν. Ellipsis s. reticentia, ut Drusius eam vocat, his verbis inest, ut Ps. 56, 10. 118, 6. Suppleri debet sive אֱלֹהִים, ut Lev. 26, 12. Ier. 11, 4. cf. 2. Cor. 6. 16., sive יֹשִׁעַ respectu ad v. 7., ut Hebr. 13, 6. βοηθός μου. In sola edit. Aldina LXX. expressum legitur: ἐγὼ οὐκ εἰμι θεὸς ὑμῶν. Chald.: *verbum meum non erit in adiutorium vestrum.*

II, 1. In nonnullis Hebraicis et Graecis Latinisque libris hi 3 versus priori capiti accensentur. Certe arctissime inter se cohaerent. Quod enim de flagitioso et refractario populo Israelitico dictum erat, id amplius locum habere non poterat, simulac, id quod va-

tes sperabat, cives ad meliorem frugem redierant. Ex vatis sententia tempus haud procul aberat, quo illa felix mutatio eventura esset. Domus Iehu erat peritura, nec intelligere poterat vates, quidni populus denique resipisceret et sublata illa nefasta separatione ad coniunctionem cum reliquis stirpibus verumque Dei cultum recurreret. Quomodo hic versus cohaereat cum praecedentibus, id non ex nostra dicendi cogitandique ratione explicari debet, sed ex ingenio auctoris nostri, qui saltu nonnunquam ad res plane alienas transilit, quas tamen copulativo ו coniungit. Nec opus est, ut cum nonnullis putemus, in nostro loco aliquam partem excidisse, nec cum Eichhornio (die Hebräischen Propheten ad h. l. Tom. I. p. 75.) e seriori additamento in textum receptam esse. Quam quidem sententiam idem V. Ill. dimisit Einleit. ins A. T. 4. Aufl. Tom IV. p. 277., statuens: his tribus versibus vatem praepropheram spem reconciliationis Israelitarum cum Iudaeis exhibuisse, cuius spei vanitatem postea ipse intellexerit, magis sobriam futurorum eventuum exspectationem 2, 4 — 25. meliori poëmate suis proponens. Hebraei, imprimis noster, particulam ו latissima significatione in quolibet genere copulationis verborum adhibent. Ita saepe vim habet sermonem corrigendi, quemadmodum Latinum *imo*, *quin*. Promittit autem vates loco calamitatum c. 1. uno tenore feliciora tempora. Quae cum reipublicae Israeliticae non contigerint, plerique interpretes hoc vaticinium referendum putarunt ad tempora Messiae. Quod quidem verum est, quatenus omnis laeta spes, qua exhilaraverant prophetae animos suorum, spirituali modo per Messiam impleta est. Si autem vatem h. l. expresse de Messia cogitasse statueremus, nimiam orationi vim inferremus. Praeterea res eadem est: ut tribus Iacobiticae nunquam politice sub uno rege reconciliatae sunt, ita ne per Christum quidem spiritualiter illam restitutionem in unam familiam fieri passae sunt. Substituunt veteres interpretes renitentibus Israelitis gentiles eorum loco ad regnum Dei per Christum institutum venturos, v. c. Hieron.: *Beatus Hoseae prophetae assumens testimonium et exponens illud super vocatione gentium et eorum fide, qui e Iudaeis credere voluerunt! Omnem nobis difficultatem abscidit asserens: [Christi*

II, 1.

temporibus esse completum, ut scil. in Israel eligantur 12 tribus, h. e. omnis populus Iudaeorum, et in Iuda hi, qui ex gentibus dominum confitentur. Si quis autem de numero circumcisionis responderit: sonare filios Iuda et filios Israel, et in hoc dantes manus nihil fidei nostrae nocere monstrabimus. Sed postquam fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris in orbe dispersus, tunc habebit licentiam Israel, qui hodie quoque captivus est, cum 2 tribubus, quarum magna pars in Christum credidit, inire concordiam, ut corporibus separatos iungat fides, et unum sibi caput ponant et principem. Vides autem tam arbitraria explicatione quaecunque in libros sacros inferri posse. Nos in eo subsistamus, ut statuamus: prophetam intimo amore erga populum suum commotum id sperasse, quod omnibus bene de rebus Israeliticis sentientibus cordi erat, fore ut restituatur una natio sub uno rege e familia Davidis orto, quae quidem Deo suo semper fidelis omnibus bonis ab eo abunde exornaretur. Neque in eo haerendum est, quando et quomodo, imprimis per Christum, eventu hoc comprobatum sit, dummodo id teneamus, Deum nunquam spem piorum hominum fefellisse, et quae civilia et terrestria bona non assecuti sint, ea multo uberius spirituali modo iis compensata esse felicitate per Christum assequenda, non autem solis Israelitis, sed omnibus gentibus. Ita etiam dissertatio Pauli hunc locum allegantis Rom. 9, 22—26. est intelligenda cf. 1 Petr. 2, 10. vid. introd. p. 41.

Vates, imaginem futurae emendationis rerum Israeliticarum ex sua re domestica hausit. Amavit uxorem 13, 1., liberos eius, de quorum origine in dubio erat, nec educare nec ut suos tractare recusavit, spe fretus fidem et pietatem domi suae restitutum iri. Idem de populo suo speravit. Itaque fatorum suorum significationem iterum ad Israelitas retulit. Orditur nunc promissionibus v. 1., et quae v. 2. adiungit, conditionem continent sine qua illae promissiones non valeant, de quibus tamen ita agit, ac si de iis nullo modo dubitari possit. Promittit suis primum *immensam posteritatem:* וְהָיָה מִסְפַּר בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל כְּחוֹל הַיָּם, secundum promissa iam Abrahamo facta Gen. 13, 16. et Iacobo repetita Gen. 32, 13. Quae vaticinia eum pia

mente respexisse Lutherus ad h. l. bene monuit. Descriptio est poetica maximam multitudinem indicans, omnibus scriptoribus sacris et profanis usitatissima. vid. 1 Reg. 4, 20. 5, 9. Ier. 33, 22. Ies. 10, 22. Ps. 139, 18. Theocrit. idyll. 15. Ovid. Trist. 4, 55. Promittit porro: *qui antea dicti fuerunt non meus populus postea dicentur filii viventis Dei.* Idque בִּמְקוֹם אֲשֶׁר i. e. *in patria Palaestina.* Nam ibi degebant, quibus vates nomine filii Loammi emissionem e patrio amore portenderat. Iacobi posteris nulla felicitas optanda erat neque exspectanda, nisi in illis terris Abrahamo promissis, quas patres tantis laboribus occupaverant quasque per tot annos victores et fortunati possederant. Non igitur extrinsecus felicitas ab iis quaerenda erat, quemadmodum olim ex Aegypto alias sedes quaesituri migraverant. Haec non solum mea, sed interpretatio est Hieronymi, Chald. LXX. Pauli Rom. 9, 26., a qua recesserunt Tremellius, Grotius aliique, qui verba בִּמְקוֹם אֲשֶׁר vertunt: *pro eo quod — dicebantur.* Verum vix demonstrari poterit בִּמְקוֹם eo significatu legi. Certe Ies. 33, 21. simplex substant: מָקוֹם legitur: Mutatio nominis לֹא עַמִּי in בְּנֵי אֵל־חָי typum illius nominis 1, 9. clarius indicasse videtur. Inde etiam intelligitur vatem in primo versus membro ad nomen יִזְרְעֶאל respexisse, idque fausto sensu, *ut Deo adnuente posteri Israelis ceu arena maris seminando i. e. propagando augescant.* אֵל־חָי epitheton solenne veri Dei, cf. Ies. 37, 4. Ps. 42, 3. ut in N. T. ὁ Θεὸς ζῶν 2 Cor. 3, 3. 1 Thess. 1, 9., oppositi idolis, quae appellantur מֵתִים Ps. 106, 28. Sens.: *Mutatis moribus mutabitur quoque populi sors, et patria, quae nunc videt nationem a Deo derelictam et fere oppressam, videbit eam a Deo rursus singulari cura tectam beneficiisque insignitam.*

2. Causa restituti Dei favoris simul tanquam signum eiusdem favoris exhibetur. Etenim sublata illa nefaria stirpium Iacobiticarum separatio cum mentis resipiscentis erat initium, fratribus scilicet se adiungentibus fratribus, tum Dei beneficium, quippe pristinam Davidicam vim et gloriam recuperari sinentis. נִקְבְּצוּ:

II, 2.

congregabuntur scil. ad reconciliationem. Niphal, ut Lat. passivum, habet vim reciprocam, quae diserte exprimitur altero membro וְשָׂמוּ לָהֶם; LXX. συναχθήσονται καὶ θήσονται ἑαυτοῖς. Qui h. l. vaticinium temporum Messiae volunt, v. c. Drusius, *est,* contendunt, *Synecdoche: non enim omnes intelligit, sed tantum fideles inter eos. Quibus accensendi, qui e gentibus Christo nomen dederunt.* וְשָׂמוּ לָהֶם רֹאשׁ אֶחָד: *constituent sibi unum principem.* LXX. e nimia fide verterunt: ἀρχὴν μίαν. *Hoc principe,* ut Rosenmuell. recte monet, *et noster vates, et Ezechiel* 37, 22., *et Micha* 2, 13. *non Serubabelem, ut quidam* (v. c. Drusius) *nugantur sed regem, eumque longe potentissimum sapientissimumque a Davidica stirpe oriundum* (reges enim tribuum Iudaicarum a Davide originem ducebant) *innuere non est quod dubitemus.* Hanc esse sententiam 3, 5. diserte declarat. Chald. hanc explicationem iam excepit: *constituent sibi caput unum de domo Davidis.* Modo ne putemus Hoseam h. l. iam regem spiritualis regni divini i. e. Christum, in mente habuisse. וְעָלוּ מִן־הָאָרֶץ. Interpretes haec verba de restitutione e Babylonica captivitate intelligunt. Allegant loca Ier. 23, 8., Zach. 14, 17. Esr. 2, 1. Nehem. 7, 6., quibus עָלָה de redeuntibus exulibus adhibeatur. Verum הָאָרֶץ sine ulla rem magis illustrante nota terram Assyriacam, Babylonicam vel aliam quamcunque terram praeter Canaanem significare e nullis V. T. locis elici potest, de quibus terris barbaris contra formula הָאֲרָצוֹת in serioribus libris usitata est, cf. Ez. 20, 32. 2 Chron. 17, 10. 32, 13. 17. al.; הָאָרֶץ autem, si nude ponitur, *terram Canaaniticam* s. *patriam vatis* indicat, v. c. 1, 2. 2, 20. 25. 4, 1. 4. cf. Ioel 1, 2. 14. 2, 1. etc. Itaque nostro loco, ubi vates nulla notula nec instans exilium, nec loca terrasque exilii designaverat, nemo verba וְעָלוּ מִן־הָאָרֶץ vel legens vel audiens de restitutione ex illo exilio cogitare poterat. Accedit quod עָלָה apud nostrum quidem dicitur de migratione in Assyriam v. c. 8, 9., nunquam autem de transitu ex Assyria in Canaanem. Verum enim vero substantivum הָאָרֶץ saepius *de statu humili et depresso* occurrit, cf. Ps. 44, 26. Ies.

26, 4. 5. 47, 1. Ier. 17, 13. Iob. 7, 21. Est adeo haec primaria significatio nominis אֶרֶץ analoga Arab. rad. أَرَضَ *humilis fuit*, unde أَرْضٌ *quicquid depressum et humile est*. עָלָה autem non solum indicat ascensum proprie sic dictum, sed omnino tropice *augeri*, *crescere*, *sursum efferri*, v. c. Deut. 28, 43. 1 Reg. 22, 35. Sic h. l. sensus est: *evehentur e miseria sua ad meliorem rationem*. Studium hunc locum spiritualiter interpretandi alias progenuit explicationes, v. c. Lutheri: *ascendent ad coelestem patriam et ad meliorem vitam ex hac peregrinationis terra*, et Schmidtii: *ascendent Apostoli et Evangelii doctores e terra Israelis in universum mundum et exibunt ad oppugnandum regnum Diaboli inter gentes*.

כִּי גָדוֹל יוֹם יִזְרְעֶאל *magnus dies* i. e. *memorabilis*, *notatu dignus*. Sic occurrit apud Latinos, vid. Rosenmuell. ad h. l., et apud Hebraeos Ioel. 2, 11. Mal. 3, 23 al. Nomen *Iisreel*, quod c. 1, 4. infaustum omen habuit, nunc feliciorem sortem portendit. Unde etiam Chald. qui antea verterat *dispersos*, h. l. exponit: *Nam magnus erit dies congregationis eorum*. Rectius: *dies* i. e. *tempus illud felicissimum, quo seminabit Deus populum, ut magna incrementa capiat et ad meliorem conditionem evehatur*. Ita sensus utriusque versus simul cum nomine constituitur.

3. Formula *fratribus et sororibus* nil aliud indicare videtur nisi: *vocate vos invicem* s. *alter alteri*, v. Drus. ad h. l. Facta enim illa reconciliatione non amplius discrimen erit: *Omnes una simul Israelitae et Iudaei fratres et sorores eritis, omnium Deus miserebitur omnesque populus Dei eritis*. His indicatur simul omne odium omnemque invidiam inter utramque gentem finitum iri, quae olim tanta fuerant ut bella acerbissima his stimulis gererentur, cf. 1 Reg. 14, 30. 15, 7. 16. 32. 2 Reg. 9, 27. 13, 12. 14, 11—15. 16, 5. Non enim *vos* peculiari modo, ac si altera pars posterorum Iacobi Deo acceptior esset altera, sed *fratres sororesque* et regni, quod nunc Israel, et quod Iuda vocatur, *cuncti appellabimini populus Dei*. *Loco illorum nominum Israelis et Iudae quae separationem vestram indicant*, *simul nomen*

II, 3.
geretis Ammi et Ruechama. Commemoratio fratrum et sororum sine dubio fit in gratiam utriusque sexus liberorum vatis. Quod autem ad symbolica illa nomina adtinet, ea ita comparata fuisse ex nostris verbis intelligitur, ut mutatis moribus populi faustum omen illius *Iisreelis* ultro emicaret, inque his duobus parvula tantum mutatione *Loruechama* in *Ruechama* et *Loammi* in *Ammi* opus esset, ut eorum quoque infaustum omen averteretur. LXX τῷ ἀδελφῷ ὑμῶν καὶ τῇ ἀδελφῇ ὑμῶν. Qua de causa singularem adhibuerint, non liquet. Fortasse ut parallelismus maneret cum singulari עַמִּי et רֻחָמָה. Chald. sorores in paraphrasi sua omisit.

III.

Cap. II, 4—25.

4. Litigate cum matre vestra! cum ea litigate! Videlicet cum illa uxor mea esse noluerit equidem maritus eius non ero. (Verum removeat consuetudinem illicitam ab osculis et adulteram ab amplexu suo; 5. ne vestimenta ei detraham eamque nudam prostituam, uti cum nasceretur, fuit; ne exponam eam in desertum aut collocem in terram exsiccatam, ubi morti eam tradam prae siti obeundae, 6. et liberorum eius me non misereat, qui scilicet ex illegitimo concubitu nati sint.) 7. Quippe in stupro vixit eorum mater, pudenda commisit eorum genitrix, dicere solita: prosequar amatores meos dotantes me pane, aqua, lana, lino, oleo et potu. 8. Quamobrem repente obsepiam eius viam spinis et circumducam maceriam, ut semitas suas nunquam inveniat, 9. ut amatores prosequatur, verum non assequatur, ut quaerat eos, verum non reperiat; usque dum dicet: revertar ad maritum meum pristinum, nam meliori tunc,

quam nunc, sorte fruebar. 10. Nondum ipsa novit quantum proventum ei dederim frumenti, musti et olei, et quomodo eam locupletaverim argento et auro, quae quidem omnia impenderunt in Baalem. 11. Propterea recipiam frumentum meum tempore suo et mustum meum die sua, auferam lanam linumque, quibus nudum corpus tegit. 12. Tunc quoque relegam eius turpitudinem coram amatoribus eius, nec ullus eam e manu mea liberabit. 13. Finem faciam omnium eius gaudiorum, festorum, noviluniorum, sabbathorum et omnium solennium eius conventuum. 14. Devastabo vites et ficus eius, quas gloriata est amorum esse mercedem ab amasiis sibi datam; easque omnes convertam in silvam, ubi ferae pabulum quaerant. 15. Sic poenas immittam ei propter dies festos Baalibus institutos, quibus suffita fecit ornata annulis et monilibus suis hosce amasios studiose quaerens, mei vero prorsus oblita, inquit Iehova. 16. Atqui blandis modis eam commovebo, in locum solitarium eam ducam et loquar ad cor eius. 17. Exinde ei vineas restituam et vallem Achor ei reddam ostium bonae spei. Ibi monitis meis respondebit, ut temporibus pueritiae, vel quo tempore egressa est e terra Aegyptiaca. 18. Tandem, inquit Iehova, me vocatura eris: mi marite! nec amplius me nomine Baalis appellabis. 19. Diluam penitus nomina Baalium e lingua eius, ita ut non amplius recordentur eorum nominis. 20. Tunc temporis pangam quoque iis foedus cum bestiis camporum, cum avibus aëris, cum reptilibus terrae, et arcus, et gladios, et castra fracta eiiciam e terra ista, secure eos recubare sinam. 21. Te autem mihi despondebo usque ad remotissima tempora: te, inquam, mihi despondebo pretio iuris

iustitiae, benevolentiae et misericordiae. 22. Omnino te mihi despondebo pretio fidelitatis. Tum autem cognosces Iehovam. 23. Illo tempore eveniet, ut exaudiam, inquit Iehova, exaudiam coelos, coeli exaudient terram, 24. terra exaudiet frumentum, mustum et oleum, haec autem exaudient Israelem. 25. Semina eius mihi spargam per istam terram, miserebor filiae Loruechamae, dicam filio Loammi: populus meus es! et iste me Deum suum vocabit.

Aliam poematis formam nunc vates excipit. Fingit se cum liberis et cum uxore colloquium instituisse, quo symbolico illo matrimonii sui exemplo curas de Israelitica gente, querelas et consolationes ad eam pertinentes exhibet. Pingit se in eo fuisse, ut eiiceret uxorem e domo sua animumque prorsus ab ea averteret. Quid profuit liberorum eiulatus, quid anxiae curae nonnullorum civium bene de republica sentientium? Mater ad meliorem frugem redire recusavit, cum matre liberi sunt eiiciendi, cum republica cives perdendi. At amor vatis intimus in infelicem familiam ut in patriam idem manebat. Nunc poëtico sermone haec omnia de ratione, quae intercedat inter Deum et impium populum, ita exposuit, ut elegantissimum idyllion prodeat, quod iuxta Graecos et Latinos poetas non erubescat.

4. רִיבוּ בְאִמְּכֶם Iam in mediam rem rapit auditores et lectores. Dolorem domesticum sibi verba dedisse fingit, quibus liberos allocutus sit. Verum oratione progrediente multo maior anxietas supervenit amico patriae et dolor domesticus solvitur in amorem patriae. Tropo remoto sensus hic exit: *Non accusate Deum, qui semper tam benigno erga vos animo fuit. Quodsi vobis adhuc deest felicitas, accusate statum perversissimum imperii, qui, ut omnis quasi super idololatria fundatus est, ita cives profert abiectos et ipsos meliora sentientes communi miseriae implicitos.* Itaque

id tenendum est: *matris typo* intelligi *rempublicam Israeliticam et complexum civium in universum; typo liberorum, cives in concreto, homines tunc viventes miseriam et mala sua sentientes.* LXX. passive vertunt: κρίθητε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν, quod Hieron. verbis: *iudicamini cum matre vestra* reddidit, quam quidem interpretationem Hebraico dicendi modo non consentaneam omnes missam fecerunt interpretes et ipse Hieronymus, qui habet: *iudicate matrem vestram.* Ex tota orationis serie constat, רִיבוּ (quod nonnunquam in bonam partem dictum est: *defendere*, cf. Ies. 1, 17. Ps. 43, 1.) h. l. esse i. q. הוֹכִחוּ: *litigate cum matre, obiurgate* (12, 3.) *matrem vestram.* Sic Chald.: *arguite coetum Israelis.* Verba כִּי־אִשָּׁה nonnulli recentiorum v. c. Kuinoel. ad h. l. in parenthesi posita legunt, ut verba sic cohaereant: *contendite cum matre ut recedat a scortatu* (*nam nec mea uxor est, nec* etc.). Alii duce Chaldaeo, qui inserit: *et dicite ei,* כִּי particulam orationem alterius indicantem esse putant, ut Ps. 148, 13. Ies. 30, 5. Aliis particula כִּי causalis est ad utrumque sequens comma pertinens, ut Graec. ὅτι, quod LXX. habent, cf. Hieron.: *quoniam ipsa non uxor mea et ego non vir eius.* Mihi quoque copula כִּי causam litis indicare videtur, sed una simul respectu habito alterius membri וְאָנֹכִי לֹא אִישָׁהּ: Sens.: *quoniam enim non mea uxor est* i. e. *esse vult*, erat quidem uxor, sed uxorem castam et piam se gerere nolebat: *ego quoque eius maritus non ero.* Sic avertit causam reprobationis simul a se ipso et a Deo viamque parat declarando animo semper proclivi ad reconciliationem cum uxore resipiscente. Exinde apparet, parenthesin quidem adesse sed non in iisdem ipsis, sed in sequentibus verbis וְתָסֵר usque ad finem versus 6.

Sequens ו in: וְתָסֵר vim habet adversativam: *sed, verum.* Radix הֵסִיר: *removere*, quod notissimum est. Voces זְנוּנֶיהָ et נַאֲפוּפֶיהָ metonymice intelligenda sunt pro *consuetudine impudica et adultera* s. *sociis libidinum suarum*, uti v. c. אֱמוּנִים *veritates* pro *fidelibus hominibus* Ps. 12, 2. 31, 24., יַלְדֻתֶךָ *nativitates tuae*

pro *natis tuis* Ps. 110, 3., מְרִי *rebellio* pro *populo rebelli* Ez. 44, 6. Hanc consuetudinem suadet vates uxori removere *a facie* i. e. *ab osculis* et *a mammis* i. e. *ab impudico amplexu.* Particula מִבֵּין pr. *ab inter* id probare videtur. Vates, apud quem singulae voces vim suam habent, coniungit praepositionem, quae quoddam intimum commercium amantum inter se innuit, cum praep. מִן ut contrarium efficiatur, quemadmodum מֵאַחֲרֵי 1, 2., מִתַּחַת 4, 12., מֵעַל 9, 1. cf. Ewald kritische Gr. d. H. Spr. p. 615—617. In amplexu amasii inter utera בֵּין שָׁדַיִם iacent, hinc, מִבֵּין, removeantur. Poetice vates notat aliquas impudicitiae actiones, ut alias tacere possit. Quae magna cum elegantia et castitate orientali, nostris quidem verecundiae regulis non recensenda, hoc modo describit, multo lascivioribus coloribus pingit Ezech. 23, 3—21., qui si non offenderunt lectores castitatis studiosos, non video, quomodo h. l. cauta et modesta commemoratio impudicae rei aliquem offendere potuerit. Inde a Kimchio plures fuere interpretes, qui locum nostrum ita explicarent ut Ez. 23, 1., nimirum de tactu uberum v. c. Schmidt ad h. l. Alii vere offensi aliter verterunt, v. c. Drusius, qui vult prohiberi meretricem, *colore peregrino faciem inficiat ad alliciendos amatores et ne ubera comprimat ad occultandam graviditatem.* Rosenmueller *simplicius,* inquit, *est dictionibus* זְנוּנִים *et* נַאֲפוּפִים *gestus lascivos et blandimenta meretricia intelligere: quae vultui et uberibus tribuuntur, ut sistatur mulier toto habitu libidini addicta atque ad eam excitandam et exercendam unice composita.* (Iarchi quidem monet, *fuisse morem adulterarum, ut se ornarent inter mammas suas.*) Luth.: *ne oculis et uberibus, quae longe alia causa iis a Deo data sunt, nimirum oculi ad intuendum Deum et ubera ad nutriendum et fovendum infantes, ad perversas libidines abutantur.* LXX.: καὶ ἐξαρῶ τὴν πορνείαν αὐτῆς ἐκ προσώπου μου, καὶ τὴν μοιχείαν αὐτῆς ἐκ μέσου μαστῶν αὐτῆς. Chald. sine tropo: *verbum meum non suscipiet orationem eius donec auferat opera sua mala e vultu meo et cultum idolorum suorum de medio civitatis suae.*

5. Monet vates quo in periculo versetur libidinosa mulier, si libidinibus porro indulgeat: quae omnia tropice in nationem Israeliticam transferuntur. Hoc versu triplex poena ei indicatur, ignominiosa prostitutio, emissio e domo, inopia. Designat his simul promtum ad reconciliationem cum uxore animum, quae, licet revera propter infidelitatem uxor eius non erat, tamen redire poterat in pristinum amorem, modo ne insisteret suis flagitiis. פֶּן־אַפְשִׁיטֶנָּה עֲרֻמָּה *ne spoliem eam ita, ut nuda fiat.* Loci sunt, ubi similis poena prostibulis inferenda describitur, Ier. 13, 26. 27. Ez. 16, 39. 23, 29. Nah. 3, 4. 5. vid. Michael. ad h. l. וְהִצַּגְתִּיהָ כְּיוֹם הִוָּלְדָהּ *prostituam eam ut sit, uti die nativitatis suae.* Quod uno verbo עֲרֻמָּה expresserat, his verbis alio modo describit: tempore enim nativitatis nudi in lucem prodeunt. Verum in tropo de Israelis verba כְּיוֹם הִוָּלְדָהּ singulare pondus habere videntur. Nimirum: *Deus hunc populum aeque inopem et contemtum reddet, ac fuit, dum commorabatnr in Aegypto.* Sic Hieron. quoque interpretatur. Ez. 16, 4—6. uberius describitur, qualis gens fuerit a principio. Fortasse Ezechiel nostrum locum in mente habuit. וְשַׂמְתִּיהָ כַמִּדְבָּר. LXX. ad verbum: θήσω αὐτὴν ἔρημον, pro quo al. codd. ὡς ἔρημον. Verum bene monet Rosenmueller כְּיוֹם, כַּמִּדְבָּר et כְּאֶרֶץ plane sibi respondere. Ut enim neminem fugiet illud positum esse pro כְּבַיּוֹם, ita hoc nostrum et sequentia eodem modo explicanda erunt: scil. *ceu in desertum* et *ceu in terram.* Ceterum praefixum כ similitudinis monet, vatem nostro loco imaginem in mente habuisse, quae quidem facile a lectoribus intelligi possit. Ad uxorem quidem imago Hagaris, quae pariter Abrahami uxor non erat, ut illa non amplius Hoseae, ei obversabatur v. 4., ad Israelitas vero desertum Arabicum, in quo 40 annos commorati sunt. Hagar cum filio in deserto fame et siti fere opprimebatur Gen. 21, 15. 16., Israelitae autem pari modo in calamitosa peregrinatione omnis generis molestias perpessi erant. Talibus imaginibus summam miseriam ante oculos ponere animosque terrore percellere voluit, ut tandem resipiscerent. Eichhorn alio modo rem excepit: „sonst muss

ich ihre Heimath in eine Wüste wandeln und sie zum dürren Erdreich machen." Verum de uxore, non de eius patria sermo est.

6. Hoc commate vates pergit in sermone, quem v. 5. verbo פֶּן inchoaverat. Ut animus matris misericordiae erga liberos commovendus erat, ita natio Israelitica et demagogi debebant intelligere, quam turpe quamque perniciosum sibi foret, si cives flagitiis impliciti culpa sua pereant. בְּנֵי זְנוּנִים *liberi in scortatu matris procreati*, ut Ies. 57, 4. יַלְדֵי־פֶשַׁע זֶרַע שָׁקֶר, υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, υἱοὶ τοῦ φωτός Luc. 16, 8. Cum h. l. nulla alia explicatio verborum cogitari possit, eam etiam 1, 2. eodem modo quaerendam esse apparet. Simulatque autem mater non vera uxor a marito agnoscebatur, liberi patre destituti participes fiebant sortis miserrimae, quae matrem manebat. Iam parenthesis finem habet.

7. Hoc comma iterum copula causali כִּי repetita ad initium versus quarti pertinet. Repetit matris improbitatem, quemadmodum aliquis diras et acerbas castigationes aegre immissurus causam, cur immittendae sint, iterum iterumque sibi repetit, ut ita reprimantur sensus doloris et misericordiae. זָנְתָה de matre: *scortata est*, de natione Israelitica: *idololatriae se dedit* 1, 2. Ier. 3, 8. הֹבִישָׁה Hiph. intransitive dicitur: *ignominiam sibi contrahere, pudenda committere*, cf. Prov. 10, 5. 12, 4. LXX. κατῄσχυνε primaria significatione usi; pro quo varians lectio κατῃσχύνθη, quam secutus est Hieron.: *confusa est*, quod apud Patres eccles. idem est atque: *pudore suffundi*. הוֹרָתָם LXX. ad sensum: ἡ τεκοῦσα αὐτά, *genetrix eorum*. Hieron. proprie: *quae concepit eos*. Cuius in sequentibus vates exemplum impudicitiae exhibet. Hieronymus: *annon est hoc durae frontis et meretriciae impudicitiae, ut in suo scelere glorietur et dicat: sequar amatores meos?* אֵלְכָה אַחֲרֵי *sequar*, cf. 1, 2. מְאַהֲבַי dicuntur, qui alias אֹהֲבִים appellantur, fortasse *quod alienas mulieres in sui amorem pelliciunt donis et muneribus*. Nam par-

ticipium illud idem valet ac si dicatur: amare facientes me. Drusius. Tropo remoto intelliguntur *idola, quorum cultui se quaevis dona debere deceptus populus opinabatur.* Alii interpretes intelligunt *nationes barbaras,* Assyrios, Aegyptios, Syros etc., quatenus ea fiducia iis habeatur quae soli Deo habenda sit, vid. Schmidt. Verum, quamquam coniunctionem cum iis aegerrimé ferebat vates noster, tamen de ea nondum h. l. sermo est. Agitur tantum de flagitiosa propensione Israelitarum ad cultum simulacrorum et de insanis rationibus, quibus illam propensionem excusabant. Loquens fingitur mulier: *quid est, quod maritum meum curem, cum omnibus abundem, quae non tantum ad victum et amictum, sed ad voluptatem faciant?* Pari modo impia gens de Iehova cogitabat: *gavisi sumus fertilitate terrae, triumphos reportavit Ierobeam, florent urbes, laute viximus: quid igitur est, quod redituri ad severum cultum Iehovae dulcia nostra idola deseramus?* cf. Ier. 44, 17. 18. נֹתְנֵי לַחְמִי Hebraismus pro נֹתְנִים לִי לֶחֶם: His et sequentibus verbis recensentur bona, quae non tantum ad vitam, sed ad delicatam et voluptariam vitam necessaria putabantur. Oleo unguenti loco utebantur. *Potus*, postquam aquae mentionem fecerat, indicat *vinum* et *siceram, quae non tantum ad bibendum ut libidines inde excitarentur, sed etiam ad corporis lotiones et purgationes adhibebantur.* Drusius.

8. Iam nova periodus sequitur. לָכֵן: *propterea*, quoniam et tam impudica cupidines suas prodit, et tam obcoecata est fiduciá ergo amatores. Deus autem impedimenta obiicit populo infideli, primum ut eum in pudorem coniiciat, deinde ut ostendat bona illa non ab amatoribus profecta esse, postremo ut pristini status desiderio captus praesentem spernat atque ita sapere discat suo malo edoctus cf. Tarnov. ad h. l. הִנְנִי innuit inopinatum interventum Iehovae, quasi iam adsit populum puniturus, procul dubio aptissime habito respectu ad bellum civile tunc temporis iam inflammatum. שָׂךְ אֶת־דַּרְכֵּךְ. LXX. τὴν ὁδὸν αὐτῆς. Syrus et Arabs eodem modo, monente Kuinoelio. Eorum lectionem דַּרְכָּהּ commendat concinnitas orationis. Nam in omnibus ce-

teris commatibus vates de tertia persona loquitur. Verum num LXX. textum mutaverint, an, ut vertunt, legerint omnibus in locis, dubium est. Quamquam autem a vate transitus ab altera ad alteram personam non alienus sit, tamen in versione totius versus octavi concinnitatis causa tertiam personam retinendam esse censui. בַּסִּירִים *spinis* circumdaturus est eius viam ut impediatur quominus cum amatoribus conveniat. גְּדֵרָה i. q. גָּדֵר, *quaevis munitio* — Germ. Befriedigung — *qua locus circumdatur ut accedentes arceantur*, v. c. *muri urbis* Ps. 89, 41., *caulae gregum*, Schaafhürden Num. 32, 16. 24. 1 Sam. 24, 4., *sepes circum hortos aut campos* 1 Chron. 4, 23. eaque *virens* Nah. 3, 17. וְגָדַרְתִּי אֶת־גְּדֵרָהּ: *circumducam maceriam*, ex noto Hebraismo, ubi verbum sufficeret, adiecto nomine significatio augetur. Suffixum הּ non pronominis nota sed foeminini est, itaque ne גְּדֵרָהּ legatur. Non enim maceriam, sed semitam eius impedimentis obstruere voluit. LXX. sensum, non verba, exhibent: ἀνοικοδομήσω τὰς ὁδούς. נְתִיבוֹתֶיהָ: *semitas suas* i. e. quibus incedere solebat ad amores suos illicitos.

9. Porro causam uberius exponit, cur semitas mulieris impedimentis obstructurus sit: *ut amatores suos prosequatur verum non assequatur.* רִדְּפָה, Piel forma poetica significationem primae coniugationis augens: *ut studiose prosequatur.* Gr. διώκειν, LXX. καταδιώξεται. Sequens comma וּבִקְשָׁתַם וְלֹא תִמְצָא fere idem significat: *quaerat*, quos prosecuta est, scil. amatores, sed frustra, *eos non inveniet.* Quodsi tropo remoto minae de Israelitis valent, sensus v. 8. et 9. hic est: *Iehova ita fata vestra ducet, ut vanitas spei vobis in oculos incurrat.* Venietis in tantas rerum angustias, ut vos derelictos ab idolis vestris praedilectis sentiatis et omne eorum auxilium frustra a vobis quaeratur. *Ex quo intelligitur*, addit Hieronymus, *quod providentiâ Dei saepe nobis accidant mala, ne habeamus ea, quae cupimus, et variis calamitatibus huius saeculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur.* Nec in his adhuc de exilio Israelitarum aliquid invenio. Non enim de

ticipium illud idem valet ac si dicatur: amare facientes me. Drusius. Tropo remoto intelliguntur *idola, quorum cultui se quaevis dona debere deceptus populus opinabatur.* Alii interpretes intelligunt *nationes barbaras,* Assyrios, Aegyptios, Syros etc., quatenus ea fiducia iis habeatur quae soli Deo habenda sit, vid. Schmidt. Verum, quamquam coniunctionem cum iis aegerrimé ferebat vates noster, tamen de ea nondum h. l. sermo est. Agitur tantum de flagitiosa propensione Israelitarum ad cultum simulacrorum et de insanis rationibus, quibus illam propensionem excusabant. Loquens fingitur mulier: *quid est, quod maritum meum curem, cum omnibus abundem, quae non tantum ad victum et amictum, sed ad voluptatem faciant?* Pari modo impia gens de Iehova cogitabat: *gavisi sumus fertilitate terrae, triumphos reportavit Ierobeam, florent urbes, laute viximus: quid igitur est, quod redituri ad severum cultum Iehovae dulcia nostra idola deseramus?* cf. Ier. 44, 17. 18. נֹתְנֵי לַחְמִי Hebraismus pro נֹתְנִים לִי לֶחֶם: His et sequentibus verbis recensentur bona, quae non tantum ad vitam, sed ad delicatam et voluptariam vitam necessaria putabantur. Oleo unguenti loco utebantur. *Potus,* postquam aquae mentionem fecerat, indicat *vinum* et *siceram, quae non tantum ad bibendum ut libidines inde excitarentur, sed etiam ad corporis lotiones et purgationes adhibebantur.* Drusius.

8. Iam nova periodus sequitur. לָכֵן: *propterea,* quoniam et tam impudica cupidines suas prodit, et tam obcoecata est fiduciâ ergo amatores. Deus autem impedimenta obiicit populo infideli, primum ut eum in pudorem coniiciat, deinde ut ostendat bona illa non ab amatoribus profecta esse, postremo ut pristini status desiderio captus praesentem spernat atque ita sapere discat suo malo edoctus cf. Tarnov. ad h. l. הִנְנִי innuit inopinatum interventum Iehovae, quasi iam adsit populum puniturus, procul dubio aptissime habito respectu ad bellum civile tunc temporis iam inflammatum. שָׂךְ אֶת־דַּרְכֵּךְ. LXX. τὴν ὁδὸν αὐτῆς. Syrus et Arabs eodem modo, monente Kuinoelio. Eorum lectionem דַּרְכָּהּ commendat concinnitas orationis. Nam in omnibus ce-

teris commatibus vates de tertia persona loquitur. Verum num LXX. textum mutaverint, an, ut vertunt, legerint omnibus in locis, dubium est. Quamquam autem a vate transitus ab altera ad alteram personam non alienus sit, tamen in versione totius versus octavi concinnitatis causa tertiam personam retinendam esse censui. בַּסִּירִים *spinis* circumdaturus est eius viam ut impediatur quominus cum amatoribus conveniat. גְּדֵרָה i. q. גָּדֵר, *quaevis munitio* — Germ. Befriedigung — *qua locus circumdatur ut accedentes arceantur*, v. c. *muri urbis* Ps. 89, 41., *caulae gregum*, Schaafhürden Num. 32, 16. 24. 1 Sam. 24, 4., *sepes circum hortos aut campos* 1 Chron. 4, 23. eaque *virens* Nah. 3, 17. וְגָדַרְתִּי אֶת־גְּדֵרָהּ: *circumducam maceriam*, ex noto Hebraismo, ubi verbum sufficeret, adiecto nomine significatio augetur. Suffixum הּ non pronominis nota sed foeminini est, itaque ne גְּדֵרָה legatur. Non enim maceriam, sed semitam eius impedimentis obstruere voluit. LXX. sensum, non verba, exhibent: ἀνοικοδομήσω τὰς ὁδούς. נְתִיבוֹתֶיהָ: *semitas suas* i. e. quibus incedere solebat ad amores suos illicitos.

9. Porro causam uberius exponit, cur semitas mulieris impedimentis obstructurus sit: *ut amatores suos prosequatur verum non assequatur.* רִדְּפָה, Piel forma poetica significationem primae coniugationis augens: *ut studiose prosequatur.* Gr. διώκειν, LXX. καταδιώξεται. Sequens comma וּבִקְשָׁתַם וְלֹא תִמְצָא fere idem significat: *quaerat*, quos prosecuta est, scil. amatores, sed frustra, *eos non inveniet.* Quodsi tropo remoto minae de Israelitis valent, sensus v. 8. et 9. hic est: *Iehova ita fata vestra ducet, ut vanitas spei vobis in oculos incurrat.* Venietis in tantas rerum angustias, ut vos derelictos ab idolis vestris praedilectis sentiatis et omne eorum auxilium frustra a vobis quaeratur. *Ex quo intelligitur*, addit Hieronymus, *quod providentiâ Dei saepe nobis accidant mala, ne habeamus ea, quae cupimus, et variis calamitatibus huius saeculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur.* Nec in his adhuc de exilio Israelitarum aliquid invenio. Non enim de

frustra quaerendis idolis ipsis, quae in terris paganorum aeque, vel facilius etiam, atque in regno pàtrio, reperiri possent, sed de frustra quaerendo eorum auxilio sermo est.

Experientià edocta intelliget mulier non melius sibi consultum iri ac si redeat ad maritum. וְאָמְרָה i. e. *ut constituat apud se*, cf. 2 Sam. 21, 16. 2 Chron. 13, 8. Ps. 10, 6. Hominibus enim incultis potissimum alacri phantasia praeditis cogitare et loqui res eadem est, ita quidem, ut ipsas Deï cogitationes sermonem esse opinentur, quod voce דָּבָר notant (cf. 1, 1.), quemadmodum φημὶ apud Homerum, Iliad. 14, 265. ἦ φῆς, ὡς Τρώεσσιν ἀρηξέμεν εὐρύοπα Ζῆν', 374 sq. οὐδ' ἔτι φημὶ Ἕκτορα Πριαμίδην μενέειν, 20, 348. ἀτάρ μιν ἔφην μὰψ αὔτως εὐχετάασθαι. אֵלְכָה וְאָשׁוּבָה: primum verbum quidem redundat, verum respectu v. 7. elegans est oppositio. Vox הָרִאשׁוֹן iuxta אִישִׁי redundat, nam illi amasii, non autem mariti eius erant. אָז: *tunc* i. e. *cum adhuc iuncta essem coniugi meo.* מֵעָתָּה: *quam nunc*, i. e. *ubi derelicta ab eo bona ex illicito commercio cum illis amatoribus exspecto.* Verba כִּי טוֹב לִי אָז מֵעָתָּה, *prius enim meliori sorte quam nunc fruebar*, Graeci interpretes ad maritum referunt quasi antehac melius animatus fuisset cf. Drusius: quam falso, res ipsa docet.

10. *Tunc demum, ubi a me derelicta erit, intelliget non suis amatoribus, sed mihi deberi, quae bona faustaque sibi contigerint; hucusque enim inexcusabili animi levitate non indigere meo auxilio et munificentia amatorum freta satis se habituram commodorum vitae opinata est.* לֹא יָדְעָה: *non intelligit*, v. Iud. 13, 21. 1 Chron. 12, 32. Verba sequentia הַדָּגָן וְהַתִּירוֹשׁ cet. quamvis aliter sonantia respondent versui 7. et designant itidem *quaevis bona, quae ad amoenitatem et necessitatem vitae faciunt.* Verum id non suffecit. *Tantum abfuit, ut ea omnia deberet amasiis ut ipse eam praestantissimis donis locupletarem.* וְכֶסֶף הִרְבֵּיתִי לָהּ pr. *multiplicavi ei argentum.* וְזָהָב עָשׂוּ לַבָּעַל: subintelligendum est iterum הִרְבֵּיתִי לָהּ, post זָהָב au-

II, 10.

tem supplendum אֲשֶׁר, v. Gesen. ausführl. Lehrgeb. p. 747 sqq. *Quod impenderunt in Baalem.* Verbum עָשָׂה cum praep. לְ: *impendere in aliq.* 2 Chron. 24, 7. Vox ista, ut Latinum *facere*, pro materia subiecti varias induit significationes. Interdum est *praeparare* Gen. 18, 7.. interdum *ornare*, *componere* Exod. 25, 39. 2 Sam. 19, 28. Hoc loco latissimo sensu sumitur, quod omnis generis res ad cultum Baalis pertinentes, instrumenta et ornamenta, auro illo confecerint, cf. Exod. 38, 24. Al. locum Ies. 37, 15. consulentes, ubi legitur: *domum Jonathanis fecerunt* i. e. mutarunt *in carcerem*, h. l. putant esse: *simulacra Baalis ex illo auro fabricarunt*, cf. Chald.: *ex quo confecerunt idola.* Verum illud simplicius est, et 8, 4., quem locum allegant, alia est constructio. Vates noster h. l. e metaphora lapsus est, dum rem signatam pro signo, mutato numero subiecti expressit. Cum enim in toto capite de uxore locutus fuerit, nunc fervore dicendi abreptus pro singulari pluralem adhibet, ita luculentissime demonstrans se Israelitas semper in mente habuisse. Cuius quidem negligentiae culpa LXX. eum liberare voluisse videntur: αὕτη δὲ ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ ἐποίησε τῇ Βάαλ, ac si scriptum exstitisset עָשְׂתָה vel עָשָׂה Lev. 25, 21. Elegantia est h. l. et in v. 18. in usu vocis בַּעַל, quod nomen, nimirum a Babyloniis ortum, ubi *Bel* erat *dominus* et secundum Seldenum de Dis Syris Syntagm. II. 1. p. 196. 201 sq. *verus Deus*, *Deus Optimus Maximus*, *summus rerum gubernator*, in linguam Hebraicam fortasse iam ante cultum idoli hoc nomine obvji irrepserat. Latissimo sensu adhibebatur: *qui alicuius rei compos in eaque versatus est*, quemadmodum בַּעַל הַחֲלֹמוֹת Gen. 37, 19., בַּעַל חִצִּים 49, 23., בַּעַל דְּבָרִים Exod. 24, 14., בַּעַל חֵמָה Prov. 29, 22. cet.; unde sigillatim, qui cura et reverentia colitur, uti *dominus* Exod. 21, 29. Ies. 1, 3., *heros* Ies. 16, 8., *maritus* 2 Sam. 11, 26., *vir amatus* Ioel 1, 8. Ita duplici sensu h. l. exhibetur, ut innuat et *Baalem* illud idolum proprie sic dictum, et *eos*, *quos curis cupidinibusque amplectitur uxor.* Cum enim v. 18. maritum non amplius nomine illo vago et ambiguo בַּעַל appellatum iri affirmetur, id fuisse ap-

pellativum nomen eorum, quibus quocunque modo mulieres se subiicerent, intelligitur. Secundum Hieronymum ad v. 18. e Syriaca et Hebraica lingua בַּעַל fuit ὁ ἔχων, quod cum sensu illorum laudatorum locorum optime convenit. Quod autem ad idolum attinet, cui nomen בַּעַל erat, id non tantum apud nostrum, sed ubique in V. T. occurrit. Idolum fuit origine Babylonica, quod indicare videtur nomen Baal s. Bel, qui fuit primus regum Babyloniorum, a filio Nino in numerum Deorum relatus, cf. Hieron. ad v. 18. Transiit eius cultus ad nationes Babyloniis cognatione et vicinitate coniunctas, potissimum ad Assyrios, qui cultum eius cum cultu Saturni confuderunt, cf. Euseb. in Chron. praef. et de praeparat. l. 9. c. 4. Inter incolas Canaanis temporibus peregrinationis Iacobiticae gentis usitatissimus fuit, pro varietate gentium peculiaribus nominibus appellatus, v. c. Baal Peor apud Moabitas et Midianitas Num. 22, 41. 25, 3., apud Achronitas Baal Sebub 2 Reg. 1, 2., apud Sichemitas Baal Berith Iud. 9, 4., apud Philistaeos Baal Dagon Iud. 16, 23. 1 Sam. 5, 2., apud Syros Baal Rimmon 2 Reg. 5, 18. Cultiores quoque harum nationum Phoenices et Carthaginienses cultui Baalis s. Beli incubuerunt, *unde*, inquit Hieron. l. l., *et Dido Sidonia regii generis, cum Aeneam suscepisset hospitio, hac patera Iovi vina delibat, qua Belus et omnes a Belo soliti* Aeneid. 1, 729. Hebraeis autem iam tempore Mosis placuit Num. 22, 41. 25, 3., multo magis temporibus iudicum Iud. 2, 11. 13. Altaria et lucos ei sacrarunt Iud. 6, 25. 28. Inde ab hoc tempore inter cultum Apidis s. vitulorum, quem ex Aegypto retinuerant, et Baalis ita pependerunt, ut utrique idolo sacra facerent. Ierobeam vitulis loca sacra constituit Dane et Bethele 1 Reg. 12, 28. 29., Ahab vero altaria et lucum Baali Samariae 1 Reg. 16, 32. 33. Cum Iehu familiam Ahabi deleret, hunc turpissimum et obscoenum cultum (Hos. 4, 13. 14.) evellere constituit, cuius quidem rei initium fecit destruendo altari Samaritano et interficiendis eius sacerdotibus 2 Reg. 10, 25-30. Verum brevi vel ipsius vel successorum fervor in purgandis moribus et religioso cultu Israelitarum refrixit. Israelitae denuo impune indulserunt amori erga illum

nefarium cultum et circa finem regni omnia rursus plena fuerunt istius idololatriae 2 Reg. 17, 16. Nec stirpes Iudaeorum maculam non concepisse ex eodem nefario cultu vid. Hieronymum: *quod autem*, aientem, *auro et argento et cunctis opibus abundaverit Hierusalem et fecerit idola Baal daemoni Sidoniorum, sive ut alii rectius arbitrantur Babylonio, ex quo et Bel dicitur, Ezechiel plenius in suo ponit volumine et omnis Prophetarum narrat chorus.* cf. Selden de Dis Syris Synt. II, c. 1.

11. Non sufficit impedimenta obtulisse quominus uxor ultra auxilio amatorum frui posset; vates adeo apud se decrevit omnia illa bona quibus eam locupletavisset ei demere, quod idem tropo remoto de natione Israelitica valet. לָכֵן: *propterea*, quoniam nec noverit nec nosse voluerit, quantum boni marito suo deberet, nec dignam illis bonis se gesserit, impendendo ea in tam nefarios usus. אָשׁוּב וְלָקַחְתִּי. Ex Hebraismo notissimo, ubi duorum verborum *coniunctim* positorum unum adverbialiter accipiendum est (Gesen. Lehrgeb. p. 823), h. l. *rursus auferam*, *recipiam* cf. Michaelis ad h. l. דְּגָנִי: *frumentum a me datum.* בְּעִתּוֹ: *tempus frumenti* est tempus, quo frumentum metitur, et *tempus musti* est tempus vindemiae, quemadmodum עֵת־גָּדִישׁ Iob. 5, 26. et עֵת־עֵץ Ps. 1, 3. Minae illae, quatenus ad gentem Israeliticam pertinebant, eventu comprobatae videntur illis infelicibus temporibus, quae describuntur Ioel 1, 11. 16. Sed non solum defectu victus et potus punietur, sed etiam vestimentorum privatione. לְכַסּוֹת: LXX. τοῦ μὴ καλύπτειν τὴν αἰσχημοσύνην αὐτῆς, ac si legeretur מִכַּסּוֹת, quos Dathe, Kuinoel al. secuti sunt. Verum iam notum est LXX. non semper verba accurate sequi. Nostro loco adeo consecutio orationis praeferendam esse vulgarem lectionem monet: quod enim privationem vestium excipit, id versui 12. reservatur. Porro verba צַמְרִי וּפִשְׁתִּי לְכַסּוֹת אֶת־עֶרְוָתָהּ faciunt circumscriptionem vestium: *lana et linum ad tegendam nuditatem* i. e. *ad se vestiendum.* Simplex כִּסָּה iam habet notionem vestiendi, v. c. Deut. 22, 12.

Ion. 3, 6. Ies. 58, 7., multo magis h. l. ubi phrasis plenius exprimitur. עֶרְוָתָהּ: *nuditas eius*, abstractum pro concreto: *nudum corpus*. Ceterum *lana mea* et *linum meum* secundum ordinem orationis nil esse possunt nisi: *lana et linum a me uxori data*. Hieron.: *quae operiebant ignominiam eius*.

12. Nunc suo ordine sequitur, quod frustra iam in praecedente versu quaesiverunt, scilicet ut retegatur uxoris turpitudo. *Ereptis enim vestibus nuda prostituetur conspectui amatorum*. Intelligitur maxime denudatio partium genitalium, quae ita turpis habebatur, ut adeo amatoribus spurcissima videretur, cf. Ies. 47, 3. Ier. 13, 26. Ez. 16, 37. נַבְלֻת ἅπαξ λεγόμενον derivandum a נָבֵל *concidere*, pr. de foliis marcidis Ps. 37, 2., hinc *marcescere*, *flaccescere* Ps. 1, 3. Ies. 1, 30. Unde substantivum nostrum interpretati sunt de membris marcidis scil. fame et inopia, quibus uxor a marito afficienda erat. Sic Eichhorn: und ihren welken Leib entblössen. Hieron. vertit: *stultitiam*, quoniam נָבֵל significationem habet *stulte agendi* Prov. 30, 32. et nomen נָבָל saepius est *stultus*. LXX. τὴν ἀκαθαρσίαν αὐτῆς, *immunditiam*. Putamus ortum esse a coniugatione Piel: *contumeliose tractare*, *dehonestare* Deut. 32, 15. Nah. 3, 6. et ita *turpitudinem*, *obscoenitatem* indicare. Sic et contextui et castitati vatis optime respondet, cf. Chald. קְלָנַהּ *ignominiam eius*. Vates addit: idque fiet non in occulto sed *coram amasiis suis*, לְעֵינֵי מְאַהֲבֶיהָ, *qui si viribus valerent ipsi auxilio esse possent*. Verum אִישׁ לֹא־יַצִּילֶנָּה מִיָּדִי. Sens.: *eos erga me nihil valere eo in lucem prodibit, quod ita poenis a me mulctatam nullo modo mihi eripere nec e miseria liberare poterunt*. Tropo remoto: *aperiam civitatis et morum depravationem Israelitarum omnibus gentibus eosque contumeliae tradam, auxilium vero idolorum procul aberit*.

13. *Quemadmodum hucusque uxor omnibus bonis dotata laute et splendide vixit, ita nunc finis erit eius gaudiorum, festorum et solennitatum*. הִשְׁבַּתִּי *finire faciam*, ut 1, 4. מְשׂוֹשׂ non *causas* tantum

II, 13. 14.

gaudii, verum *gaudia ipsa* Ps. 48, 3. Ies. 62, 5. Remota enim felicitate gaudia cessant, et lacrymae in eorum locum succedunt. חַגָּהּ: *festum quodvis eius anniversarium:* si de uxore valet v. c. *dies nativitatis*, si de populo, *festa ex ordine annorum idolis instituta*, quemadmodum in religioso cultu Iehovae instituta erant festa paschatos, pentecostes, tabernaculorum, quod posterius expressis nomine חַג legitur 2 Chron. 5, 3. 1 Reg. 8, 2. חָדְשָׁהּ: *festa menstrua eius*, nimirum initium cuiusque mensis a Latinis voce *Kalendarum* celebratum, Hebraeis quoque sacrum, vid. Num. 10, 10. Ies. 1, 13. 14. Amos. 8, 5. שַׁבַּתָּהּ: *sabbatha eius, dies festivi singularum hebdomadum* lege Hebraeorum Lev. 23. מוֹעֲדָהּ: LXX. πάσας τὰς πανηγύρεις i. e. *conventus publicos et festivos*, *ludis, sacrificiis, nundinis immo omnis generis laetitiâ celebrari solitos*, cf. Wahl in clavi N. T. ad h. v. Cum non solum h. l. sed etiam alias v. c. Ez. 46, 11. voc. מוֹעֵד eodem modo vertatur, dubitari non potest, quin haec usitata eius significatio fuerit, quamquam 12, 10. alio sensu occurrat. Quodsi maritus de uxore loquitur, minatur: *se finem facturum esse omnium gaudiorum, ludorum, festorum et luxuriosorum conventuum cum amasiis.* Ubi autem Deus de gente Israelitica verba facit, indicat: *se aboliturum esse vi calamitatum publicarum omnes festos, splendidas solennitates et lautos conventus, quibus cultum idolorum ornaverint et ubi ipsis bene fuerit.*

14. Augentur poenae. Versu 11. messes tantum et vindemias deletum iri significatum erat, nunc vero hortos etiam vineasque penitus destructum iri promittitur. גֶּפֶן וּתְאֵנָה saepius pro *complexu dulcissimarum frugum* componuntur, cf. Ies. 36, 16. Ier. 5, 17. Ioel. 2, 22. אֲשֶׁר אָמְרָה: nota relativi, quae in omnes casus quadrat, h. l. *de quibus dixit* i. e. *gloriata est*, ut v. 7. אֶתְנָה et אֶתְנַן a תָּנָה: *mercede conduxit* c. 8, 9. 10., unde *merces, ob quam res vel homo alteri traditur*, Graec. μίσθωμα, quo verbo LXX. h. l. utuntur. In V. T. potissimum occurrit de *pretio, quo conducuntur meretrices, ut se libidinibus aliorum prostituant*, idque

vel proprie Ez. 16, 31. 34. Deut. 23, 19., vel tropice de favore deastrorum 9, 1. Ies. 23, 17. 18. Chald. יְקַר, *res pretiosas.* וְשַׂמְתִּים לְיַעַר: LXX. θήσομαι αὐτά, i. e. *faciam, ut fiant silva,* nimirum *loca, ubi vites et ficus creverant.* Sens.: *pro fertilitate et amoenitate, qua olim floruerunt illa loca, in posterum solitudines et pabula ferarum erunt.* Ferae enim non silvam ipsam comedent, sed in ea pabulum quaerent. Indicatur vastitas. Ubi enim terra antea culta et fructibus repleta, tam deserta et solitaria erit, ut ferae secure degere possint. Pro לְיַעַר LXX. legisse videntur, ut Hieron. notat, לְעֵד. Vertunt enim: εἰς μαρτύριον. Deinde in fine addunt: καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, mere ficta, memoriter recitantes locum Gen. 1, 30.

15. פָּקַד, praesertim si apponitur praep. עַל: *punivit, animadvertit in aliquem* 1, 4. Nunc non amplius inhibere potest vates fervorem animi et quod hucusque tropice indicaverat, expressis verbis nominat servata tantum tertia foeminini. *Ego quidem, inquit Iehova, poenas immittam* עָלֶיהָ i. e. *in Israelem s. Ephraimum*, qui saepissime apud nostrum genere foeminino leguntur. אֶת־יְמֵי הַבְּעָלִים: *tempora, quae in cultum Baalis impendit.* Cultus ille superstitiosus tanto dignior erat poenis, quanto diutius iam universa natio ei dedita fuerat, cf. v. 10. Pluralis הַבְּעָלִים adhibetur nimirum ad designanda varia genera idolorum, quae eodem nomine scriptores sacri complectuntur cf. Iud. 2, 11. Ier. 2, 23., ubi Iudaeorum idololatria *cultus Baalium* vocatur, et postea v. 28. additur: *quot urbes iis sunt, tot etiam deastri.* vid. ad v. 10. Ut enim initium idololatriae in certam aliquam formam redactae apud Babylonios a Belo s. Baale erat factum, ita ab hoc primo idolo ad omnes nationes Asiae anterioris propagabatur, adiectis tantum nominibus et modis pro singularum superstitione et cogitatione effictis. Ceterum h. l. quoque ad elegantiam facit ambiguitas illius vocis, de qua v. 10. Postquam enim sermo fuerat de uxore omni tropo ab ea desumto, ipsius perversi amores ex usu loquendi optime voce בְּעָלִים designari poterant,

II, 15.

quae quidem vox ad Israelitarum idololatriam diserte notandam satis valebat.

Relativum h. l. plenius exprimitur: אֲשֶׁר לָהֶם quam v. 14., ubi nude אֲשֶׁר positum erat: *quibus* scil. *Baalibus*. Sic Hieron., Dathe, Kuinoel etc. Al. ad יְמֵי referunt, ut LXX. ἐν. αἷς ἐπέθυεν αὐτοῖς et Chald.: *et animadvertam in eam dies, quibus serviebat idolis* et *adolebat iis aromata*. Verum et usus relativi cf. Gesen. Lehrgeb. p. 743. et naturalis ordo verborum interpretationem nostram retineri iubent. תַּקְטִיר *suffita faciebat*, notissimum genus cultus divini. Usus istius verbi pro omni cultu religioso est elegantissimus. Victimas enim immolare non licuit foeminis, et quoniam tropus omnino desumtus erat a muliere, vates aptissimum hac in re verbum adhibuit. Verum ad hunc religiosum cultum perficiendum decoravit se ornamentis. עָדָה pr. *ordinare*, unde עַד, עֲדִי, עֵדָה, עֵדוּת etc. hinc de ornamentis: *in ordinem collocare*, hinc intransitive: *se ornare*. נֶזֶם *ornamentum pendens* ab aliqua corporis parte eique infixum, v. c. naribus, auri. Sic apud Arabes verbum similiter audiens: *figere*, *fibulare* v. Kuinoel ad h. l. Nonnunquam apponitur אַף, v. c. Gen. 24, 47. Ies. 3, 21., nonnunquam אֹזֶן Gen. 35, 4. Quodsi nomen deest ornamentum accuratius designans, nobis quoque in nomine universalis notionis subsistendum est, nimirum: *annulus*. חֶלְיָה Iarchio monente est vox Arabica. Respondet verbo حَلْيٌ: *quodvis ornamentum, vel e metallis excusum, vel e lapidibus pretiosis confectum*. *Eodem nomine Arabico interpres Arabs* 1 Petr. 3, 3. *expressit Graecum* περίθεσις χρυσίων, v. Rosenmueller ad h. l. LXX. vertunt illud: τὰ ἐνώτια, hoc: τὰ καθόρμια, Chald. בְּקְדָשַׁהָא: *inauribus* et בְּחֲלִימַת מַרְגְּלִיתְהָא: *monilibus margaritarum suarum*, Hieron.: *inaure sua et monili suo*. Pronomen הָ in utraque voce vim suam habere videtur Nimirum ornamenta sunt ipsius mulieris, quae a marito accepit, cf. v. 10., quibus vero tam perverso modo usa est. Indicatur ita ingratus eius animus, quod ab eo locupletata non eius favorem, sed il-

licitos amores quaerit, idque auro, gemmis, vestibus ornata. Mulier enim amorem sibi comparandi studiosissima, corporis venustatem splendidis ornamentis auget. Ut igitur ornatu mulierum animus earum et studium placendi cognoscitur, ita Israelitae ubicunque fervorem idolis magis quam Deo placendi prae se ferunt. Sic omnia eleganter faciunt ad amplificandam symbolicam et poeticam descriptionem. *Sequitur amasios* (cf. 1, 2.) *et mei obliviscitur*: scil. Israel, ut illa libidinosa mulier, quae amores suos nefarios prosecuta virum suum prorsus neglexerat. נְאֻם־יְהוָה: quod igitur vates de muliere, id tropo remoto Iehova de Israelitis dicit.

16. At benevolus animus vatis in comminationibus subsistere non valet. Memor est divinae benignitatis, quae, inde a primis temporibus gentis Israeliticae, toleraverit peccata, refractarium populum bonis impleverit, periculaque gravissima averterit, dummodo pia mente redirent ad quaerendam Dei gratiam. Nec poterat non sperare, fore, ut tandem Israelitae resipiscant, quo facto Iehovam rursus habituri essent sibi propitium. Significatio particulae לָכֵן pr. *propterea* interpretes movit, ut varias huius versus explicationes excogitarent. Schmidt putat indicari nova mala ab Israelitis suscipienda. Scil. *quoniam ingratissima Dei oblita sit Israel, eam per Assyrios iterum velut in novum desertum esse abducendam, donec experientiâ damnorum tractabilior et attentior facta fuerit.* Grotius eodem fere sensu explicat, sed Deo etiam indignius, ac si ambiguis verbis ut moechi foeminas decipiat; quemadmodum fere nostrum: „ich will dich schon locken wie du es verdienst.“ Sic LXX. qui ita vertunt: διὰ τοῦτο ἰδοὺ ἐγὼ πλανῶ αὐτήν, secutus esse videtur. Hieron.: *quia daemonibus Baalim thura succenderat et nequaquam de cineribus et favillis putaverit posse consurgere, tunc, hoc est in adventu Christi filii aperiet spem salutis et dabit locum poenitentiae et blandietur ei.* Tarnovius: *idcirco, quia calamitatibus tantis non corrigitur, alia et mitiori via ex mera benignitate rem aggrediar*: quae etiam Drusii est sententia. Sensus non est inventu difficilis, modo ne לָכֵן conclusive, sed adversative sumamus, uti Ier. 16, 14. 30, 16. Ez. 39,

II, 16.
25. Zach. 11, 7., imprimis Gen. 4, 15., ubi LXX. idem verbum vertunt οὔτω, unde Gesen. in Lex. ad h. l. לָכֵן quoties hoc significatu legatur contractum esse contendit e לֹא כֵן, ut Arab. لَكِنَّ pro لَا كِنَّ: *atqui, attamen.* הִנֵּה אָנֹכִי מְפַתֶּיהָ. Hac loquendi formula indicat instans tempus, ac si dicat: *non diu esse duraturam miseriam.* Familia enim Iehu in dies propius ad interitum tendebat et in eius interitu vatem spem posuisse melioris sortis Israelitarum vidimus 1, 4. 2, 1. 2. Voce הִנֵּה vates etiam inusitatum modum se gerendi innuere potest, *quod enim nemo ita provocatus, contemtus et spretus faceret, ego Deus, cuius benignitas infinita est, pellecturus sum eam,* cf. Tarnov. ad h. l. פָּתָה *blandis modis commovere.* Cum omnis ratio agendi, qua Deus utitur, via elocutionis prodire in libris V. T. designetur, non mirum est, et h. l. et postea verba adhiberi sermonem scil. blandum indicantia, cf. Ier. 20, 7. Prov. 1, 10. 24, 28. Non igitur phrases huius versus solum de persuasionibus per prophetas factis intelligendae sunt, uti Chald. addit: בְּיַד עַבְדֵי נְבִיַּיָּה, sed de omnibus modis animum commovendi. Lutherus ab hoc verbo derivat similia significantia Graeca πείθω et ἀπατάω, et dicit: esse verbum medium *blandis modis aliquem alloqui,* ut vel bona faciat vel mala. Plerumque tamen bono sensu occurrit. Latinum verbum est *pellicere,* v. c. pellicere mulierem ad se Cic. Flacc. 30., in amorem Sueton. Claud. 26., militem donis Tac. Ann. 1, 2. Ceterum nunquam non meminisse quis debet: vatem in mente habuisse tropum de uxore et ad Israelitas loqui, quasi sermo sit cum muliere. וְהֹלַכְתִּיהָ הַמִּדְבָּר: *ducam eam in desertum* i. e. *solitudinem.* הַמִּדְבָּר positum est pro הַמִּדְבָּרָה, ut Amos. 4, 3. הַהַרְמוֹנָה. Nota enim loci ה saepius deest v. c. 1 Reg. 3, 15. 19, 3. Mulierum animis commovendis aptissima est solitudo, cuius silentium et simplicitas persuasionibus copiam dat earum cor tangendi. Elegans est metaphora, per quam vates naturae plane conveniente modo ad fata illa populi Iacobitici pervenit, ubi Deus olim in deserto mirificis et multifariis modis ani-

mis eius commovendis et foederi cum eo sanciendo operam navaverat. Eodem modo nunc Israelitas ad se pelliciendi, pro fracto novum idque arctissimum foedus tanquam cum sacrilega uxore pangendi et ad id obsignandum nova felicioraque tempora iis reddendi periculum facturus erat. Liveleius egregie locum e Virgilio addidit, ubi idem allegorice praeterita memorabilia tempora reditura promittit Aeneid. 4, 35 sq. Plerique interpretes sub *deserto* intelligendum esse *exilium Assyriacum* putarunt, ubi Kuinoel tunc temporis loca inculta et desolata fuisse e loco Herodoti monuit, cf. Nicol. de Lyra, Grotius, Clarius, Michaelis ad h. l. Verum h. l. vates metaphoram suam potius quam conditionem Assyriacarum regionum in animo habuit, nec probabile est eum iam tum, cum haec scriberet, de illo exilio ita cogitasse, ut nos, qui illum finem Israeliticarum rerum ex historia novimus. Hieron.: *ducam eam*, inquit, *in solitudinem, i. e. educam ex malis, sic ut et prius de Aegyptiaca eduxeram servitute.* Luth. sub *deserto* intelligit *ecclesiam Christianam quae ab adversariis pro deserto habeatur.* Chald. propius ad nostram sententiam accedit: *et faciam ei signa et miracula, qualia edidi illi in deserto.*

דִּבַּרְתִּי עַל־לִבָּהּ: *ad cor eius loquar.* Haec phrasis dulces sermones indicat, quibus animus movetur et ad consolationem Gen. 34, 3. 50, 21., et ad fiduciam 2 Chron. 30, 22., et ad animum 2 Chron. 32, 6. capiendum. Ita h. l. *blande tangam cor eius, ut mihi reddat et amorem et fiduciam.* cf. Horat. de arte poet. 98. *si curat cor spectantis tetigisse querela.*

17. מִשָּׁם: *exinde, inde ab hoc tempore,* LXX. ἐκεῖθεν, pr. particula loci, quae de tempore adhibetur, uti שָׁם 10, 9. Ps. 14, 5. Iud. 5, 11. וְנָתַתִּי: *dabo.* In primo membro huius versus est: *restituam*, nam v. 15. vineas destruendas esse portenderat. כְּרָמֶיהָ: *vineas eius.* LXX. non vertunt, sed describunt κτήματα, ac si vineae pars essent pro toto nimirum omnium possessionum Iudaicarum. Hieronymus autem vertit mutata punctatione כְּרָמֶיהָ in כֹּרְמֶיהָ: *vinitores* et putat esse *principes*

II, 17.
vineae tropice sic dictae, nimirum *domus Israel, exeuntes de gentibus et de captivitate hostium s. vitiorum, quos hic prophetalis sermo promittit fore de ipsa gente Iudaeorum, quemadmodum olim Moses et Aaron de eadem gente Iudaeorum principes exstiterint.* Eodem modo Chald.: *gubernatores eius.* In altero membro, וְאֶת־עֵמֶק עָכוֹר לְפֶתַח תִּקְוָה, repetendum est נָתַתִּי verum alio sensu, scil. *constituam s. efficiam*, cf. Gen. 17, 20. נְתַתִּי לְגוֹי גָּדוֹל et Gen. 48, 4. וּנְתַתִּיךָ לִקְהַל. Quod Hebraei uno verbo נָתַן significant, id Latinis quoque licet, verbo *reddere*. Germ.: „und ihr Thal des Betrübnisses will ich zur Pforte der Hoffnung machen," i. e. *patria eius, ubi tot aerumnas totque contumelias patitur, ut merito vallis Achor appelletur, ipsi eodem modo felicissimorum temporum spem aperiet, ut olim vallis Achor Israelitis introitum in Palaestinam.* Haec imago annexa est tropo praecedentis versus de deserto. Postquam enim abductio in solitudinem vatem monuerat recordari peregrinationis Israelitarum per desertum Arabicum semper memorabilis propter miracula et prophetias, quibus ibidem Iehova cor eorum tetigit, iam prope aberat ab historia exitus ex illo deserto, et ultimae cladis, nomine loci sempiternae memoriae mandatae. Israelitae Iordanem transgressi occupaverant amoenissimam huius fluvii vallem cum urbe Iericho, initium promissae terrae Canaaniticae. Iam disponunt agmina ad expugnandam novam patriam. At venit hostis ex urbe Ai et licet inferior numero cladem infert Israelitis. Animus deficit, et desperantes omnia deperdita esse existimant. Tum Deus Iosuae significat, furem esse inter Israelitas, qui contra iussum a se exhibitum nummos et vasa aurea ex urbe capta sibi servaverit, cui propterea inhaereat culpa calamitatis publicae. Fur nomine Achan sorte deprehensus morte in eadem valle plectitur. Quo facto valli ob utramque calamitatem, et cladem populi, et necem hominis, nomen Achor i. e. *vallis perturbationis s. aerumnae* tribuitur, vid. Ios. 7, 3—26. Verum natio inde ab hoc tempore victrix incessit in omnes Canaanis partes. Sic vates populo iterum spem facit, fore ut ea loca, in quibus adhuc animi miseriis et flagitiis

perturbentur, loca novorum gaudiorum fiant. Non autem video cur ad sentiendam huius imaginis elegantiam confugerint interpretes ad captivitatem Assyriacam s. Babylonicam, cum res planissima sit. *Loca nunc plena flagitiorum et miseriarum, quales profecto tunc temporis inter tumultus et bella civilia erant provinciae regni Israelitici, brevi vobis erunt plena gaudiorum.* Chald.: *constituam vallem Achor ad delicias animae.* Hieron.: *Simulque in hoc intelligimus quod in principio terrae sanctae — moeror in gaudium commutatus sit. Ibique aperta est spes, uti fuerat desperatio, ut punitis his, qui peccavere in Christo et commisere sacrilegium, salventur ex iis, qui blasphemantes Iudaeos fuerint detestati et, quantum in se est, interfecerint.* LXX. plane contra sensum vatis: *δώσω — τὴν κοιλάδα Ἀχὼρ διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῆς*, ac si lectum fuisset, ut Drusius ait: לִפְתֹּחַ תְּבוּנָה *ad aperiendam intelligentiam.* Lutherus magis etiam exornat tropum istum, statuens: *per vallem Achor indicari conditionem miseram et multis malis huius terrae conturbatam fidelium Christianorum, quae tandem finem nactura sit felicitate aeterna.* וְעָנְתָה שָׁמָּה *respondebit ibi* scil. meis monitis. Respicit enim ad praeterita tempora: *quemadmodum respondit temporibus infantiae suae, illis temporibus, ubi egressa fuit e terra Aegyptiaca.* Quae autem fuerit haec responsio diserte legitur Exod. 24, 3. 7. Deut. 5, 27.: *quaecunque Iehova nos iussit, ea faciemus et obtemperabimus,* כֹּל אֲשֶׁר־דִּבֶּר יְהוָה נַעֲשֶׂה וְנִשְׁמָע. Ita sensum Chald. excepit: *et dedent sese ibi verbo meo.* LXX. plane contra sensum, ut 14, 9. *καὶ ταπεινωθήσεται ἐκεῖ*, ex alio verbo עָנָה cuius Piel est *humiliare*, ac si legeretur עֻנְּתָה cf. Drusius, quamquam etiam prima coniugatio eodem sensu occurrit: *humiliari, deprimi*, cf. Ps. 116, 10. 119, 67.. Hieronymus auctor est interpretationis *canet*: quem recentiores secuti sunt Kuinoel, Boeckel, Rosenmueller (*et canet alterno choro, ut Exod. 15, 21.*), Michaelis ad h. l. Verum quamquam עָנָה nonnunquam notionem canendi, nimirum alternis vicibus, involvit, v. c. Esr. 3, 11. Ps. 147, 7., tamen h. l. est nimis artificiosa interpretatio naturali et facili seriei nostri loci minime accommodata. Dathe verbum עָנְתָה non vertit

II, 17. 18.

sensum omninò ita exhibens: *non aliam se quam a prima iuventa geret.* Eichhorn: „dort wird sie mir aufs neue folgsam werden." Verum עָנָה nunquam est *obedire*, contra *litigare cum Deo* Iob. 16, 3. 9, 14. 15. 32. שָׁמָּה ut in priori membro huius versus non locum, sed tempus indicat, vid. v. 18. כִּנְעוּרֶיהָ: elegans imago priorum temporum populi Iacobitici vati nostro usitata (cf. 11, 1.), qua vita publica istius gentis comparatur cum vita hominis, et primordia reipublicae nomine *pueritiae* designantur. Eadem imago, quamquam non tam casta occurrit Ier. 2, 2. Ez. 23, 19. 16, 7. 8.

18. וְהָיָה fere superfluum est. Additur si novi aliquid memoratu dignissimum adiicitur, ad incitandam attentionem lectoris s. auditoris, cf. v. 1. 23. et saepius apud prophetas, v. c. Ies. 65, 24. Ubi antea scripserat מִשָּׁם et שָׁמָּה, nunc scribit בַּיּוֹם־הַהוּא quod idem est. תִּקְרְאִי אִישִׁי et postea וְלֹא־תִקְרְאִי־לִי עוֹד בַּעְלִי. In his verbis sine dubio est corruptio textus. Nam utrobique לִי vel abesse, ut verbum sit 3. pers. cum suffixo 1. pers. *vocabit me* et *non vocabit me*, vel adesse debet, ut verbum sit 2 pers. sine suffixo, sed cum pronomine personali: *vocabis me* et *non vocabis me*. Abierunt etiam in utramque partem Codd. ap. de Rossium. Redite legantissimus usus praegnantis illius nominis בַּעַל vid. v. 10., quod ex usu vulgari est: *qui vim exercet in aliqua re* s. *in aliquem*, ex usu religioso: *idolum proprie sic dictum.* Vates igitur haec dicere vult: *quemadmodum uxor tandem intelliget me esse verum ipsius maritum qui in modum benevoli coniugis me erga ipsam gesserim, nec amplius teneram illam coniunctionem matrimonialem amare et pie servare recusabit, cum antea me quasi consortem libidinum cui se subiiceret,* כְּבַעְלָה *tractaverit: ita populus Israeliticus relicta omni nefaria idololatria ad foedus cum Deo redibit seque cum eo arctissime coniunget.* Simul arguit vates hypocrisin Israelitarum cuius vestigia saepius obvia erunt, v. c. 4, 15. 8, 2. 11, 7. cet. qui postquam cultum vitulorum et Baalis adoptaverunt, nihilominus se Iehovam nomine Baalis colere nec un-

quam eum deseruisse iactabant cf. introd. p. 35 sqq. Alii secundum Iarchium אִישִׁי censent esse nomen amoris, בַּעְלִי autem timoris, ac si significet *maritum quidem sed difficilem et imperiosum, qualis fuerit Baal cultoribus suis, quem populus elegerat pro piissimo Deo coeli,* cf. Muensterus, Tarnovius al. ad h. l.

19. *Delenda sunt vel nomina Baalium e lingua eorum, quippe quae ambiguitate sua deceperint Israelitas.* Putaverant nimirum, etiam Iehovam appellari posse בַּעְלִי i. e. *mi domine*, verum a nomine appellativo transierant ad idolum proprie sic dictum. Sub quo lusu verborum defectionem a vero Deo occultaverant, tanto magis ab eo aberrantes, quanto diligentius ambiguo illi nomini adhaerebant. Sed non sufficit e lingua deleri, nomen vel e memoria tollatur opus est: וְלֹא־יִזָּכְרוּ עוֹד בִּשְׁמָם Exod. 23, 13. Zach. 13, 2. Notandus est h. l. saltus ab altera persona et ab altero numero ad alterum. Postquam enim v. 18. gentem Israeliticam allocutus fuerat secunda persona, nunc in prima parte versus nostri redit ad tertiam, in altera adeo tertiam pluralis scribit. Hanc tertiam pluralis etiam sequenti versu retinet, v. 21. autem rursus secundam singularis adhibet. Quae negligentia, ut apud omnes poetas V. T., maxime apud prophetas, occurrit (vid. Gesen. Lehrgeb. p. 742. 802 al.), ita potissimum apud Hoseam nostrum, cuius animus diu in eadem metaphora morari recusat. cf. introd. p. 104. Excusari debet et alacritate ingenii hominum orientalium et lingua e pueritia nondum egressa.

20. Addit vates descriptionem aurei seculi, ita ut in modum poetarum non solum spiritualia bona sed etiam vitam omni periculo, calamitate et vexatione destitutam fingat, quemadmodum e profanis Kuinoel ad h. l. plura exempla adscripsit. Securitas vitae incipiet a bestiis, quae omnem ferociam et rapacitatem deponent, cf. Ies. 11, 6—8. כָּרַתִּי לָכֶם est dativus commodi. Respicit vates in hoc foedere pangendo nimirum v. 14., ubi minatus fuerat vineas et hortos habitacula fore bestiarum. בְּרִית עִם־חַיַּת הַשָּׂדֶה i. e. *ita tutos eos faciam a be-*

stiis agri, ac si foedere eas obligassem, ut nullo modo ulla illis noceat, cf. Schmidt ad h. l. Quae promissio illis regionibus iucundissima fuit, cum ab animalibus cuiusque generis iterum iterumque vexarentur. Exemplo est, ut unum tantum afferam, tristis descriptio locustarum apud Ioelem, quacum omnes recentiores descriptiones illarum regionum consentiunt, cf. Roehr Palaestina p. 90. Rosenmueller Altes u. Neues Morgenland B. 1. pag. 290.

אֶשְׁבּוֹר קֶשֶׁת: *frangam arcum etc. Non solum tuti erunt a bestiis, verum etiam ab hostibus, ita ut bella non amplius gerantur.* מִן־הָאָרֶץ gravius est, quam si dixisset בָּאָרֶץ, quemadmodum Am. 2, 3. מִקִּרְבָּהּ; non enim in patria vis hostium frangenda erat, sed omnino e terra, nimirum patria, bellum eiiciendum. Nam omnia instrumenta belli destruentur, deficientibus igitur armis etiam bella cessabunt. Est quidem forma inusitata, in qua supplendum est וַהֲסִירֹתִי. Simili modo Ps. 22, 22. מִקַּרְנֵי רֵמִים עֲנִיתָנִי ubi supplendum est וְהוֹשִׁיעֵנִי. LXX. καὶ τόξον καὶ ῥομφαίαν καὶ πόλεμον συντρίψω ἀπὸ τῆς γῆς. מִלְחָמָה: h. l. uti 1, 7. *arma* s. *instrumenta militaria*. Similis descriptio legitur Ies. 2, 4. Mich. 4, 3.

21. Nunc redit ad imaginem matrimonii. Vult enim Deus arctissimam coniunctionem cum populo לְעוֹלָם: *semper duraturam.* אֵרֵשׂ in coniug. Piel pr. *uxorem sibi pretio emere* Deut. 28, 30., omnino: *uxorem sibi despondere.* Adiecta praepositio ב indicat pretium sponsaliorum 2 Sam. 3, 14. Itaque h. l. בְּצֶדֶק וּבְמִשְׁפָּט est pretium, quo sibi despondebit gentem Israeliticam. Uxores enim pretio a maritis redemtas fuisse satis notum est ex historia Isaaci, Iacobi, Davidis cf. Sam. l. l. et Michaelis Mos. Recht, 2, §. 85. In hoc quoque tropo insistit vates indicaturus, quibus modis Deus efficiat, ut fidem et probitatem sibi servent. Sequentium verborum sensus non anxie premendus est: vates enim non philosophice, sed populari modo loquitur. Omnino id tenendum est: in duobus

prioribus verbis inesse notionem *iustitiae*, *benevolentiae* in posterioribus. Vatis enim pius animus de Deo loqui non potest, nisi utramque simul ei tribuat. Repellit ita simul illorum falsam superstitionem, qui ab idolis nil nisi commoda et gaudia impetrare, iustae autem remunerationis metu supersedere velint. צֶדֶק alias צְדָקָה et מִשְׁפָּט saepius ita componuntur, ut idem significent Ies. 22, 15. 23, 5. 9, 23. Sens.: *pretium, quo fidem tuam mihi reconciliaturus sum, est propensio mea ita te tractandi, ut mores tui merentur*, cf. Lev. 26. Deut. 4, 23. 24. 29. 40. 11, 26—28. בְּחֶסֶד וּבְרַחֲמִים: utrumque de Deo dictum indicat *summam benevolentiam*. Similiter חֶסֶד Exod. 20, 6. Deut. 5, 10., quae quidem de hominibus erga Deum alio sensu adhibetur, cf. 6, 4. 6. 10, 12. רַחֲמִים *misericordia, lenitas*, cf. Ps. 25, 6. 40, 12., de hominibus erga se invicem idem significat, de iisdem erga Deum non occurrit. LXX. ad verbum verterunt: μνηστεύσομαί σε ἐμαυτῷ ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ἐν ἐλέει καὶ ἐν οἰκτιρμοῖς. Hieronymus putat indicari omnes gradus coniunctionis Dei cum hominibus: *primo despondit eam in Abraham s. in Aegypto, ut uxorem habeat sempiternam* לְעוֹלָם, *secundo in monte Sinai dans ei pro sponsalibus legis iustitiam* צֶדֶק, *atque iudicium* מִשְׁפָּט, *et iunctam legi misericordiam* רַחֲמִים, *ut ubi peccaverit tradatur captivitati, cum egerit poenitentiam in patriam revocetur et misericordiam consequatur. Novissime venit Dei filius dominus Iesus in fide et gratia evangelica* חֶסֶד וֶאֱמוּנָה, *ut cum cognoverit filium unigenitum cognoscat et patrem*, וְיָדַעַתְּ אֶת־יְהוָה, cf. v. 22. Plures recentiores non observata significatione praepositionis ב, cf. supra, putaverunt nominibus illis indicari adfectus animi quos postulet Deus ab hominibus, ut sensus sit: *despondebo te mihi eo, quod tu gens Israelitica mihi in posterum praestabis quod par et aequum est cet.* cf. Tarnov., Drusius. Liveleius autem in omnibus illis nominibus *sinceri, benevoli et in fide constantis animi affectiones* deprehendit *quas quidem Deus pro sua parte praestiterit dum populus perfide defecerit, in novo autem foedere utrinque servandas.*

II, 22. 23.

Eichhorn quoque sententiam vatis non omni ex numero reddidisse videtur: „Ewig werd' ich dich mit mir vermählen rechtskräftig und gerichtlich, durch Zärtlichkeit und Liebe."

22. Novum sponsaliorum pretium addit vates בֶּאֱמוּנָה nimirum *fidem*. Elegans additamentum: nam sine fide, quam coniuges sibi praestare debent, nulla matrimonii felicitas consistere potest. De Deo autem, tropo remoto est *fides in praestandis omnibus promissionibus*. Hoc quoque loco recedere videtur Eichhornii versio a vatis sententia: „Vermählen will ich dich mit mir aufs festeste." וְיָדַעַתְּ אֶת־יְהוָה: *et cognosces Iehovam*. Respicit his verbis ad v. 10.: *cum antea non cognoverit quam bene erga eam animatus sim, nunc tandem id intelliget. Intelliget enim me erga eam egisse et acturum esse non ut sui impotentem et effoeminatum amatorem, qui quibuscunque uxoris libidinibus servit, sed ut bonum maritum, qui uxorem fideliter amat beneficiisque exornat, modo proba et bona esse velit.* Idem de Deo erga Israelitas valet. Plures Codd. apud de Rossium habent וְיָדַעַתְּ כִּי אֲנִי יְהוָה: *et intelliges me solum esse Iehovam.* Pariter Hieron.: *scies, quia ego sum dominus.* Chald.: *scietis timere dominum.*

23. Denuo alio poetico modo describit Dei benevolentiam in tribuendis omnibus bonis, quae ad salutem patriae faciant, nimirum vel in restituenda, vel in servanda fertilitate terrae et ubertate frugum. E singulari gravitate imaginis coniicere fere possumus, tunc temporis revera messem defuisse et ita iam eventu probatum fuisse, quod v. 11 et 14. legimus. Est elegans prosopopoeia. Finguntur enim omnia, coelum, terra et frumentum convenisse ad precandum pro Israelitis, ut Deus tandem eorum inopiae misereretur. עָנָה h. l. *exaudire*, praesertim de Deo dicitur, quando *benefaciendo respondet precibus hominum*, cf. Ps. 3, 5. 4, 2. 1 Reg. 18, 37. Et in hoc intelligitur usus loquendi Hebraeorum, qui amant omnes modos divinae providentiae verbis describere elocutionem innuentibus, cf. v. 16. Exaudiam הַשָּׁמַיִם i. e. nubibus impleatur. Similes locos

laudaverunt Drusius et Grotius Tibulli L. I. Eleg. 7, 25. et Euripidis ap. Aristot. Eth. l. 8, c. 1. quem posteriorem ita vertit Io. Schmidius:

Pandit terra sinus, pluviasque a nubibus optat,
Cum macer ablato campus ab imbre sitit:
Nec minus a pluviis quae turget in aëre nubes
Optat in expansos larga venire sinus.

Hieronymus aliique eum secuti mystice intelligunt haec verba de tempore et donis evangelii: *exaudiam*, ait, *coelos, qui enarrant, Dei gloriam et coeli exaudient terram, ut eam coelesti pluvia irrigent, et terra, de qua orta est veritas et in cuius agrum paterfamilias egreditur, ut seminet semen suum, exaudiet triticum et oleum et vinum et haec omnia exaudient Iesreel* i. e. *semen Dei, ut intelligatur omnium rerum abundantia et felicitas ob Dei semen, qui Christus est, condonari.*

24. *Terra exaudiet frumentum, mustum et oleum*, i. e. *ut ea remanere non sinat in suo gremio, sed uberius et laete proferat. Illa vero exaudient* יִזְרְעֶאל *ut carpi ab eo patiantur eumque delectent.* At vulgaris lectio, quamquam omnibus codicibus et versionibus probata, mihi ita non apta omni orationi videtur, ut non possim ab ea non recedere, vid. v. 25.

25. Finit vates poema suum, ut typica illa infantum nomina fausto omine repetat eaque omnia de Israelitis dicta esse clarissime ostendat. וּזְרַעְתִּיהָ: *seminabo eam* Si lectio vulgaris יִזְרְעֶאל retinenda esset, haberemus miram commixtionem generis. Loqueretur de Iisreele filio et uteretur pronomine foeminino! Vatem in hoc commate respectum generis non neglexisse apparet e posterioribus verbis, ubi filius לֹא עַמִּי recte ut masculinum tractatur. Nullo modo hic error grammaticus excusari potest, nec fervore dicendi, nec duplici sensu vocis יִזְרְעֶאל. Omnia bene se haberent si legeretur יִשְׂרָאֵל. Hoc nomen saepius in foeminino et apud vatem nostrum et apud alios legitur, cf. Ies. 17, 10. 54, 1. Ier. 3, 11—13., imprimis hoc loco, ubi gens Israelitica imagine uxoris designatur. Sensus quo-

II, 25.

que istam lectionem postulat. Postquam enim vates in toto capite ad Israelitas sub imagine mulieris locutus eos v. 21 et 22. in secunda persona pronominis apertius compellaverat, exspectavissemus eum eadem forma orationis servata in fine v. 24. scripturum fuisse, וְהֵם יַעֲנוּ אֹתָךְ vel si maluisset, expresse eos commemorare, ad quos locutus erat, nimirum אֶת־יִשְׂרָאֵל. Quomodo ea, quae omnino matri et de matre dixerat, nunc inopinato de filio dicere potuerit, omnino non video, cum in posterioribus v. 25. vates aperte id curet, ut felicitas matri promissa in eo etiam cernatur, quod liberi eius augeantur, misericordiam adipiscantur et rursus fiant populus Dei. Non est quod moneant eius consilium fuisse, ut repetat nomina symbolica liberorum. Num etiam nunc fas est de consilio vatis loqui? Sufficit intelligere eum nominum illorum fausta omina commemorasse. Ad hanc faustam commemorationem valet verbum וּזְרַעְתִּיהָ. Ut enim Deus foecunditatem terrae omnino promiserat, ita semini Israelitico auctus et incrementa promissa erant 2, 1. זָרַע igitur non amplius *dispersionem*, sed *sationem ut augescant posteri* indicat. Quibus animo perpensis nil restare videtur, nisi: vel veram a vate ortam sed cito depravatam lectionem esse יִשְׂרָאֵל, vel elapsum vatis calamo errorem in scribendo, vel eum contra elegantiam et bonum sensum consulto peccavisse. Quod posterius de tam eleganti propheta non dixerim: utrumque prius autem genuinam et simplicissimam lectionem restituere monet. Ceterum miror istam inexcusabilem commixtionem generis non omnes interpretes offendisse. Dathe v. 24. vertit: *ista omnia Israeli exorabuntur;* de lectione nil commemorat. Io. Schmidius quidem in comment. ad h. l. p. 129. ita disserit: *Mirum est, quod ecclesia non potius vocetur Israel post conversionem. Nam nomen Iesreel impositum primo filio Hoseae, ut designaret dispersionem populi Israelis in gentibus. Quidam volunt, id nomen usurpatum hic fuisse a Propheta, ut perstringeret oblique Israelitas et revocaret iis in memoriam, quam sint indigni Dei beneficiis, deinde ut dei bonitas magis eluceseeret, qui tot bona*

II, 25.

Israelitis quamvis per se indignis pro sua tamen bonitate promittit se daturum ubi fuerint reconciliati; ac proinde non ita vocari a Deo ut exprobraret praeterita scelera et miserum statum, in quem sua impietate prolapsi erant, sed potius ut gratiam suam amplificaret. Alii censent hic mutari significationem nominis et fieri allusionem ad verbum זָרַע *seminavit, ac vocari coetum piorum Iesreel i. e. seminationem vel semen Dei, 1) quoniam ecclesia per verbum tanquam semen mysticum colligitur 1 Petr. 1, 23.; 2) quia instar seminis per mundum dispergitur; 3) quia eius semen fructus fert uberrimos in coelestia colligendos horrea.* Kuinoel plane contra vulgarem textum a se receptum: *ista vos Israelitas exaudient, inseram te huic terrae, ac etc.* Boeckel monet *Iisreel esse i. q. Iisrael.* Eichhorn. subsistit in verbo Iisreel quod h. l. vertit: *das neu gepflanzte Volk*, verum quemadmodum malo sensu זָרַע 1, 4. non erat *castigare*, *punire*, sic h. l. bono sensu non est *plantare*, sed *seminare*, s. *efficere ut augeatur et latius feliciusque propagetur* cf. v. 1. De Wette: *Derselbe soll Israel erhören.* Hieronymus ad verba sed contra grammaticam: *haec exaudient Iesrael, et seminabo eam mihi.* LXX. eodem modo καὶ σπερῶ αὐτὴν ἐμαυτῷ. בָּאָרֶץ, ut bene monet Rosenmueller, non universus terrarum orbis, sed *terra Canaanitica*, quam olim populo Israelitico Deus adscripsit, probante articulo. Est enim בָּאָרֶץ i. q. בְּהָאָרֶץ, in quo inest ה notificationis cf. Glass. phil. S. p. 557. וְהוּא יֹאמַר אֱלֹהָי. Nunc omnis tropus remotus est. *Populus Deum suum nec sub imagine, nec sub idolo cognoscet, nec mi marite, nec mi Baal appellabit, sed mi Deus!*

Interpretes fluctuant in interpretatione huius capitis: nam intelligunt et de restitutione e captivitate Assyriaca, et de salute per Christum exspectanda. Illi quidem ipsi sentiunt nostris metaphoris et similitudinibus plus indicari, quam factum sit impletumve. Propterea autumant descriptionem rerum magis respondere laetitiae et gaudio, quo fideles accepturi sint promissionem futurorum eventuum, quam eventui ipsi. *Huius sententiae rationes*, inquit Io. Schmidius, *tanti momenti non*

sunt, ut apud aliquem saltem mediocriter singulas textus circumstantias considerantem locum inventurae videantur, principium enim petunt, et, quod operose probandum erat, pro concesso sumunt. Propterea alii sentiunt posteriorem partem huius capitis ad statum Novi Testam. et negotium Evangelicum pertinere et de eo ad literam explicari debere, et, si terminis figuratis utatur Propheta, scopum eius esse, praedicere restitutionem verae ecclesiae per Christum, in qua ipsi Israelitae dispersi, qui nunquam redierunt in terram, ex qua deportati fuerant, colligendi fuerunt in reliquiis suis, ut Israeli secundum spiritum adnumerarentur, et miseriam consecuti iterum Dei populus cum aliis gentibus antea misericordiam non consecutis appellarentur. Nam promissiones vatis tantae sunt maiestatis tantiqae splendoris, ut eas tempus liberationis e Babylonia et res quae in eo gestae sunt complere nullo modo possint. Verum et huius sententiae rationes eadem petitione principii laborant, cuius antea Io. Schmidius accusaverat alios interpretes. Nos contra nihil aliud deprehendimus, nisi descriptionem temporum felicium in universum, quae quilibet populus oppressus et ad incitas redactus exspectavit.

IV.

Cap. III, 1 — 5.

1. Iussit me iterum Iehova reverti et amorem restituere uxori, quamvis adulterae, tamen amatae a socio thori; proinde atque Iehova amore vinctus sit populo Israelitico, qui tamen respicere malit ad deos exteros et praeferre vina iis consecrata. 2. Quapropter favorem eius mihi reconciliavi pretio quindecim nummorum argenteorum et sesquichomeri hordei; 3. hoc pacto ei proposito: contine te mihi per aliquod tempus, noli interea libidinibus tuis indulgere, nec omnino

cum unoquovis viro rem habere. Tum ego quoque rursus tuus ero. 4. Sic per aliquod tempus Israelitae vitam degent destituti et rege, et principe, remotique ab ulloquoquam sacrificio, altari, amictu sacerdotali et simulacris. 5. Tandem vero redibunt Israelitae ad quaerendum Iéhovam Deum suum et Davidem regem suum, trepidabuntque ad suum Iehovam et ad veram suam felicitatem; quo facto illud tempus destitutionis finietur.

Uxor ad meliorem frugem rediit, et se subiecit speciminibus, quibus probaret se esse adhuc dignam tali marito. Qua de causa maritus ei rursus pristinam suam benevolentiam offert, spe fretus, fore ut salus domestica restituatur. Forma poeseos est iterum historica, annexa ratione, qua effigies de gente Israelitica valeat.

1. Iam vates pingit se denique sensisse uxorem per omnes illas angustias, ubi destituta a marito solis amatoribus non eius saluti sed potius suis libidinibus prospicientibus commissa esset, tandem meliora esse edoctam, atque propterea periculum fecisse, utrumne sibi fidem et probitatem redderet. Quem animi sensum iterum divino adflatui tribuit: וַיֹּאמֶר יְהוָה אֵלַי, ut 1, 2. 4. 6. עוֹד לֵךְ: *iterum abi, redi.* Ut Deus iam antea 1, 2. eum ire iusserat nunc redire iubet ad eandem uxorem, de qua 2, 4. diserte dixerat: *cum illa mea uxor non esse velit, equidem maritus eius non ero.* Pessime statuunt, qui dicunt vatem aliud matrimonium iniisse v. c. Eichhorn, Boeckel atque etiam Kuinoel. Ut enim Dei amor semper idem erat erga eandem gentem Israeliticam, ita mariti amor semper uni uxori servabatur. אֱהַב: *restitue amoris signa;* nam de amore ipso sermo esse non poterat, quippe qui nunquam in animo mariti cessaverit, quod indicant sequentia אֲהֻבַת רֵעַ: *amatam socio.* רֵעַ pr. *socius*, saepius de socio thori i. e. marito occurrit, cf. Ier. 3, 20. בָּגְדָה אִשָּׁה מֵרֵעָהּ, Cant. 5, 16. זֶה רֵעִי. Alii, ut Liveleius putant

III, 1.

intelligi: *alium quem amatorum*, uti Ier. 3, 1.; eodem modo Eichhorn: „ein Weib, das einen andern liebte." Quod omnino non modo textui repugnat, sed etiam sequenti imaginis explicationi, ubi et Deus pari modo amasse populum et populus impie egisse dicitur. Itaque nostra explicatio, quae est plurimorum interpretum, unice convenit imagini. Vates amore erga improbam uxorem simillimus erat Deo impium populum semper amanti. LXX. verterunt: *ἀγαπῶσαν πονηρὰ*, ac si legissent: אֹהֶבֶת רָע. Melius Chald.: *uxor marito suo carissima.* Vates momentum comparationis suae cum Deo expressis verbis indicat, כְּאַהֲבַת יְהֹוָה: *ad exemplum amoris Iehovae erga Israelitas.* וְהֵם פֹּנִים אֶל־אֱלֹהִים אֲחֵרִים idem quod antea הֹלְכִים אַחֲרֵי מְאַהֲבֶיהָ 2, 7. et רִדְּפִים אֶת־מְאַהֲבֶיהָ 2, 9. Verbum פָּנָה primariam habet significationem *respiciendi*, unde: *vertere se* potissimum ubi cum praepos. אֶל componitur Exod. 16, 10., trop. ad idola Lev. 19, 4., et ad Deum Ies. 45, 22.

וְאֹהֲבֵי אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים: nimirum pars sacrificiorum pro toto cultu deastrorum. Verum in quo constiterit illud sacrificium, de eo disceptant interpretes. LXX. verterunt *πέμματα μετὰ σταφίδος*, de qua versione Hieron.: *pro pemmatibus*, scribit, *quae LXX. transtulerunt et comeduntur cum uvis passis s. vinaceis, Latine possumus dicere placentas vel crustulas, quae idolis offeruntur et Graece dicuntur πόπανα.* Interpres vetus ap. Drusium: *πέμμα*, ait, *sunt coctiones; dicitur enim πέμμα, πᾶν τὸ πεπτόμενον, tamquam* אֲשִׁישֵׁי *ab* אֵשׁ: *ignis, nam igne coquimus.* Hac interpretatione nituntur recentiores interpretes v. c. Kuinoel, Boeckel, Rosenmueller, qui vertunt: *placentas ex uvis passis factas.* Gesenius eodem modo de significatione verbi statuens deducit אֲשִׁישֵׁי a radice inusitata אָשַׁשׁ secundum Arab. أسّ *sternere.* Tales aliorumque generum placentas usitatas fuisse in sacris gentilium Rosenmueller e Porphyrio de abstinentia laudat cf. Ier. 7, 18. Ab hac interpretatione recesserunt Hebraei interpretes, qui no-

men אֲשִׁישָׁה hoc et in tribus aliis locis reddiderunt *lagenam*, ita tamen, ut Cant. 2, 5. 2 Sam. 6, 19. 1 Chron. 16, 3. *lagenam vini* indicet. Derivant enim a שֵׁשׁ *sex*, ac si pr. esset: *vas sex modios continens*, deinde quodvis aliud *vas*, vel adeo olla s. *poculum*, unde Kimchi: אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים i. e. יֵין עֲנָבִים *vini uvarum*. Verum loco Cantic. de alia quadam re sermonem esse apparet et hoc nostro loco additur עֲנָבִים, quod superfluum esset, si illud iam indicaret *lagenam* s. *calicem vini*. Hinc Schmidt coniecit *lagenas uvarum* esse *lagenas intus vino plenas, foris autem uvis optimis ornatas, quae lagenis vel impositae s. circumpositae fuerint, Baccho in honorem a vinosis Ephraimitis adductae, de quorum vinolentia queritur vates 4, 11. 18. 7, 5. cf. Ies. 28, 1.* Inde alii omnino de ebrietate et vinolentia intellexerunt, uti Tremellius, Brentius, Clarius, Vatablus etc. Alii tropice interpretati sunt duce Hieronymo ita disserente: *typus Dei est, qui filios Israel pessimos diligit, qui, cum diligantur a Domino, ad Deos alienos idolaque respiciunt et diligunt vinacia uvarum* (Weintrester), *quae vina non habent et pristinam gratiam perdiderunt, sicut daemones delapsi de propria dignitate et nihil antiquae gratiae possidentes aridi sunt et veteri siccitate marcentes.* Ita etiam Aquila vertit: παλαιά, ac si legeretur יְשִׁישֵׁי et Symmachus: ἀκαρπούς, cf. Kuinoel ad h. l. Sufficit varietatem interpretationum commemorasse. Ad veritatem proxime accedere videtur eorum sententia, qui sub אֲשִׁישׁ s. אֲשִׁישָׁה *cibum lautiorem* intelligunt, cf. imprimis Cant. 2, 5., h. l. addito עֲנָבִים: *ex uvis s. mero confectum* (cf. illud Virgilii Georg. I, 9. *poculaque inventis Acheloia miscuit uvis*, et Horat. Carm. 1, 20. *praelo domitam Caleno tu bibes uvam*), quo usi fuerint in luxuriosis et nefariis suis sacrificiis, cf. Iud. 9, 27. Amos 2, 8. 1 Cor. 10, 21., vid. Liveleius ad h. l. Mira est et in recensione interpretationum non omittenda commentatio Chald.: *verum si convertantur, remittetur iis eruntque similes viro qui erravit dixitque verbum contra socium suum.*

2. Amoris et divini iussus impetum vates secutus cum uxore egit, ut eam rursus uxorem suam agnosce-

II, 2.
ret. Uxores enim emebantur, vid. 2, 21. Quod ibi dicebatur אָרַשׂ, h. l. est כָּרָה, ut Deut. 2, 6. LXX. ἐμισθωσάμην ἐμαυτῷ Hieron. lusit cum verbis, interpretatus אֶכְּרֶהָ *fodi*, ut v. c. Gen. 26, 25. Ps. 7, 16. et ita disserens: *quando dicit: fodi, ostendit vineam, quae a Deo plantata est, et in multis locis ponitur significans populum Iudaicum. Sin autem legerim: conduxi, adulterae pretium est non ut cum propheta dormiat, sed ut contenta mercede sua adulterare desinat.* Dagesch in verbo אֶכְּרֶהָ esse euphonicum, nec propterea esse derivandum a נָכַר: *notitiam contraxit* vid. Michaelis et Rosenmueller ad h. l. בַּחֲמִשָּׁה עָשָׂר כָּסֶף scil. ex frequenti ellipsi שְׁקָלִים: *quindecim argenteis nummis.* Quale genus nummorum intelligendum sit, de eo interpretes dissentiunt. Proprie שֶׁקֶל pondus erat, quo antiquitus pendebant aurum et argentum, continens 20 Geras Exod. 30, 13., quae 16 grana hordeacea pependisse putatur. Iosephus Antiqq. 3, 12. adfert *siclum pependisse 4 drachmas*, cf. Hieron. ad Ez. 4, 10. Drachmae autem 8 Latinam unciam efficiunt, ergo *siclus* esset *semiuncia* s. *semithalerus.* Quae quidem de temporibus post captivitatem Babylonicam valent. Temporibus enim Maccabaeorum moneta argentea erat, cuius Beyer de nummis Hebraeo-Samaritanis p. 5 sqq. plura exempla nobis adhuc superstitia adfert, quae circiter 2½ — 3 Drachmas s. 184 — 242 grana pendunt. חֹמֶר: *cor*, erat mensura aridorum, continens 10 Ephas vel 30 Seas s. Sata. Sea autem secundum Kimchium continebat 6 Cabos, s. 96 quadrantes, s. 144 ova. Minima enim mensura fertur fuisse רְבִיעִית *quadrans*, s. *quartarius logis*, continens sesquiovum. cf. Buxtorf. lex. Hebr. ad vocem קַב. LXX. vertunt γομος, ac si scriptum esset עֹמֶר, ut Exod. 16, 16., translata litera ע in γ. Cur autem dederit hordeum neque aliud frumenti genus, id interpretes variis commentis enucleare studuerunt. Alii putarunt id factum esse in usum sacrificii, quod in ineundis nuptiis ferebatur, al. vulgare pretium abiectae et impurae mulierculae hordeum fuisse e nostro loco iudicarunt, al. respici censuerunt ad oblatio-

nem illam expiatoriam mulieris de adulterio suspectae Num. 5, 12 sqq. al. sensum mysticum quaesiverunt, uti Hieron.: *quia virum non habet, non vescitur cibo hominum frumento et legumine, sed hordeo irrationabilium iumentorum, ruminans utilitatem literae, quae interficit et non habens spiritum vivificantem. Sedet itaque populus Iudaeorum qui quondam 15 nummis et 45 modiis hordei est conductus post adventum servatoris et exspectat viri sui adventum.* Nunc in numero quoque nummorum et modiorum Hieronymus mysticum sensum deprehendit. *Numerum nummorum* putat indicare *15. mensis Nisan, ubi primogenitura Aegyptiorum trucidata sit*, et *numerum sesquichomeri* i. e. *45 Searum, quadragesimum quintum diem, quo venerint Iacobitae ad montem Sinai.* Sufficit meminisse usum hordei apud Hebraeos antiquissimum et maxime communem fuisse Deut. 8, 8. Ez. 13, 19. Ruth. 3, 15. Ioh. 6, 9. Merces haec adulterae mulieris procul dubio haud fuit exigua. In fine versus pro לֶתֶךְ שְׂעֹרִים: *semicorum* s. *semichomerum* LXX. habent νέβελ οἴνου, nescio e qua mutatione literarum. Apparet exinde hunc locum antiquitus admodum fuisse corruptum.

3. Verum non solum donis sibi conducere adulteram mulierem, sed explorare vult eius animum. Itaque *pactum ei proponit*: וָאֹמַר אֵלֶיהָ. Pactum in eo positum erat, ut mulier per aliquod tempus se contineret ab omni commercio cum aliquo viro, amatore et marito. יָמִים רַבִּים תֵּשְׁבִי לִי. Quot fuerint illi dies non definivit: quoniam nihil ad rem faciunt. Interpretes addiderunt: tot per quot frumentum ei datum suffecit ad vitam sustentandam. *At si centesima pars Chomeri vel edacissimo homini in diem suffecit, plures omnino dies ex data mercede colligendi videntur*, vid. Michael. ad h. l. תֵּשְׁבִי habet omnino significationem *quietae et solitariae mansionis*, ut Gen. 25, 27. 29, 19. Exod. 24, 14., non tantum *exspectationis*, uti Hieron. vult. LXX. καθήσῃ ἐπ' ἐμοί. לִי est dativus commodi, uti 2, 20. *contine te mihi.* Recitantur nunc modi eius continentiae. Primum: *ne indulgeat illegitimis libidinibus, verum remota maneat a moechis*, לֹא תִזְנִי; deinde: *ne rem ha-*

III, 3.
beat cum quoquam viro, וְלֹא תִהְיִי לְאִישׁ. LXX. male vertunt οὐδὲ μὴ γένῃ ἀνδρὶ ἑτέρῳ, ac si lectum esset לְאִישׁ אַחֵר, hoc enim iam inest in verbis praecedentibus. Cum enim iam nupta esset marito neque ab eo dimissa, alii viro nubere non poterat. Ergo commercium cum alio viro itidem fuisset illicitus amor, et haberemus inutilissimam tautologiam. Melius sensum assecutus est Hieronymus ita explicans: *nec aliis amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro, a quo conducta es, legitime coniungeris.* הָיָה לְאִישׁ saepe occurrit eo sensu ut sit: *viro se committere*, v. c. Ez. 16, 8. Ruth. 1, 12. Ita etiam Drusius: *quando absolute dicitur: non eris viro, intelligimus, quod nulli iungatur omnino et absque coitu matrimoniali sit.* Alii ita accipiunt verba, ut nil aliud indicent nisi: *mihi adhaereto mihique cohabitato soli, vitans amasios, in quorum amplexum hactenus ruere solita eras.* Sed vati id curae esse non poterat, ut statutis tantum diebus, יָמִים רַבִּים, sed per omnem vitam sibi constans et fidelis esset. Exploratio igitur in alia quadam re peculiari constitit, nimirum in abstinentia a coitu matrimoniali per aliquod tempus statutum observanda. De Wette: „und hure nicht und ergieb dich keinem Manne."

Mulieri hoc pactum probe servaturae addit vates promissionem וְגַם אֲנִי אֵלָיִךְ scil. אֶהְיֶה prorsus eodem modo uti 1, 9. כִּי אַתֶּם לֹא עַמִּי scil. הֱיִיתֶם. אֵלַיִךְ est nota dativi pro לָךְ, nimirum propter euphoniam. Ut enim verbis 1, 9. לֹא־אֶהְיֶה לָכֶם dixerat: *non ego vester ero*, sic nunc dicit: ego quoque tuus ero. Haec explicatio et verbis, et sensui est accommodatissima. Symbolice hucusque v. 1—3. de se fatisque suis domesticis locutus erat, proposuerat uxori conditionem reconciliandae suae benevolentiae eo pacto, ut per aliquod tempus caste et solitarie vitam degeret. Sic periculum facere constituerat, utrum resipisceret nec ne. Nisi probitatem suam ostenderet patientia et morum integritate, prorsus dimittenda erat. Si contra pactum servaret, tum ei pristinus amor restituendus erat et favoris nondum extincti signa largiter exhibenda. Ita

modus agendi erga uxorem vere similis erat ei, quo Deus hucusque tractaverat populum Israeliticum eumque porro tractare constituerat. Non enim sermonem esse tantum de tempore explorationis, sed de iis, quae illud tempus secutura sint, apparet ex translatione imaginis ad populum Israeliticum. Quid omnino ponderis habuissent promissa, *esse se observaturum eandem temperantiam erga uxorem, quam ipsi imperaverit?* Vatis probitas omnis dubii expers erat; cur igitur de ea amplius verba faceret? Se autem cum uxore rem habere nolle, id in abstinentia ab omni concubitu uxori proposita continebatur. Mittamus igitur frigidissimam illam atque a plerisque interpretibus receptam verborum nostrorum explicationem: *eundem quoque erga te me praebebo*, quam Eichhorn adeo ita constituit, ac si part. לֹא verbis inesset: „auch ich will mich nicht zu dir halten." Promissionem vatis optime convenire cum versu quinto verba docent, et suo loco videbimus. Nostra sententia plane congruit cum explicatione Chald.: *applicabitis vos cultui meo, non fornicabimini neque famulabimini idolis, ego quoque misertus sum vestri*, et Boeckelii: „dann will auch ich der Deine seyn." Praeterea haec posteriora vatis nostri verba, verbis 1, 9. quamquam contrario sensu simillima, praeter omnem dubitationem vatem voluisse, ut h. l. de nullo alio matrimonio cogitetur quam de eo, quod c. 1. pinxerat, luculentissime monent. cf. introd. pag. 119.

4. Nunc transit propheta ad translationem suorum fatorum ad fata Israelitica. Quemadmodum uxori tempus explorationis proposuerat, ita populo idem imminebat. De quo sermo sit, status imperii Israelitici et omnes poeticae descriptiones horum trium capitum docent. Israelitae tumultibus, bellis civilibus et contentione principum ita ad incitas erant redacti, ut paene sibi desperarent. Ultima stirps regiae familiae Iehu interitura erat, cf. 2 Reg. 10, 30., duces contentionis studiosissimi non publicam salutem sed suam modo avaritiam curabant. Iis igitur fides non habenda erat. Sacrificia legitima evanuerant iam inde a temporibus Ierobeami, ubi templum Hierosolymitanum deseruerant, in quo

solo sacrificia facienda erant. Iis substitutae erant statuae et arae, quibus victimas mactabant et suffita incendebant. Eodem modo illa magnifica tunica sacerdotum Ephod, cum Urim et Thummim oracula edentibus, relicta erat Hierosolymae, quibus destituti oracula suorum penatum consulebant. Tempus instabat, quo et horum, et statuarum, et falsorum sacrificiorum vanitatem intellecturi essent et missa illa insana fiducia daemoniacarum artium consuetudinumque ancipites haesituri essent, quid facerent. Talis ambiguitas et anxietas de propria sorte est revera tempus explorationis, quae convenit illi explorationi mulieris. Observanda est in his elegantissima oppositio earum rerum, quibus vere destituti erant et earum, quas quidem adhuc habebant, verum abiecta fiducia aeque tractaturi erant ac si iis non essent: *rex — principes, sacrificia — idola, Ephod — oracula penatum.* — Diversa est sententia eorum, qui omnia ad exilium Assyriacum referunt. Verum, ut id taceam, nos hucusque nondum illius exilii vestigia reperire, verba ipsa huic interpretationi repugnant. Ut deessent legitima sacrificia carerentque Ephodo, tamen non in exilium abeundum erat. His iam inde a Ierobeamo I. orbati erant. Quo autem abierunt, non defuerunt iis idola et penates, quin in ipsam omnis superstitionis patriam venerunt. Melius pii interpretes statuerunt, qui de desiderio evangelii tempus illud explorationis explicaverunt, quamquam vates nondum de eo cogitaverit. Sunt sensus praesentis status calamitosi et praesagia futurorum feliciorum temporum, quae a vate de reditu suorum post interitum familiae Iehu ad familiam Davidis Hierosolymae regnantem frustra exspectata, tandem longe alio modo piis Iudaeis contingebant, cum regnum spirituale Davidis, quod Christianis Dei est, per Iesum Christum institueretur. Iudaei interpretes huic loco innituntur miseram suam dispersionem inter gentes sentientes et adhuc adventum Messiae praestolantes et ipse Hieronymus eum explicat de abiectione Iudaeorum deque insigni eorum conversione, *qui hordeo pascantur, et sedeant contracti quia cum Deo stare non potuerint.*

יָמִים רַבִּים respiciunt ad illos mulieri statutos dies. Iam anxii et ancipites erant Israelitae, tempus poenitentiae eorum ob commissa flagitia advenerat, nondum autem completum erat, יָמִים רַבִּים יֵשְׁבוּ *sedebunt adhuc multum temporis:* certe donec omnes in versu descriptos explorationis gradus perfecissent. אֵין מֶלֶךְ. Iam interregnum vires reipublicae consumserat bellis civilibus. *Nullus iis rex erat.* Restabat quidem abnepos regis Iehu Sacharias. Verum eo mortuo successio in domo Iehu finem nactura erat, neque spes aderat alium regem a Deo in thronum Ierobeami suffectum iri: quod probe sciebant vates, quippe qui soli divinorum mandatorum interpretes essent. Nec quisquam posteriorum regnum usurpantium a Deo vocatus est. Omnes inter flagitia et caedes ad solium regium adscenderunt. Cum autem Sacharias ipse, postquam imperio potitus erat, tantum anni dimidium viveret: apparet primum explorationis statum iam cum interregno initium cepisse, et postea exceptis sex mensibus Sachariae serie continua duravisse. Eodem modo Israelitarum querelae commemorantur אֵין מֶלֶךְ לָנוּ 10, 3., cum regem falso modo sic dictum habeant, et causa adferatur cur non vere rex sit: לֹא יָרֵאנוּ אֶת־יְהוָה וְהַמֶּלֶךְ מַה־יַּעֲשֶׂה לָּנוּ: *rex, quem habemus, nil nobis prodesse potest, quoniam adversante Deo eum elegimus.* אֵין שָׂר: *nullus dux.* Erat quidem magnus demagogorum numerus, sed ne unus quidem, qui reliquias virium et virtutum in populo colligere iisque in Dei atque nationis honorem uti et potuisset, et voluisset. Ludebant populum, dum sibi bella gerebant caedesque committebant, non autem populo consulebant. אֵין זֶבַח: *nullum sacrificium.* Sacrificia, quae deastris offerebantur, eo nomine non erant appellanda. Genti Iacobiticae iam ante exstructionem templi unum modo erat sacrificium idque ad arcam foederis et in tabernaculo sancto offerendum Lev. 17, 3. 4. Deut. 12, 13. 14. 14, 23. Templo aedificato expressis verbis hunc unum locum sacrificiorum offerendorum Deus constituerat, vid. 2 Chron. 7, 12. *istumque locum mihi sacrificii domicilium delegi.* Quod Dei mandatum ab omnibus religiosis Iudaeis

tam pia mente observatum est, ut sacrificia omittere, quam illegitima offerre mallent, v. Lund. Iüd. Heiligthümer p. 555 al. Itaque iam inde a temporibus Ierobeami I. exules Israelitae ex urbe sacra sacrificiis vere sic dictis et Deo placentibus carebant. Eorum loco florebant quidem tempore Hoseae illegitima sacrificia, quae a Ierobeamo instituta in aris et lucis offerebantur. Habebant pro templo Hierosolymitano מַצֵּבוֹת: *idola* 2 Reg. 10, 26. 18, 4. et *aras* Exod. 24, 4., ubi suo more sacra faciebant. Verum vates pio animo praevidit tempora, ubi cives fastidio illius cultus impii, qui nec singulorum, nec reipublicae salutem restitueret, caperentur. Hinc novus explorationis gradus: אֵין מַצֵּבָה. אֵין אֵפוֹד *Ephod* erat amictus splendidissimus et sacerdotalis, quo pontifices maximi intrantes in sanctum sanctorum et praestantissimam partem religiosi cultus administrantes vestiti erant Exod. 28, 6. Huic pontificio indumento infixum erat pectorale, אוּרִים וְתֻמִּים quo oracula divina a pontifice e sancto sanctorum petita legebantur, vid. Num. 27, 21. cf. Lund. l. l. III, 5. p. 423. Ephodo destituti non sacerdotio tantum carebant, verum et omni Iehovam consultandi facultate. Defectus autem Ephodi non exspectandus erat, sed inde a temporibus Ierobeami I. iam locum habuerat. Quippe qui, derelicto templo Hierosolymitano et omnibus sacris ad eum pertinentibus, decem tribus re sacerrima nulla arte compensanda privaverit. Legitur quidem Iud. 8, 27. 17, 5. quosdam falsa Ephoda sibi confecisse, nec dubium est Ierobeamum in instituendo cultu superstitioso illum amictum sacerdotalem imitatum esse. Verum eiusmodi figmenta pio postero Iacobi satisfacere non poterant. At Ephodo eiusque oraculo substituerant Israelitae aliud quid, nimirum תְּרָפִים: *simulacra domestica*, *penates* Gen. 31, 19. 30. Iud. 17, 4. 18, 14. 1 Sam. 19, 13., quibus ad petenda oracula utebantur Ez. 21, 26. Zach. 10, 1. Quin et his tandem privandi erant, actu aliquo si non vehementi, voluntario tamen, ut mulier sponte abiicit amores illicitos, intellecturi nec veritatem nec salutem ex iis esse expetendam, cf. 9, 7. Ita autem postrema pars explorationis erat subeunda.

Notanda est varians explicatio LXX. et Hieronymi, Aquilae et antiquissimorum Graecorum interpretum, qui omnes מַצֵּבָה et תְּרָפִים pro *aris* et *instrumentis sacerdotalis habitus* accipiunt. LXX. illud θυσιαστήριον, hoc δήλους: *manifestationes*, i. e. Urim et Thummim, vertunt, Hieron. quidem תְּרָפִים propr. appellari μορφώματα i. e. *figuras et simulacra* h. l. autem *dici posse Cherubim et Seraphim vel alia, quae ad templi ornamenta fieri iussa sint*, concedit, verum LXX. et Aquilam, qui vertit: φωτισμούς, sequi mavult ita, ut rem sic intelligat: *in pectore et corde pontificis* ἀλήθειαν καὶ φωτισμούς, i. e. *veritatem esse debere et doctrinam, ut non solum sciat rectum, sed quod noverit possit ore referre.* Multi recentiorum hos secuti sunt. Verum eorum explicatio et admodum voluntaria, et verbis et sensui contraria videtur. Ut enim similitudo inter mulierem et populum explorandum maneret, quemadmodum illa et marito, et amatoribus per tempus orbata, sic gens non tantum a vero, sed etiam a superstitioso Dei cultu derelicta fingenda erat. Huc pertinet varians lectio apud de Rossium pro מַצֵּבָה, מִנְחָה: i. e. vel *quaevis oblatio*, vel speciatim fortasse *certum sacrificiorum genus* Lev. 2, 1., *fertum*, Speisopfer: orta, ut opinor, e studio antiquorum interpretum in toto nostro loco non nisi partes pii cultus Iacobitici inveniendi, ut eo certius haberent praesagium de captivitate Assyriaca.

5. *At populus Israeliticus ex illo tempore explorationis melior et probatus emerget.* יָשֻׁבוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל: *revertentur* omnino ab errore ad rectam viam, hinc *convertentur* cf. 11, 5. LXX. ἐπιστρέψουσιν, cf. 6, 1. וּבִקְשׁוּ אֶת־ יְהוָה אֱלֹהֵיהֶם i. e. *quaerent verum cultum Iehovae* quemadmodum a Mose institutus in urbe regia Hierosolyma celebratur, cum antea dediti fuerint superstitiosae idololatriae. Desiderium quo pii ferebantur ad Deum saepissime in libris V. T. est *desiderium cultus Dei in sancto illo templo*, cf. Ps. 42, 3. 5. 63, 2. 9, 11. 1 Chron. 16, 10. 11, *in quo Deus habitare dicebatur* Exod. 25, 8. Ies. 66, 1. Ps. 74, 2. וְאֵת דָּוִיד מַלְכָּם. His verbis clarius designat, quid 2, 2. voluerit, scil. *ut*

III, 5.
Israelitae simul cum Iudaeis sibi unum regem e familia Davidis constituerent. David maximus regum Iudaicorum tanto honore inter Israelitas erat, quanto Iacobus pater totius gentis. Ut igitur Iacobus יִשְׂרָאֵל pater suae gentis pro gente ipsa e lumbis ipsius orta, ita David princeps omnium regum ab ipso oriundorum appellabatur pro familia ipsius regia Ez. 37, 24. 25. et pro regibus ipsius posteris Ier. 30, 9. Postquam enim per prophetam Nathanem Davidi data erat promissio 2 Sam. 7; 16.: *tibi firmabo domum et regnum, et stabile solium permanebit in sempiternum*, cf. v. 25—29. et 1 Chron. 17, 23—27, extincta ultima regia familia, nimirum Iehu, iis aliquamdiu in solio regio propter causas gravissimas a Deo substituta, pii Israelitae non poterant agnoscere regem et lege constitutum, et benevolentia Dei tectum, nisi e familia Davidis ortum et in solio eius Hierosolymae sedentem. Posteris eius inesse putabant et spiritum atavi, i. e. eius virtutem sapientiamque, et patri factam promissionem. Si igitur vates meliora tempora Israelitis divinabat, non aliunde venire poterant, nisi a rege e familia Davidis orto et Hierosolymae sedente. Ita infelix dissidium Israelitarum et Iudaeorum ut finiretur futurum erat et promissio Davidi facta omni stirpi Iacobiticae salutem latura, cf. Herder Geist der Hebr. Poesie II, 405. Hunc sensum probe intellexerunt interpretes, etsi vario modo de prole Davidis quaerenda statuerent, v. c. esse *Zerubabelem*, ut Grotius, *Messiam Iesum Christum*, ut Lutherus. Alii ut omnes Hebraei omnia ad futurum tempus deferunt, et *ad Messiam adhuc venturum, omnes Iacobi posteros reconciliaturum.* Quibus accessit Hieron. qui quidem regem illum Davidem iam adesse in Iesu Christo, sed tempus accessus ad eum adhuc futurum putavit. *Nam*, inquit, *cum eum viderint filii Israelis, qui a suis fratribus denegatus est, in patris et sua maiestate regnantem, pavebunt et stupebunt ad dominum et ad bonum eius.*

Illo tempore, cum Israelitae venerint ad hanc meliorem Dei cultum observandi et civitati consulendi rationem, iis bene erit: nam *ad Dei favorem propius accedent invenientque salutem.* In verbo וּפָחֲדוּ est elegantissima

metonymia. פחד pr. est *trepidare*. Hinc quemvis animi vehementem affectum indicat, et timoris Ies. 12, 2., et laetitiae Ies. 60, 5. Ier. 33, 9. Hoc nostro loco simul indicat eius effectum: *intima animi commotione vehi ad Deum*, eodem modo quo רגז Ies. 14, 9. Sic Latinorum *trepidare* Liv. 23, 16.: *moxque dum sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa*, cf. Virg. Aen. 9, 114. 12, 403. Horat. Od. II, 4, 23. Ita conversio eorum nec erit ficta, nec hypocritica, invenientque simul *bona a Iova promissa*, i. e טובו. Facit haec vox טוב elegantissimam oppositionem libidinum illicitarum זנונים 1, 2. quibus gens Israelitica dedita erat. Sensus est: *ita restituti in unam nationem, subiecti uni regi e familia Davidis colentes Deum e more patrum in loco eius gloriae*, i. e. *in templo Hierosolymitano pie et integerrime, habebunt Deum propitium et omnibus ab eo promissis donis abundabunt.*

באחרית הימים *in fine dierum illorum* scil. antea designatorum ימים רבים. Nam ה articuli habet vim demonstrativi. Sens.: *ita finis erit illorum temporum explorationis.* Bene monet Rosenmueller e quodam loco Kimchii: *hanc formulam ubicunque indicare tempora Messiae.* Finem enim omnis prophetiae antiqui foederis fuisse Iesum Christum pia mente credimus. Verum significatio etymologica et primaria cuiuscunque dictionis ad Messiam tendentis ut ex oratione et idearum serie scriptoris quaeratur, non omitti debet. Quod autem ad hunc locum attinet, non video, quomodo ex ullo quodam loco vatis nostri demonstrari possit, eum de postremo termino dierum s. de ultima mundi aetate, qua Christus victurus sit, cogitasse. Sunt multi loci Latinorum poetarum fabulosum aevum quasi ultimum rerum finem indicantium. Verum dubito an par ratio sit eorum et praedictionum sacrorum vatum. אחרית ab אחר est: *quod post aliquem s. aliquid est*, hinc: *termini locorum* Ps. 139, 9., *finis* Deut. 11, 22., *posteri* Amos 4, 2. 9, 1., *futurum tempus*, maxime addito verbo ימים Ies. 2, 2. Ier. 23, 20. 48, 47. Mich. 4, 1. Ita etiam Lutherus plerumque vertit: „in der künftigen

II, 5.

Zeit." . Hoc loco, uti in toto nostro capite definitum aliquod tempus voce יָמִים indicatur, אַחֲרִית הַיָּמִים *finem illius temporis* indicari, contextui orationis accommodatissimum est. Quibus placuit saepius occurrentem et vere vulgarem eandemque generalem significationem praeferre, ii verterunt: *tum, in posterioribus temporibus trepidabunt ad Iehovam et ad eius felicitatem.* Sic Eichhorn: „Sie werden sich künftig ehrfurchtsvoll an Iehova und seine Güte halten."

Ut, quae de miraculosa congregatione Iudaeorum ad Christianam religionem ad h. l. confabulati sunt interpretes, brevissimis comprehendam, sufficiant verba Io. Schmidii comment. in Hos. p. 169. *Certum est,* ait, *Iudaeos ante novissimum diem insigniori quam hactenus factum est numero ad Christum conversum iri. Ubi tamen id diligenter observandum:* 1) *talem Iudaeorum conversionem, qualem Chiliastae somniant, sperandam non esse,* 2) *nec talem, qualem exspectant Pontificii, futuram nimirum per praedicationem Eliae et Henochi, nec* 3) *simpliciter universalem omnium omnino Iudaeorum. Ut enim plenitudo gentium* Rom. 11, 25. *non notat singulas et universas gentes et singula earum individua, sed ingentem numerum e gentilium populo, sic etiam per Israelem omnem non figuratur universus populus Iudaicus, sed insignis quaedam Iudaicae gentis multitudo.* 4) *Qualis et quanta praecise futura sit Iudaeorum conversio ante oraculi huius complementum apodictice sciri nequit, quemadmodum Origenes fatetur ad* Rom. 11. *quis iste fuerit omnis Israel, qui salvus, et quae ista plenitudo gentium, unus solus novit Deus et unigenitus eius etc.*

V.

Cap. IV, 1 — 14.

1. Audite effatum Iehovae, vos liberi Israelis! Est enim contentio Iehovae cum incolis huius ter-

rae; propterea quod nulla fides, nulla benevolentia, nulla pietas inter eos reperitur. 2. Tanto plures exsecrationes, mendacia, homicidia, furta et adulteria. Irruunt alter in alterum et caedes ad caedem tangit. Ideo terra luget et languescunt omnes in ea habitatores unâ cum bestiis camporum et avibus aëre volantibus; immo etiam pisces aquarum deficiunt. 4. Verum ubi est, qui eos increpet vel reprehendat? quippe et populus tuus et sacerdos pari contentione contra Iehovam deprehenduntur. 5. Corrues igitur diu noctuque, corruent tecum vates tui, exscindam matrem tuam. 6. Exscindetur populus meus eo, quod sapere non vult. Tu enim, qui omnem sapientiam contemsisti, ita contemtim a me tractaberis, ut dignus non mihi sis qui sacerdotio fungaris, et quoniam legis Dei tui oblitus es, ego quoque liberorum tuorum obliviscar. 7. Prouti aucti sunt a me, ita contra me peccaverunt. Magnificentiam eorum in ignominiam immutabo. 8. Avide ad se rapit populus meus peccata, ad mala facinora animus eius fertur. 9. Plebem aequat sacerdos. Sed in eum quoque immittam poenas actionum eius et facinora eius ei rependam. 10. Arripiant, verum non saturabuntur, libidinibus indulgeant, verum non incolumes evadent, nam Iehovam prorsus non amplius colunt. 11. Venereae libidines, vinum et mustum animum eorum occuparunt. 12. Populus meus lignum suum consulit, ut truncus ei oracula edat. Impetus pravarum libidinum ita eos aberrare fecit, ut amoribus suis satisfaciant subtrahentes se Deo suo. 13. In verticibus montium sacrificia offerunt, accendunt thura in collibus sub ilicibus, populis et therebinthis; nam umbra earum dulcis iis videtur. Idcirco ibi prostituunt se filiae vestrae et nurus

vestrae sacrum matrimonii vinculum violant. 14. Nonne puniturus invehar in filias vestras, quod scortantur et in nurus vestras, quod adulterae sunt? quod illi cum meretricibus se subducunt et cum sacratis prostibulis sacrificia faciunt? At plebs, quae non sapit, stupens ruit.

Sequitur nova pars prophetiarum Hoseae sensu a praecedente plane diversa, sed tempore proxima. Quod antea mulieris effigie Israelitis proposuerat nunc diserte iis inculcat; nominat eorum flagitia et severissime in eos invehitur. Intelligitur ex toto orationis habitu vatem tum certissime persuasum fuisse se esse vocatum a Deo interpretem eius mandatorum, nec amplius opus fuisse, ut plura de vocatione ipsa moneret. Praeterea intelligitur vatem, quo accuratius observaverit suorum civium mores, eo magis iratum fuisse insano populo eoque aegrius animadvertisse eum non ita prope abesse a reditu in melius, ut antea opinatus fuisset. De tempore huius partis vid. introduct. p. 63 sq. Nimirum edita videtur postremis interregni temporibus, postquam Israelitae praeter calamitates bellorum civilium insuper infertilitate et aliis plagis camporum adficiebantur atque Iesaias Amosque vaticinia edere inceperant.

1. In tota hac parte loquitur vates tantum ad Israelitas, cives decem tribuum, quos aggreditur: בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, iisque verbis utitur respectu ad imaginem de matrimonio habito. Priori enim parti orationis nostrae v. 1–5. subest notio imaginis cap. 1—3. exhibitae, nimirum rempublicam Israeliticam esse matrem, cives autem imperii ipsius liberos. שִׁמְעוּ דְבַר־יְהוָה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל: brevius graviusque prooemium illo c. 1, 2., ex quo vates intelligitur docendo et monendo sibi etiamnunc maiorem dictorum suorum fidem, quam prius adscivisse, ut Israelitae crederent, Deo esse ob ipsorum mores indignationem, quam hoc novo carmine iis proponeret. Particula כִּי nota est ubi oratio Dei ad populum initium capiat,

simul quidem causam innuit, cur a Deo monendus sit. רִיב pr. *lis*, h. l. autem potius causa litis scil. *dissensus Dei et populi*, cf. Gen. 13, 7. Pax enim cum Deo desiit, et foedus violatum est, quod Deus cum posteris Iacobi sanxerat Lev. 26. Deut. 28. לַיהוָה i. q. לוֹ, ut postea דַּעַת אֱלֹהִים pro דַּעְתִּי v. 6. יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ: *incolae terrae* scil. *Israeliticae*, cf. 1, 2., i. q. antea בְּנֵי יִשְׂרָאֵל. חֶסֶד quae 2, 21. de Deo erga homines, nunc dicitur de hominibus erga se invicem eadem significatione: *benevolentia*. LXX. ἔλεος. דַּעַת אֱלֹהִים: pr. *cognitio Dei*. LXX. ἐπίγνωσις θεοῦ. Chald.: *nec sunt qui ambulênt in timore Dei*. Grotius: *pietas; nam Hebraei saepe virtutes scientias vocant*. Melius per metonymiam causae pro effectu דַּעַת esse potest: *pietas*. Qui enim vere cognoscit Deum, pius et probus erit, vid. Ier. 9, 23. 22, 16. cf. Ies. 53, 11. Ex his et aliis locis, ubi דַּעַת יְהוָה et יִרְאַת יְהוָה alternis leguntur Ies. 11, 2. Prov. 2, 5., intelligitur hoc nostro verbo non tantum indicari affectionem intellectus, sed animi, qui cognitione vera Dei ad eum reverendum moveatur, ut nostrum *Religion*.

2. Contraria illis virtutibus recensentur flagitia, cf. quae de Israelitarum moribus narrat Amos 2, 6—8. Infinitivi ut substantiva verbalia tractantur. *Eiusmodi infinitivi hoc volunt, quod continui quasi actus semper frequententur*, Schmidt ad h. l. Al. ut LXX. et Hieron. hos infinitivos ad verbum פָּרָצוּ referunt: Illi ἀρὰ καὶ ψεῦδος καὶ φόνος καὶ κλοπὴ καὶ μοιχεία κέχυται ἐπὶ τῆς γῆς. Hieron.: *mendacium, homicidium, furtum et adulterium inundaverunt*. Melius suppletur ad haec et ad substantiva v. 1. usitata ellipsis הָיָה. אָלָה s. אָלָה est radix primitiva, qua nomina Dei אֱלוֹהַּ et אֱלֹהִים orta sunt. Arab. أَلَهَ et أَلَوَ: *obstupescere, imprecari*. Omnino nostra radix pr. significasse videtur: *nomine Dei aliisque sacratis formulis uti*, quod fiebat in iuramentis, exsecrationibus et lamentationibus, unde omnibus his modis occurrit: *iurare* 1 Reg. 8, 31., *exsecrari*

IV, 2. 3.

Iud. 17, 2., *eiulare* 10, 4. Hoc l. quoniam nomini אָמֶת opponitur, et cum כִּחֵשׁ componitur, plerique interpretati sunt: *peierare*, quae interpretatio idoneis documentis comprobari non potest. Verum et usui verbi et orationi magis consentaneum videtur h. l. esse: *exsecrare*. Eodem modo LXX. ἀρὰ et Hieron.: *maledictum*. פָּרָצוּ: Hieron.: *inundaverunt*, *ceu unda eruperunt*, multo simplicius et verae significationi verbi accommodatius vertitur: *irruunt alter in alterum*, cf. Iob. 16, 14. 1 Chron. 15, 13., unde פָּרִיץ: *violentus* Ies. 35, 9. Ps. 17, 4. דָּמִים: pr. *sanguines*, hinc *caedes cruentae*, ut 1, 4. LXX. καὶ αἵματα ἐφ' αἵμασι μίσγουσι. Quae scelerum descriptiones optime illa tempora pingunt, cum inter bella civilia leges silent et ius fasque impune violatur. Ita tempus interregni nobis in memoriam revocant.

3. עַל־כֵּן: *propterea*, scil. *quod poenis tantorum scelerum adficienda est*. הָאָרֶץ, quae h. l., quemadmodum v. 1., est: *terra Israelitica*, תֶּאֱבַל: *luget*. Omnibus his et sequentibus verbis inest poetica descriptio miseriae, quam universa natio sentit. אֻמְלַל Pyl. ab inusitato אָמַל: *languescere*, *arefieri* dicitur de plantis et frugibus. Hinc apparet elegans metaphora utriusque verbi אָבַל et אֻמְלַל, dum illud, de hominibus usitatum, ad terram inanimatam, hoc de rebus inanimatis ad homines, כָּל־יוֹשֵׁב בָּהּ, transfertur. De usu praepositionis בּ in vocibus בְּחַיַּת et בְּעוֹף, ut significet *tam — quam* vid. Glass. Philol. S. p. 584.; cui quidem id repugnare videtur, quod voci בְּעוֹף copula ו annexa est, ex Glassii interpretatione prorsus superflua. Itaque rectius fortasse putatur posita pro עִם: *cum*, vid. Am. 1, 14. cf. Gesen. Lehrgeb. p. 815. אָסַף pariter ac קָבַץ 9, 6. *colligere ad sepulcrum* Ier. 8, 2. 9. 21. Ex eadem significatione dicuntur Ioel 2, 6. פָּנִים קִבְּצוּ פָארוּר: *vultus sepeliunt* i. e. *deponunt nitorem* et Ioel 2, 10. 4, 15. כּוֹכָבִים אָסְפוּ נָגְהָם: *stellae sepeliunt* i. e. *deponunt splendorem*. Hoc l. Niph.: *interire*, *perire*, cf. Ies. 16,

10, 60, 20. Illa animalia וְגַם־דְּגֵי הַיָּם i. e. *una cum piscibus peribunt.* Eichhorn sine dubio אָסַף *colligere ad communem sortem* interpretatus est, ita locum nostrum vertens: „bis zum Fisch im Meere schmachtet alles," scil. ut verbo יֵאָסֵפוּ sententia praecedentis אֻמְלַל repeteretur. Dubito an recte. Ista significatione potius verbum יָסַף occurrit. Hieronymus ita rem capit, ac si terra lugeat abductionem Israelitarum in Assyriam, et *Illyricum,* ait, *Thracias, Macedoniam atque Pannonias probare, cum hominibus,* scil. *Israelitis, et animalia cuncta deficere, quae in usus hominum a creatore prius alebantur.* Quae est magis pia, quam vera explicatio. De abductione Israelitarum multo serius sermo fit. Hoc nostro loco vates de ea nondum cogitavit.

4. Non mirum est talia accidere populo, cum nemo sit, qui eum increpet et emendare studeat. Particula אַךְ est vel asseverantis: *sane,* vel accumulantis: *quin,* v. Glass. Phil. S. p. 400., vel expletiva: *verum* v. Gesen. ad h. v. LXX. bene ὅπως, *siquidem, adeo ut,* v. Wahl in clavi N. T. ad h. v. אִישׁ אַל i. e. *nemo* 2, 12. Parallelum יוֹכַח h. l. explicat verbum יָרֵב: *contentiose invehi, redarguere,* quod posterius de quovis genere contentionis usurpatur, vid. 2, 4. 41. et postea in hoc ipso nostro versu, cum illud הוֹכִיחַ potissimum de actionibus forensibus adhibeatur, v. c. Iob. 5, 17. 6, 25. 19, 5. Pronomen ךָ in וְעַמְּךָ pertinet ad יִשְׂרָאֵל quod quidem vates reticet, verum in mente eum habuisse ex omni orationis serie apparet. Verba autem *populus tuus* illis respondere, quibus versu primo בְּנֵי יִשְׂרָאֵל: appellantur, docet versus 5. ubi de matre sermo est quamquam illud nomen יִשְׂרָאֵל alternis vicibus modo genere masculino modo foeminino adhibeatur. Pertinet hoc ad infirmum usum metaphorae de quo vid. introd. p. 104. Interpretes intelligi putant *populum Hoseae,* quasi Deus his verbis vatem allocutus sit. Verum sequens versus, ubi in secunda persona loqui pergit, et ubi procul dubio de vate minime sermo esse

IV, 4. 5.

potest, huic opinioni contradicit. Omnino est circumscriptio pronominis אַתֶּם scil. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, quod vates ponere debuisset, si accuratus in servando et genere, et numero, et persona subiecti fuisset. Hoc in causis est, cur saepius et inprimis h. l. nimium difficilis sit intellectu. LXX. ὁ λαός μου. וְעַמְּךָ כִּמְרִיבֵי כֹהֵן *populus tuus aeque dissentiens est*, scil. contra Deum, *ac diffidentes sacerdotes*. LXX. ὡς ἀντιλεγόμενος ἱερεύς. Pari modo Syrus et Arabs interpres. Ita sensus simplicissimus, nec opus est, ut confugiamus ad emendationem verborum Aurivillii apud Rosenmuellerum, qui legi vult מְרִיבִי: *mecum contendens*. Vates enim saepius nominibus collectivis in singulari addit pluralem, v. c. v. 6. נִדְמוּ עַמִּי. Hieronymus et Chald. vertunt: *populus contradicit sacerdoti*, eosque plurimi interpretum secuti sunt, v. c. de Wette in vers. h. l.: „denn das Volk rechtet selbst mit dem Priester." Verum, ut taceam ita et supplendam esse ante כֹהֵן praepositionem עִם, quod vim verbis inferat vatique non conveniat, et כ redundare, quae duplex est in uno commate vis, omnis sensus orationis huic explicationi repugnat. Demonstrare enim vates vult: populum impietate erga Deum non dissentire sed consentire cum sacerdotibus illis perperam sic dictis. Id in sequentibus copiosius exponit, additis expressis verbis v. 9. וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן. Itaque oratio sic procedere mihi videtur: *Populus Iudaicus omnibus libidinibus et flagitiis sine ullo adiutore et correctore commissus est, quoniam ii, quibus eum ducere fas esset et copia, sacerdotes ipsi vero Deo adversantur, pari modo ut populus libidinibus deperditi*. Qui significationem particulae כ in hoc commate servare, sed Hieronymi sententiae adhaerere malunt, v. c. Lutherus, Tarnovius etc. recurrunt ad Deut. 17, 9—12. ut sensus sit: *illi sunt quasi ii, quos Moses ob contumaciam erga sacerdotes supplicio afficere decrevit*. Contra Schmidt ad h. l. כ *non est*, ait *simpliciter veritatis nec similitudinis cuiuscunque, sed adaequationis, quod populus tam malus sit, quam sacerdotes*.

5. וְכָשַׁלְתָּ: *corrues, peribis* Ps. 27, 2. Ies. 3, 8. et ap. nostrum 5, 5. 14, 2. In persona secunda, quam

vates s. Deus nunc alloquitur, iterum transitus ad aliud subiectum esse videtur. Proprie idem quod vates v. 4. pronomine ךָ allocutus erat esse debebat, nimirum יִשְׂרָאֵל *universum regnum Israeliticum.* Verum hoc esse nequit, quoniam postea sigillatim designatur אִמְּךָ *mater tua,* quae eadem est Israel, et secundum imaginem capp. 1—3. et secundum v. 1., ubi populus vocatur בְּנֵי יִשְׂרָאֵל. Vates igitur missa matre nunc verba ad liberos facere videtur, quos v. 4. עַמְּךָ vocaverat, ita ut vox ista idem sit atque בָּנֶיךָ s. vel rectius etiam בָּנֶיךָ *tu — populus, quem* בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *appellavi, corrues.* הַיּוֹם — לַיְלָה: *diu noctuque*, omne tempus in universum indicat. Poetica descriptio vehementissimi interitus, qui nullo temporis spatio intermittetur, quamque nemo effugere poterit, quoniam nox ipsa non teget impios, quominus inveniri possint. Boeckel an locus sit dubitat ubi הַיּוֹם significatione *interdiu* legatur. Verum iam Michaelis in favorem huius significationis locum Nehem. 4, 16. attulit. Eichhorn nomina הַיּוֹם et לַיְלָה ita coniungit ut sint: „an einem Tage." Idem V. III. subiectum secundae personae versus nostri *sacerdotem* esse putat: „du Priester wirst daher, und der Prophet mit dir an einem Tage stürzen." Verum ad sacerdotes oratio demum v. 9. dirigitur et prorsus incommode h. l. *mater prophetae* eius patriam indicare posse videtur. Alternis contra leguntur vicibus h. l. et v. 4. verba כֹּהֵן et נָבִיא, non ac si idem sint ad speciem, sed ad genus. Proximum sibi profecto utrumque genus procerum civitatis erat. Utrique enim cura divini cultus et morum castigandorum commissa erat, uterque etiam par sibi erat honore, quo interpretes divinae voluntatis colebantur. Discrimen tantum in eo spectabatur, quod sacerdotum munus a Deo institutum erat, prophetae autem ob singulorum virtutis et ingenii praestantiam a Deo e quacunque tribu populi eligebantur, tum imprimis, cum probitas sacerdotum e tribu Levi magis magisque depravaretur. Porro prophetae quidem non victimas mactabant, verum sacerdotes futura praedicebant, idque non e visionibus, signis et ex-

sultantibus animi affectionibus, ut prophetae, verum ex Urim et Thummim sicuti e singulari divina benevolentia eorum muneri inhaerente, vid. Philo de orat. prin. p. 728. cf. Ioh. 11, 51. Apud nostrum vatem discrimen inter utrumque non anxie premendum est. Sufficit ei utrumque esse falsum doctorem, quorum alter non sacerdotio veri Dei, sed deastrorum fungeretur, alter autem vana hominum excogitata pro Dei mandatis ederet cf. 9, 7.

דָּמִיתִי: LXX. *νυκτὶ ὡμοίωσα τὴν μητέρα σου*, ut sensus sit: *matrem tuam similem feci nocti*, *ut* (secundum Hieronymum) *aeterno noctis silentio* conticesceret, scil. *propter tenebras et moerorem captivitatis.* Simili fere modo Hieronymus, quamquam ex alia significatione verbi דָּמִיתִי: *nocte tacere feci matrem tuam, ut nempe in nocte s. tenebris illius captivitatis omnibus angustiis traderetur, ubi Deus prorsus obliviscetur eius et filiorum eius* (עַמִּי v. 6.). Est enim monente Gesenio in Lex. ad h. v. duplex verbum דָּמָה, unum e dialecto Aramaea quod habet significationem, uti ediderunt LXX., alterum mere Hebraicum, quod est pr. *silere* et significatione coniugationi Piel propria, verum etiam primae non aliena, *silere facere, perdere.* Nos etiam cum plerisque interpretibus hanc significationem retinemus, ita tamen ut vocem לָיְלָה duce accentuatione Hebraica ad priora transferamus et significationem verbi דָּמִיתִי generalem esse statuamus, notione captivitatis Assyriacae non limitatam, *exscindam matrem tuam*, cf. 10, 7. 15. Ies. 6, 5. Ier. 6, 2. 47, 5. אִמֶּךָ. Mirum esset, quid sibi vellet vates, nisi praecessissent v. 1. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל et imago de muliere c. 1-3. Ex utroque autem intelligitur versu 4. בְּנֵי a vate mutatos esse in עָם et cum h. l. sermo sit de matre populi, eam esse matrem filiorum Israelis, i. e. *Israelem ipsam, omne regnum decem tribuum*, quo sensu יִשְׂרָאֵל saepissime genere foeminino apud nostrum ponitur. Hieron.: *mater vocatur populi frequentia et omnis turba nationis Hebraeae, filii autem, vel singuli e populo vel per oppida villasque dispersi.* Chald.: כְּנִשְׁתְּכוֹן *congregationem vestram.*

6. נִדְמוּ eadem significatione, qua v. 5., praeteritum pro futuro et pluralis iuxta nomen collectivum, uti v. 4.: *exscindetur, interibit* עַמִּי qui v. 4. erat עַמְּךָ. LXX. ὡμοιώθη ὁ λαός μου. מִבְּלִי הַדָּעַת *propter defectum sapientiae* i. e. *eo quod sapere non vult.* Eodem modo occurrit Ies. 5, 13. דַּעַת autem omnino est *intellectus, sapientia*, i. q. חָכְמָה Prov. 1, 4. 2, 6. Iob. 36, 12. 42, 3. Accipiunt interpretes de cognitione Dei et pietate, ut v. 1. Verum cum v. 1. aperte addatur אֱלֹהִים quod fieri solet, ubi de illa singulari sapientia sermo est, vid. ad v. 1., h. l. ubi illud adiectum deest, de sapientia in genere ponitur, quod sensui maxime convenit. Defectus enim sapientiae cernebatur in omni agendi et cogitandi modo. Vates ex hoc sapientiae defectu causam petit, cur prorsus abiiciendus sit populus: *quoniam non sapere vis, contemtim te tractabo, ut insipientia tua tractari meretur.* Nec video, cur ex omnibus depravationis Israeliticae speciebus v. 1. notatis unum modo sigillatim exhibuisset, nisi h. l. דַּעַת aliud quid, idque latioris significationis esset, quam modo דַּעַת אֱלֹהִים. Putarunt interpretes h. l. novam orationem initium capere, eamque ad sacerdotes directam, v. c. Drusius, Grotius, Rosenmueller. Verum series orationis ita est comparata, ut tota increpatio adhuc de Israelitis in universum valeat. Hoc versu nominantur liberi, v. 7. describuntur divitiae et gloria populi, v. 8. iterum vox עַמִּי occurrit. Increpationem sacerdotum non ante versum nonum quaeramus.

Alloquitur nunc vates subiectum orationis אַתָּה, quod nisi vim inferamus textui, nil aliud esse potest quam יִשְׂרָאֵל, cf. v. 4. Offendit nos quidem saltus semper rediens a liberis ad matrem et a matre ad liberos: offendit praeterea, quod Israel, qui v. 5. mater erat, nunc genere masculino occurrit. Verum non est, quod inde impediamur verborum significationem probe intelligere. Verba אֶשְׁכַּח בָּנֶיךָ irreparabili modo pronomen אַתָּה non ad *liberos* s. *populum* sed ad *parentem* s. *universam civitatem Israeliticam* referri iubent, cf. introd.

IV, 6.
p. 19 et 104. Fortasse dimisit vates matrem et genus foemininum, quoniam ineptum sibi visum fuit de foemina loqui, ubi sermo fit de sacerdotio fungendo. Particula כִּי non facit transitum ad novam orationem sed vere est causalis. Contemtus, quem Deus nationi Israeliticae nuntiat, in eo positus erat, ut eam non dignam haberet, quae munere sacerdotali fungeretur. Sens. verborum est: *prout tu omnem sapientiam contemsisti, contemnam te,* cf. introduct. p. 103. מִכַּהֵן לִי. De etymologia et usu verbi כָּהַן Pi. כִּהֵן vid. Gesen. ad h. v. Saepius occurrit, ut sit: *sacerdotio fungi,* cf. Exod. 28, 41. 40, 13. 15., i. q. מִהְיוֹת כֹּהֵן 1 Reg. 2, 27. Notum enim est ex historia 1 Reg. 12, 31. coll. 2 Chron. 11, 13—16., dissecto per Ierobeamum regno cum rex iste impius cultum vitulorum institueret, Levitas, qui erant in omnibus finibus Israelitarum, relictis suis pomoeriis et possessionibus in Iudam et Hierosolymam se recepisse, Ierobeamum vero sacerdotes sacellanos creavisse ex omni vulgo, non a Levi ortos. Hinc exstitit genus sacerdotum ab institutis Iehovae per Mosen editis et stirpe Num. 3, 6—12. et moribus Lev. 21. plane alienum. Mandatum vero Dei de sanctitate muneris sacerdotii tam acre fuit, ut qui alius e plebe non Levita adveheretur ad munus illud, morte plectendus esset Num. 3, 10. 38. 18, 7. Praeeuntibus his divinis mandatis non poterat Deus non, aeque atque pii eius cultores, abhorrere a tam nefaria institutione Ierobeami, quae propter flagitia sacerdotum postea inde a v. 9. commemoranda abiectissima facta erat. Itaque Iehova hoc nostro loco non tantum significare vult: sacerdotes sibi esse odiosissimos et abominabiles, sed omnino: *omne genus sacerdotum, seque populum Levitis destitutum non dignum habere, qui sacerdotes e vulgo suo edat,* idque non tantum propterea, quoniam isti non de stirpe Levitica orti sint, sed etiam *quoniam omnes insipientissime agant.* cf. oratio simillima 1 Sam. 15, 23. 26. In verbo וְאֶמְאָסְאֵךְ postremum א epentheticum redundat, quod de Rossi in multis codicibus et editionibus abesse vidit. Alii codd. ut idem monet, א redundare notant. Pauci ita legendum esse apposito Kri sua-

dent. LXX. *ὡς οὐκ ἔχων γνῶσιν· ὅτι σὺ ἐπίγνωσιν ἀπώσω, κἀγὼ ἀπώσομαί σε τοῦ μὴ ἱερατεύειν μοι.* Quod Hieron. ita reddit: *quasi non habens scientiam. Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi.* וַתִּשְׁכַּח תּוֹרַת אֱלֹהֶיךָ: *oblitus es legis Iehovae*, i. q. תּוֹרָתִי ex notissimo Hebraismo, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 741. Antiquiores interpretes h. l. innui putant mysterium trinitatis magis pie, quam vere, v. c. Schmidt: *loquitur filius de patre, non quidem exclusive, sed inclusive.* אֶשְׁכַּח est ratio loquendi anthropopathica de Deo, v. c. Ps. 13, 2. 77, 10. cet., indicans: *Deum nullam amplius eorum rationem habiturum esse, verum eos commissurum perniciei, quam ipsi sibi paraverint.* בָּנֶיךָ *filii*, monente Hieronymo *singuli ex populo, non quasi alia sit mater et alii filii.* Non enim modo Iehova deleturus erat regnum Israeliticum sed etiam cives eius puniturus. Videmus vati in dies magis persuasum fuisse de depravatione suorum. Capp. 1 - 3. tantum matrem, regnum Israeliticum increpuerat, cuius perversis institutionibus sublatis speraverat fore, ut rursus cum populo bene actum esset. Nunc autem populum ipsum, liberos Israelis, misericordia divina indignum esse existimat. Interpretes omnia ad verbum ponderantes iustitiam divinam excusare studuerunt, quoniam h. l. non tantum populo viventi sed etiam posteris poenas minatus sit, cum tamen ipse dixerit Ez. 18, 20.: *filius non portabit patris iniquitatem*, cf. 2 Chron. 25, 4. *Est*, aiunt, *discrimen inter poenas temporales et poenas aeternas. Illae inferendae sunt nonnunquam liberis, hae nunquam*, cf. Io. Schmidt ad h. l. Verum sacri scriptores V. T. de tali distinctione nihil sciunt, nec opus est, ut ad eam confugiamus, modo usum nominum illorum *Israel, populus; mater, liberi;* probe teneamus.

7. Nova additur causa divinae erga populum indignationis ex improbo animo eius desumta. Plurimi interpretes huius versus dissertationem iterum de populo valere senserunt. Verum vides, quam inepte poeta egisset si priora de sacerdotibus, haec de plebe locutus esset. Melius ordini orationis consuluit v. c. Kimchi, qui et hunc versum de sacerdotibus intelligit

IV, 7. 8.

ita: *in ore Aaronis patris fuit lex vera: nunc autem, cum multiplicati sint et propagati eius filii in me peccaverunt.* Alii intellexerunt *copiam proventus et divitiarum, quibus sacerdotes e divino decreto aucti fuerint.* Dummodo ne Levitae sacerdotes remansissent Hierosolymae et Israelitarum falsi sacerdotes nullo modo a Deo essent nec numero aucti nec opibus donati. Nos quidem hunc versum non modo de Israelitica plebe intelligimus, sed orationem vatis ad eam nondum intermissam esse contendimus. Duplex est particula similitudinis כְּ—כֵּן *quemadmodum — ita.* רֹב: *multitudo*, cf. 8, 12., hinc *magnitudo, amplitudo*, ut רַב Ies. 19, 20. 63, 1. Ps. 145, 7. רַבָּה Gen. 43, 34. 1 Chron. 4, 10. et Chald. רְבִי Dan. 1, 27. 4, 19., *aucti sunt vel numero vel opibus ac dignitate*, cf. Drus. ad h. l. LXX. *κατὰ τὸ πλῆθος αὐτῶν.* Sensus subsequentium verborum est: *Nil iis proderit eorum magnificentia, peccata eorum efficient, ut in ignominiam immutetur.* Observanda est elegans brevitas in sententia exprimenda. E verbo parallelo כָּבוֹד, quod respondet priori רֹב, apparet utrumque idem valere, nec sermonem esse posse de sacerdotibus, verum de populo. De populo enim כָּבוֹד *splendor, magnificentia*, scil. quam sub Ioaso et Ierobeamo II. recuperaverant, suo loco est, non autem de sacerdotibus. בְּקָלוֹן אָמִיר *in ignominiam mutabo*, formula saepe obvia, cf. Ier. 2, 11. Ps. 106, 20., cf. Rom. 1, 23. Michaelis ad h. l.

8. Qui versum praecedentem ad populum, iidem hunc rursus ad sacerdotes referunt, quamquam nulla notula mutatio subiecti designetur. Verum vides quomodo ita propheta laceretur. Volunt חַטַּאת esse *sacrificia pro populi peccatis prolata*, premunt porro statum constructum huius nominis, quo indicetur genitivus adiectae vocis עַמִּי ita: *vescuntur victimis populi mei.* Verum quod victimas comederint iis non potuit vitio verti, cum manifestum Dei mandatum esset, ut sacerdotes iis vescerentur Lev. 6, 26—29. Legimus ipsum Mosen iis admodum iratum fuisse, qui talibus victimis vesci nollent Lev. 10, 17. 18. Kimchi rem ita expe-

dit, ut vertat: *non sunt sacerdotes, nisi ad comedendas victimas pro peccatis, quas offert populus, non ad docendam legem et rectam viam.* Alii, v. c. Lutherus et Grotius: *ideo non reprehendunt serio peccata, ut plures accipiant victimas, quibus pascantur.* Quae quidem admodum arbitrariae sunt explicationes. Simplicissimum est sic vertere: *populus meus ad se rapit peccata.* Status constructus in voce חַטַּאת pro absoluto חַטָּאת profecto neminem coget עַמִּי vertere *populi mei*, cum usus istius status nec necessario nec semper ad genitivum spectet (vid. Glass. Phil. S. p. 124.), et accentus statum constructum indicans ab Hebraeis in favorem LXX. qui habent: ἁμαρτίας λαοῦ μου φάγονται adhibitus esse potuerit, עַמִּי autem nomen collectivum cum plurali construatur, ut v. 6. אָכַל: *avide ad se rapere* Ps. 27, 2. Ier. 15, 16. Hinc Hieron.: *peccata devorant*, scil. *consentientes sceleribus delinquentium, quia, cum eos peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant et sustollunt.* In verbis וְאֶל־עֲוֹנָם יִשְׂאוּ נַפְשׁוֹ mira est commixtio numeri, quam plures codices lectione נַפְשָׁם explanare studuerunt, vid. de Rossi ad h. l. Hac lectione verba facilius explicantur, verum facilitate non commendatur lectio. Nos ipsi in communi vita dicimus: „sie richteten ihr Herz zu etc. — sie stimmten ihre Seele zu etc." — Ceterum nomen עָוֹן iterum monet חַטַּאת esse peccata, nam parallelismus utriusque commatis huius versus coram oculis positus est. *Ad iniquitatem suam attollunt animos*, i. e. *impietatibus suis delectantur.* Tertia oratio parallela est v. 11. זְנוּת—יִקַּח־לֵב. Ponitur נָשָׂא נֶפֶשׁ de eo *quod aliquis vehementer cupit, ut inde delectetur* Ps. 86, 4. 143, 8. Ier. 22, 27. Eichhorn ingeniosius quam verius: „Von Sünden meines Volkes nähren sich die Priester, nach seinen Missethaten hungern sie."

9. Nunc demum venit vates, resumens ea quae v. 4. ὡς ἐν παρόδῳ monuerat, ad sacerdotes, et sic sanus ordo totius orationis reperitur. *Plebem aequat sacerdos*, et *in flagitiis, quae committunt*, et *in poenis, quas*

IV, 9. 10.

dabunt. De sacerdotibus loqui vatem cum antea de populo verba fecerit, praeter alia singulari quoque numero indicatur, quem in hoc versu adhibet, quamquam brevi post v. 10. pluralem repetat. דְּרָכָיו: *vita, agendi ratio, mores,* quia vitam cum itinere comparare scriptores sacri amant, cf. Ps. 1, 1. 139, 3. 2 Chron. 6, 30. Ies. 35, 15. מַעֲלָלִים a rad. עוֹלֵל: *agere* Iob. 16, 15., de gravibus et ponderosis actionibus Thren. 1, 22. 2, 20., item significat *facta* in utroque sensu, et *bona,* et *mala,* saepius ap. nostr. 5, 4. 7, 2. cet., cf. Zach. 1, 6. Ier. 35, 15. אָשִׁיב לוֹ: *redire faciam in eum* i. e. *ei rependam,* cf. 12, 3., construitur cum accus. Exod. 22, 25. Ioel 4, 4. inde non opus est, ut suppleamus כ, uti Ps. 18, 21. et alibi.

10. וְאָכְלוּ: *arripiant* scil. *peccata,* חַטָּאת vid. v. 8. ad quem nimirum respexit propheta, ita tamen, ut nunc illud verbum metaphorice adhibeatur, quasi de vera comissatione. *A peccatis enim nunquam saturabuntur, verum in dies maiore aviditate torquebuntur.* Tropo remoto: *non bene iis erit, tanquam saturis, verum animus tanto inquietior erit et vi pravarum cupidinum vexatior, quanto plura vitia committent.* Vates h. l. fortasse rursus numero plurali utitur, quoniam nunc una cum sacerdotibus populum oratione carpit. Quae sententia verbis praecedentis versus confirmatur וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן: *plebem aequat sacerdos.* In quo enim uterque sibi similis sit nunc describit vates. Hieron.: *voluptas insatiabilis est, et quanto magis capitur, tanto plus utentibus famem creat.* Alii verba de cibo proprie sic dicto accipiunt, ita: *comedent, sed ob annonae penuriam et maledictionem iis eveniet, ut homines quamlibet voraces nunquam tamen exsatientur,* v. Drusius et Bochart. in Hieroz. 1, 404. cf. Michael. ad h. l. Schmidt ita: *comedebant sacerdotes cum populo et convivabantur Baccho, eum in finem, ut illum propitium haberent, et ipsis omnia daret et semper et ad satietatem et abundantiam. Deus autem comminatur se facturum ut bonis quaesitis non saturentur, sed fame potius et siti premantur.*

IV, 10.

הִזְנוּ Hiphil non multum differre videtur a prima Coniug. LXX. ἐπόρνευσαν. Hieron.: *scortati sunt*, vid. v. 18. 5, 3. Verum aucta quadam significationis vi vertendum esse videtur: *se invicem ad scortationem seducunt, exercent invicem venereas libidines*. וְלֹא יִפְרֹצוּ. De significatione verbi פָּרַץ disceptant interpretes. LXX. οὐ μὴ κατευθύνωσιν, quod Hieron. vertit: *dirigentur*. Idem Hebraica verba vertit: *non cessaverunt*, utrumque sic explicans: *vires in fornicatione deficiunt et fornicandi desiderium non quiescit*. Lutherus: *et non continget iis*. Chald.: *accipient uxores sed non generabunt filios*: quod plerisque recentiorum placuit, minus quidem eleganter ab Eichhornio ita repetitum: „bei Weibern schlafen und sich nicht vermehren." Verum זָנָה tantummodo de voluptatibus venereis et impudicis nusquam de concubitu legitur, qui procreandorum liberorum causa exercetur. Quod si metaphora verbi פָּרַץ *ab aquis per aggerem perrumpentibus* sumta est (cf. Rosenmueller ad h. l.), multo simplicior explicatio mihi videtur: *non erumpent e pernicie, non incolumes evadent*. Legitur enim illa radix *erumpere* „herausbrechen" de alveo Iob. 28, 4., de homine effrenato Iob. 16, 14., de heroe per portas erumpente Mich. 2, 13. Unde הִתְפָּרֵץ: *se vi rumpere*, scil. *a dominis* 1 Sam. 25, 10. De liberis procreandis non occurrit, tantum de augenda sobole: cuius utriusque cogitatio inter illas res venereas existere non poterat. Contra suo loco erat cura, ut voluptatibus gauderent immunes ab omni periculo amittendi honorem et vitam. Haec vates dicere vult: *iis non continget ut erumpant e manibus ultoris* scil. Iehovae. Accedimus ita ad Lutheri sententiam. Sequens particula כִּי hanc interpretationem probare videtur, nam causam indicat cur non incolumes evasuri sint. *Nam Iehovam reliquerunt, qui eos tueri posset, nunc autem ultor scelerum erit*. לִשְׁמֹר pro מִלִּשְׁמֹר acceperunt Hieron.: *in non custodiendo* et LXX. in nonnullis codicibus τοῦ μὴ φυλάξαι: *reliquerunt eum ita ut non amplius eum colere vellent* [19]. Verum no-

---

19) Alii codd. legunt τοῦ φυλάξαι.

tissimus usus est loquendi apud Hebraeos, ut exprimant adverbia duobus verbis iuxta se positis, uti שׁוּב 2, 11., maxime si alterum ponitur in infin. cum praep. ל Iob. 7, 7., et centies occurrens verbum יָסַף Gen. 4, 2. 8, 10. 12. 18, 29. Ita nonnunquam verba componuntur admodum mirabili modo v. c. הִגְדִּיל לַעֲשׂוֹת Ioel 2, 20. 21. Gesen. Lehrgeb. p. 823 cet. Hoc l. *deseruerunt observanda* i. e. *non amplius observarunt* s. *coluerunt eum*, nam שָׁמַר denotat etiam *colere* Ps. 59, 10. Zach. 11, 11. cf. locum apud interpp. saepius laudatum Virgil. Georg. 4, 212. Hac formula fortasse etiam indicatur hypocriticus cultus Israelitarum. Iactabant enim se Iehovam colere festis et sacrificiis suis, sed *iidem ita colendo eum deseruerant*. Hebraei interpp. (cf. ap. Kimchium) coniungunt hunc infinitivum cum sequentibus ita: *deseruerunt dominum ut observarent scortationem*. Kimchi ipse supplet דְּרָכָיו cultum idolorum ab Israelitis adoptatum.

11. Ostendit porro *sacerdotes et populum omnino Deum non curare sed suas libidines*, *nimirum Venereas et Bacchanales*. Scimus enim in quovis genere fuisse libidinosissimum, vid. Exod. 32, 6. Num. 25, 1—9. Opprobrium stupri in cultu Baal Peoris commissi plura loca V. T. v. c. 1 Reg. 15, 11. 12. 2 Reg. 23, 7. 2 Chron. 15, 16. et nostrum ipsum caput v. 13. 14. indicare videntur. cf. introd. p. 32 sq. יִקַּח־לֵב: *cor abstulit* i. e. *animum eorum occupavit*. Al. לֵב pro חָכְמָה sumunt, quemadmodum Prov. 6, 32. 7, 7. 9, 4. 16. cet. ut sit: *abstulit iis omnem vim intelligendi*, cf. Dathius. LXX, ἐδέξατο καρδία λαοῦ μου, ac si initium versus sequentis עַמִּי pertineat adhuc ad praecedentem.

12. Postquam mores sacerdotum et plebis sibi aequos esse commemoravit, in recensione eorum modo illos modo hanc carpit, ita tamen, ut semper ea tangat, quae proxime accedant ad res sacerdotales. Huc pertinet interrogatio oraculorum. Secundum legem Iudaicam summi sacerdotes ex Urim et Thummim oracula petebant, vid. 3, 4. Plebs Israelitica per falsos suos

doctores decepta *lignum consulit.* E ligno enim conficiebantur idola domestica quae תְּרָפִים vocabantur, cf. Ies. 40, 20. 44, 13—17. Ier. 10, 3. Ab his oracula petebant, 3, 4. Quod autem vates lignum ponit pro idolis, id consulto fit, ut turpitudinem idololatriae ita significet, cf. Schmidt ad h. l. Alii v. c. Drusius de illa Graecorum divinatione rem intelligunt, quae ξυλομαντεία vocabatur et e fragmentis ligni fiebat in Illyrico. Verum de hoc superstitionis genere nihil praeterea occurrit in libris sacris illius aetatis. LXX. ἐν συμβόλοις ἐπηρώτων i. e. *oracula petunt in auguriis s. ominibus.* שָׁאַל cum praep. ב est frequens formula de oraculis petendis, cf. Num. 27, 21. Iud. 1, 1. 18, 5.

וּמַקְלוֹ יַגִּיד לוֹ: *ut baculus eius ei futura designet.* Est aliud genus divinationis, quod apud Graecos ῥαβδομαντεία vocatum est, ubi baculi vario modo tractabantur et iaciebantur, ut omen inde existeret, vid. eundem Drusium. Alii *de lituo augurum, pedo pastorali simili* intelligunt, qui quidem tantum apud Romanos in usu erat, v. Cicero de divin. I, 30, 17. Michaelis ad h. l. Alii putant fuisse *quoddam genus Theraphim, ubi erant capita humana vel aliae artificiosae imagunculae super baculis erectae*, v. Schmidt ad h. l. Drusius adfert locum Festi, ubi: *delubrum*, inquit, *dicebant fustem delibratum* i. e. *decorticatum, quem venerabantur pro Deo.* Quae ad simplicissimam huius loci interpretationem nos ducunt. Cum enim in aliis V. T. locis nihil occurrat de oraculis e baculis petitis sed hoc nostro loce מַקֵּל in parallelismo cum עֵץ ponatur, cf. v. 7. 8. cet., baculus fere idem esse videtur quod lignum, nimirum *idolum e fuste s. ramo arboris sculptum*, utrumque autem tantum differre ratione magnitudinis. *Lignum* autem et *baculum* non indicare *eum oracula interrogandi modum, ubi quodlibet lignum et quilibet baculus ad hunc usum aptari potuerit*, quemadmodum in Xylomantia et in Rhabdomantia fiebat, apparet etiam ex adiecto pronomine וֹ in utroque nomine; indicat enim suum quemque habuisse עֵץ et מַקֵּל quemadmodnm Theraphim 3, 4. נָגַד: in universum *indicare, responsum dare*, adhibetur inprimis de signifi-

IV, 12.
catione rerum ignotarum 1 Sam. 9, 6. 1 Reg. 10, 3. Ies. 41, 26. 43, 9.

רוּחַ זְנוּנִים uti 5, 4. *motus animi ad idololatriam impellens.* Bene Liveleius: *vehemens*, inquit, *libidinis fervor et affectus ita nominatur. Hebraei enim spiritus vocant animi concitati motus, quos Cicero affectiones, affectus, impetus, commotiones et perturbationes animi vocare solet. Hinc spiritus zelotypiae Num. 5, 14., mendacii 1 Reg. 22, 23., vertiginis s. perversitatum Ies. 19, 14., soporis ibid. 29, 10., impuritatis Zach. 13, 2.* Verum, quod ad originem verbi attinet, ipsi non est consentiendum addenti: *vocantur spiritus, quia a malo spiritu proficiscuntur.* Occurrit enim bono sensu spiritus *iustitiae* Ies. 28, 6., *sapientiae* Deut. 34, 9., *intelligentiae et consilii* Ies. 11, 2. Nec unquam in scriptoribus sacris V. T. occurrit רוּחַ eo sensu, ut aliquod numen excelsioris ordinis praeter Deum designet. Pro iis alia nomina, potissimum אֱלֹהִים et מַלְאָךְ leguntur; vid. ad 12, 4. 5. רוּחַ contra, propr. *flatus* s. *ventus* s. *halitus*, in omnibus iis locis, ubi metaphorice s. derivative ponitur, indicat vel *vim et affectionem vitalem* Gen. 6, 17. Iud. 15, 19. 1 Sam. 30, 12. Ez. 37, 5., vel *spiritualem* Gen. 41, 8. Num. 27, 18. Eccl. 3, 21. et omnes loci supra laudati, vel *divinam* quae et in hominibus et in omni natura operatur Ps. 51, 13. 139, 7. 143, 10. Ies. 34, 16. 63, 10. 11. Hinc factum est, ut notio ista idealis, abstractum, postea ab Hebraeis philosophantibus in concretum transponeretur, et quae de vi non conspicua et spirituali dicta essent, de personis s. subiectis spiritualibus acciperentur, pariter ac דָּבָר 1, 1. Nos quidem subsistentes in ideali quidem sed metaphorica vocis significatione proxime sensui vatis accedere putamus vertendo: *impetus pravarum libidinum.* הִתְעָה: *errare fecit*, scil. *eos.* Pronomen subintelligendum esse contextus docet, ut 2, 7. De studio interpretum codices inveniendi, qui legant הִתְעָם vid. Rosenmueller ad h. l. Est elegans usus verbi nostri, quoniam mulier errat e toro in illicitos amores. וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם imago scortatus, translata ad idololatriam. Hieron.: *fornicati sunt a Deo suo.* LXX. ἀπὸ τοῦ θεοῦ αὐτῶν. תַּחַת

indicat modum, quo mulier cum viro coniuncta est. Est enim mulieris viro subiici eique obtemperantiam praestare, cf. ὕπανδρος γυνὴ Rom. 7, 2. Mulier vero infidelis denegat marito obedientiam et subducit se eius auctoritati. Hinc מִתַּחַת ex usu illo Hebraico ubi praepositionibus quamlibet appropinquationem significantibus adiecta altera praepositione מִן contraria significatio infertur (cf. ad 2, 5.): *subtrahentes se Deo suo*, cf. Exod. 6, 6. Boeckel: „dass treulos sie von ihrem Gotte weichen." Alio sensu Eichhorn: „sie buhlen unter ihren Göttern."

13. Designat vates illecebras, quibus impii sacerdotes plebem ad idololatriam trahant. Instituunt enim solennia sacra in iis locis, ubi libido maxime accendatur et ubi libidinibus venereis facillime satisfieri possit. Contextus docet in hoc quoque versu alternis, et de sacerdotibus, et de filiabus Israelitarum, parte plebis diserte nominata, sermonem esse. יְזַבֵּחוּ *sacrificia offerunt*. Officium sacrificia offerendi sacerdotibus erat, et ex institutione Dei, et ex usu omnium gentium, cf. Lund. iüd. Heiligth. l. III. c. 36. et 37. עַל־רָאשֵׁי הֶהָרִים. *In verticibus montium* et in collibus, qui saepius comprehenduntur nomine בָּמוֹת, idola colebantur inde ab antiquissimis Iudaeorum temporibus, unde Moses iam Lev. 26, 30. in hanc superstitionem invehitur. Usus sacer locorum excelsorum barbaris nationibus, quibuscum in commercium venerant, maxime familiaris erat Num. 22, 41. 33, 52. Inhaesit Israelitis et Iudaeis temporibus regum 1 Reg. 3, 3. 4. 2 Reg. 17, 9—12. 23, 5. Quin et ipsi pii cultores Iehovae in montibus sacra fecerunt, v. c. Samuel 1 Sam. 9, 12-19. et templum Salomonis in monte Sion exstructum est. Profecto situs montium aptissimus est efferendis animis et excitandae pietati erga Deum, cuius magnificentissima opera in montibus coram spectantium oculis posita sunt. Verum illi montes et colles populo occasionem praebuerunt varios eosque nefarios modos superstitionis cultui adaptandi. Quod Moses cavere voluit legem edendo: ne Iudaeorum sacra solennia in quocunque loco plebi iucundo, sed in eo solo loco, ubi tabernaculum sanctum esset, celebraren-

IV, 13. 14.

tur Lev. 17, 3. 4. Deut. 12, 13. 14. 14, 23. Eadem de causa serius exstructo templo Hierosolymitano institutum est, ut solummodo in eo templo sacrificia fieri fas esset 2 Chron. 7, 12. Vates autem monet illos montes et colles a sacerdotibus et a plebe non propterea adamari, quod ibi sensus pietatis vel invitis nascantur, sed כִּי־טוֹב צִלָּהּ. Ad augendam amoenitatem faciebant arbores, אַלּוֹן: *quercus*, לִבְנֶה: *styrax* s. *populus alba*, אֵלָה: *terebinthus*, al. *ulmus*. LXX. ὑποκάτω δρυὸς καὶ λεύκης, καὶ δένδρου. Hieron.: *subter quercum* et *populum* et *terebinthum*. Plura de istis arboribus et de auctoribus eas uberius recensentibus vid. ap. Rosenmuellerum ad h. l. Ceterum video interpretes, quotquot eorum mihi innotuerunt, non multum differre in generibus arborum. צִלָּהּ umbra unius pro umbra omnium arborum commemoratur. De consuetudine Israelitarum sub umbra arborum frondosa impium suum deastrorum cultum exercendi cf. Ies. 57, 5. Ier. 2, 20. 3, 6.

עַל כֵּן i. e. *propterea quod iis in illis locis bene est*. Dulcis amoenitas illorum locorum animum ad omnes libidines fert. Non video, cur interpretes sensum prope adiacentem altius quaesiverint, v. c. Drusius secundum Kimchium: *nam absentia patris familias occasionem fert filiabus scortandi custode earum remoto*. Dathe: *secundum illud pessimum vestrum exemplum, quod filiae et nurus vestrae vident, eadem scelera committunt*. Alii in verbis nostris mores illius aevi pessimos pingentibus recensionem poenarum invenerunt, v. c. Hieron.: *scil. ut patres propter scelera sua impudicitiâ filiarum punirentur*. כַּלּוֹת sunt vel *sponsae*, v. c. Ier. 2, 32. Ies. 62, 5., vel *nurus* Gen. 38, 24. Ruth. 1, 7. cet. LXX. νύμφαι. Hieron.: *sponsae*. Utracunque sententia praefertur, sensus idem est: *mulieres vestrae dulcedine loci deceptae se prostituunt*. Causam autem, cur praesertim has libidinibus omnes praeeuntes nominet, afferunt sequentia.

14. לֹא אֶפְקוֹד. Interrogative accipiendum est: *nonne puniturus invehar in filias vestras, quod scortantur, et in nurus vestras, quod adulterae sunt?* Ita omnes

difficultates absunt et res est facillima. Futurum Hebraicum suo loco est, praesens tempus cum quadam continuatione designans, ut in omni v. 13. Ad intelligendam autem particulam לֹא non opus est, ut cum Dathio lectionem emendemus repetito ה ex postremo verbo versus 13., ut nempe sit initium nostri versus הֲלֹא, cum saepius nuda particula לֹא interrogative occurrat 2 Sam. 23, 5. 1 Reg. 22, 17. 2 Reg. 5, 26. Ies. 5, 9. cf. Gesen. ad h. v. פָּקַד sequente praep. עַל: *animadvertere in aliquem*, cf. 1, 4. Frustraneum sibi imposuerunt laborem interpretes dum hisce verbis gravissimum divinae indignationis signum atrocissimasque minas infundere voluerunt, cf. Rosenmueller ad h. l. Prae ceteris, quamquam non benevolentia, eminet explicatio eorum, qui Deum per vatem dicere iubent: *ita iratus vobis sum, ut ne dignus quidem vos haberem, qui puniremini. Si enim vos punirem fortasse meliores evaderetis. Verum id caveam. Stat meum consilium: sine misericordia penitus deleminor!* Beatus spiritus benevolentissimi vatis condonet iis iniuriam ipsi factam. Omnis eius argumentatio in quavis linea consilium et votum designat, ut cives carissimi serventur in tantis rerum angustiis. Propterea eos increpat, monet, spem iis aperit, iis consulit. Num quaeso fieri potuit, ut subito omni amoris sensu abiecto tam dire in eos saeviret et Deo tam indigna fervore commotus ediceret? Multo aliter verba sonant in illo loco, ubi ira eius ad summum provecta est fastigium 9, 14 — 17. LXX. ad verbum: *οὐ μὴ ἐπισκέψωμαι ἐπὶ τ. θυγ.* rem in suspenso relinquunt, quamquam *οὐ* et *οὐ μὴ* etiam interrogationis loco occurrant, vid. Wahl in clavi N. T. ad utrumque verbum. Hieronymus eandem, quam nos reprehendimus, sententiam secutus vertit: *non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae*, et: *gravis*, addit: *offensa est, postquam peccaveris iram Domini non mereri.* Plura v. ap. Rosenmuell. ad h. l. Eichhorn: „Ich kann nicht eure Töchter strafen, wenn sie buhlen — denn selbst die Priester gehn mit Buhlerinnen auf die Seite etc.“ eodem sensu de Wette. Verum non liquet, cur propterea illas punire Deus non potuerit.

IV, 14. כִּי־הֵם עִם־הַזֹּנוֹת יְפָרֵדוּ. Designat nunc vates accuratius, quid sibi voluerit commemorando prostitutionem filiarum. Ea enim ad cultum religiosum ipsum pertinebat, et propterea *multo* abominabilior erat. Teneamus ante omnia inde a v. 9. sermonem fuisse de flagitiis, quatenus sacerdotes cum plebe pari culpa laborarent, et quatenus inprimis a sacerdotibus alerentur. Sic usus pronominis masculini הֵם neminem offendet. Respicit nimirum ad sacerdotes. Positum esse cum emphatica quadam digitorum monstratione apparet, quam vates amat, v. c. 9, 10. 10, 2. 11, 3. 10.; nam alias plane superfluum fuisset, sufficeret posuisse יְפָרֵדוּ. Non aliud praecedit subiectum, quod respici potuisse videatur, et omnis dubitatio eximitur nostrae sententiae, cum postea vates dicat, *eos* הֵם *cum sacris prostibulis sacrificia fecisse*, quod nullius nisi sacerdotis officium erat. Michaelis intelligi vult *Israelitas*, Dathe *patres*, alii cum contemtione locutum esse vatem contendunt, ac si eos, quos in mente habuerit, alloquio non dignaretur. הַזֹּנוֹת וְהַקְּדֵשׁוֹת sunt eaedem, quae antea כַּלּוֹתֵיכֶם et בְּנוֹתֵיכֶם vocatae sunt, ita tamen ut nunc modus et causa designetur, cur se prostituerint, nimirum in honorem deastrorum, Baalis Peor et Astaroth, quorum ille a Midianitis, haec a Phoenicibus ad Israelitas pervenerat 1 Sam. 7, 4. 12, 10. 1 Reg. 11, 5. 33. Utriusque cultus et obscoenus et libidinosus erat, cf. Lev. 19, 29. Num. 25, 1—8. Lund. iüd. Heiligthümer 1, 33. p. 178. Utrique ministrabant קְדֵשִׁים et קְדֵשׁוֹת Selden de Dis Syris Synt. I, 160. et II, 237. Puellae et pueri in illorum deastrorum cultu impudicissime se tractari patiebantur Herodot. 1, 199., in templis eorum concubitum exercebant et mercedem inde sumtam deastris dicabant Deut. 23, 18., quin postea apud Corinthios in sacris Veneris, quae ex Syriacis Astartes ad Graecos transierant, plusquam mille puellas libidinibus prostitutas fuisse narrat Strabo Schol. Aristophan. ad Plut. v. 149. cf. Introd. p. 33. 34. et Clericus ad Exod. 34, 15. His *sacris prostibulis* sacerdotes, qui in fanis illis impuris sacro munere fungebantur, abusos fuisse, eosque fortasse tur-

pissimo modo initiasse e nostro loco intelligitur. יְפָרֵדוּ. Coniugatio Piel a rad. פָּרַד: *dividere, separare*, habet significationem reciprocam: *separare se.* Michaelis ad h. l.: *subducunt se*, ait, *consortio aliorum, ut meretricibus se coniungant. Piel cf. Gen. 13, 9. 11, 14. Prov. 16, 28. Ruth. 1, 17. Radix Arab. in* II. *coniugatione, quae Hebr. Piel respondet,* فرد *significat: secessit, separavit se a ceteris, peculiariter devotionis ergo, ut scil. faciebant impurissimi illi homines. At Schmidt de partitione sacrificiorum: cum scortis dividunt carnes victimarum post factas proficias, cf.* 1 *Sam.* 1, 4. 5. 9. 22. *cet. Priori tamen sententiae usus verbi in Niphal et Hiph. magis favere videtur, quo integrorum separationem et secessum potius denotat.* Cum his igitur prostibulis *subducunt se* et *sacra faciunt, ut*, addit idem Michaelis: *harum impuris amplexibus illi se libidinem in honorem profani numinis exercere testatum darent.* LXX. ὅτι αὐτοὶ μετὰ τῶν πορνῶν συνεφύροντο καὶ μετὰ τῶν τετελεσμένων ἔθυον. Hieron. in dissert: μετὰ τῶν τετελεσμένων vertit: *cum initiatis et consecratis ad cultum Dei*, ipse autem in versione habet: *cum effoeminatis*, ita ut hoc nomine significentur *exsecti s. contracti, quales olim erant sacerdotes Cybeles, de Gallorum gente.* Verum monet: *sciendum est in praesenti* קְדֵשׁוֹת *esse meretrices*, ἱερεῖς, i. e. *sacerdotes Priapo mancipatas, in aliis vero locis Cadesim legimus, viros exsectos libidine.*

וְעָם nunc ad plebem sigillatim transit, ex quo denuo intelligitur antea de alia quadam specie gentis, scil. de sacerdotibus cogitasse, ad quos pronomen הֵם referendum fuisset. לֹא־יָבִין scil. אֲשֶׁר לֹא, ex noto Hebraismo Gesen. Lehrgeb. p. 747. populus *qui non sapit*, cf. v. 6., i. e. *qui non intelligit, quam flagitiosa sint haec omnia, sed tantum stupet, fortasse delectatur.* יִלָּבֵט: LXX. συνεπλέκετο μετὰ πόρνης, *complicatur meretricibus*, unde intelligitur eos priora verba sequentis versus anticipasse. Syrus: *amplexus est*, Chald.: *collidetur, adfligetur*, Hieron.: *vapulabit.* Semel praeterea tantum in V. T. occurrit Prov. 10, 8. 10. Verbum

est, ut Michaelis monet, latissimi usus quod Ebn Esra e lingua Ismaelitica repetit, ut indicet: *velut perplexum, qui nescit quod agat*, quod respondet Arabico لَبَصَ *prosternere*, cf. Gesen. ad h. v. Hinc nostrum Niphal eleganti ratione abhibitum videtur, ut simul *stuporem, quo prosternitur* et *interitum, in quem praeceps ruit*, indicet. Sed in versione sic exhibuimus: *stupens ruit*, quae optime convenire videntur praecedentibus לֹא יָבִין, *ruit* nempe *in paria scelera et in perniciem*. Fere sic Eichhorn: „das gedankenlose Volk wird durch sie hingerissen."

VI.

Cap. IV, 15 — V, 9.

15. Licet tu Israel tam ignominiosa perpetras, saltem ne reus fiat Iuda. Ne vos quoque veniatis Gilgalem, neve ascendatis versus Beth-Aven, ut ibi iuretis per Iehovam viventem. 16. Quoniam Israel ut iuvenca refractaria se gerit erga Iehovam, ideo Iehova eam aget velut agnum in regiones amplas. 17. Prorsus adiunxit se Ephraim idolis. — Dimittatur ergo. 18. Segregata sit eorum compotatio, venereas artes invicem exerceant, adament ignominiosa et insana idola, 19. prehendat eos libidinosus impetus alis suis: tandem turpiter a suis sacrificiis decepti peribunt. V, 1. Audite haec sacerdotes, et attendite domus Israel, et Vos a domo regia observate! Iudicium enim Vobis imminet, qui laqueus facti estis Mispae et rete expansum super Taborem. 2. Victimis suis perfidiam profundiorem reddiderunt. Sed iis omnibus

correctionem paravi. 3. Novi enim te Ephraim, nec mihi Israel absconditus est. Turpe egisti Ephraim, pollutus est Israel. 4. Non permittunt eorum scelera, ut revertantur ad Iehovam, nam impetus impudentis idololatriae medios inter eos est, ut Iehovam non cognoscant. 5. Quo Israel superbit, id in os eum criminatur. Israel et Ephraim labentur inter peccata sua. Labetur cum iis ipse Iuda. 6. Tunc quidem cum ovibus et armentis exibunt ad quaerendum Iehovam, verum nusquam eum invenient, quippe qui se ipsis subtraxerit. 7. Fidem Iehovae violarunt, sic quoque filios peregrinos pepererunt, nunc impia eorum festa ipsos cum patria perdent. 8. Clangite buccina Gibeae! Clangite tuba Ramae! Vociferate in Bethaven, ut Tu haec omnia audias Beniamin. 9. *Ephraim desolata erit tempore correctionis.* Verissimum hoc indicavi tribubus Israel.

Postquam vates flagitia populi Israelitici, plebis, sacerdotum foeminarum, pinxerat, orationem ad Iudaeos dirigit. Itaque novam habemus vaticiniorum partem sensu a praecedenti diversam. Hucusque enim ad Israelitas solos verba fecerat, nunc nil curae habet nisi hoc unum: *ne Iudaicae tribus pari modo a Deo deficiant uti Israelitae.* Hanc ob causam monet Iudaeos v. 15., poenas minatur Israelitis ut exemplo sint illis v. 16 — 5, 5., Iudaeis idem exitium annunciat nisi resipiscant 5, 5 — 7., denique tamquam sono buccinae et tubae Iudaeis in aures clamat, ut mores et sortem eius evitent: *Ephraim desolata erit* v. 8. 9. Plura de argumento et tempore istius partis vid. in introductione pag. 62 sq.

15. אִם־זֹנֶה אַתָּה: *si ignominiosam tuam idololatriam exerces;* oratio potius concessiva, quam conditionalis. Sens.: *Quodsi non corrigi, sed peccatis semper deditus esse vis, dimittare,* cf. v. 17. *Sed unum adhuc mihi curae cordique est: ne Iuda tecum peccet et pereat.* Stirpibus Iudaicis adhuc erat templum Hierosolymitanum, erant omnia instituta et instrumenta veri divini cultus, erant reges e familia Davidis, quibus promissio data erat 2 Sam. 7, 6. cf. ad 3, 5., erant Levitae, veri sacerdotes et hucusque a plerisque certe regibus magis servata pietas. Verum iam instabat periculum. Rex Usias magis simulator quam sincerus Dei cultor post mortem Sachariae negligentia sua depravationem gentis in dies augebat. Hinc monitum אַל־יֶאְשַׁם יְהוּדָה: *saltem ne Iuda reus fiat* i. e. *ne in consortium flagitiorum et poenarum veniat!* Hoc enim utrumque innuit verbum אָשַׁם: *peccare* et inde *poenis dignum fieri* Lev. 4, 13. 22. Ies. 24, 6. Alii v. c. Gesenius ad h. v.: *se poena dignum sentire,* quod fere respondet Iarchio: *si fornicatur Israel, non sunt propterea rei filii Iudae, nec ego eos damno, ut dictum erat supra 1, 7., tribus Iudae benigne excipiam.* Verum non de sensu culpae i. e. de poenis avertendis, nec de misericordia Dei erga Iudaeos hic sermo est. Sensus totius versus docet Iudaeos moneri. Nam si in primo commate אַל esset *non,* tunc eadem significatio etiam in sequentibus commatibus esset tenenda, et tum verbis laus inesset, quae omnino 5, 5. repugnat. Hieronymus eundem nobiscum sensum exhibuit: *non delinquat saltem Iuda.* Sed LXX. σὺ δὲ Ἰσραὴλ μὴ ἀγνόει, qua ex lectione, non liquet.

וְאַל־תָּבֹאוּ הַגִּלְגָּל: *nec veniatis Gilgalem.* Nimirum hoc monitum iterum ad Iudaeos pertinet, quamquam mutato numero et persona, quam mutationem saepissime apud nostrum vidimus. Copula ו aut omnino nullius momenti est, aut verba ad idem subiectum directa fieri indicat, de quo antea indirecte s. in tertia persona locutus erat. Praeterea Israelitae ita moneri non poterant. Nondum enim tempus venerat, quo sine Deo et cultu versarentur 3, 4., adhuc omnis eorum

pietas et religio ab illis locis maxime Bethele pendebat, ubi Ierobeam solennem Dei cultum instituerat. Quod si venturum fuisset, abolendus fuisset omnis ille idololatriae apparatus, verum non tam lenibus verbis populus ab eo avocandus. Iudaeis contra aptissime inculcat monitum: *nolite suscipere eam impietatem et idololatriam, quibus Israelitae se dederunt.* Id suo modo metaphorice noster facit pingendo ea loca, quae sedes pravissimae superstitionis essent. Scimus enim e 1 Reg. 12, 28. 29. Ierobeamum, cum 10 tribus a stirpe nationis separaret, oppida Danem et Bethelem altaribus et omnibus ad cultum religiosum necessariis instruxisse, non ad cultum Iehovae, sed ad eum, quem populus inde a temporibus Aegyptiacis adamaverat, qui quidem ex omni reliquorum barbarorum superstitione ab Israelitis degustata, honestissimus et humanissimus fuit, at fortasse propterea iis non satisfecit. Contra rex Ahab a Babyloniis et Phoenicibus cultum Baalis recepit 1 Reg. 16, 32. et inde ab hoc tempore ubique sacella et statuas erectas esse vidimus, quibus diis illis stercoreis thura accenderent victimasque immolarent. Qua institutione loca patriae antiquitus aliquando ad pium cultum initiata potissimum impiis aris dotata sunt v. c. Gilgal, Bethel h. l., Mizpa, Tabor 5, 1., Gibea 5, 8.

Gilgal urbs prope ad Iordanem sita, notissima iam ante regum tempora. Loco enim, ubi Iosua 12 lapides in memoriam mirifici transitus per Iordanem erexerat Ios. 4, 5. 6. 20., ubi primum Pascha in terris Canaaniticis celebratum erat Ios. 5, 11., ubi castra Iosuae cum tabernaculo sancto per longum tempus fixa erant Ios. 10, 6. 15, 45., paullatim urbs excrevit haud exiguae magnitudinis, quae inprimis a Samuele tanti aestimata est, ut saepius Deo ibi sacra faceret 1 Sam. 10, 8. 11, 15. 15, 33., ut tribunal ad ius dicendum constitueret 1 Sam. 7, 16. Sita erat prope fines stirpis Iudae Ios. 15, 7., cuinam autem tribui adscripta fuerit apud Iosuam non legitur, fortasse quoniam tempore sortitionis vix initium factum erat domus in loco monumenti 12 lapidum exstruendae. Id constat in separatione Ierobeamitica transiisse ad regnum 10 tribuum. Commemoratur enim non solum nostro loco et 9, 15.

IV, 15.
12, 12. verum etiam apud Amos. 4, 4. 5. ita ut dubitari non possit eam superstitiosis cultibus Israelitarum sacratam fuisse. Drusius locum citat ex Eusebio de locis Hebraicis, ubi dicitur cecidisse in sortem tribus Iudae; verum Eusebius sine dubio verba Ios. 15, 7. פֹּנֶה אֶל־הַגִּלְגָּל, quae rem admodum ancipitem reddunt, ita intellexit ac si tribus Iuda cum reliquis oppidis urbem quoque Gilgalem sortita fuisset. Hieronymus ad 12, 12. Gilgalem intra fines regni Israelitici sitam esse refert. Ceterum prope abfuit ab Hierosolyma versus Iordanem, quemadmodum Bethel ab eadem urbe versus montes Ephraimicos prope abfuit. — *Bethel* autem per contemtum a nostro vate, qui nomina symbolica amat, בֵּית אָוֶן: *domus vanitatis* s. *iniquitatis* vocata, cf. Am. 5, 5., fere idem initium habuit, quod Gilgal, licet eius origo ad multo antiquiora tempora nimirum Iacobi porrigatur. Erexerat Iacobus in eo loco, ubi Iehova ei visione nocturna apparuerat, lapidem oleo unctum Gen. 28, 18. 19. Posthac lapide in aram mutato loco nomen *Bethel* infixerat, quod nomen postea in oppidum *Lus* huic loco proximum transiit Ios. 18, 13. Bethel eodem honore, quo Gilgal a Samuele insignita est, ut nempe ibi ius diceret 1 Sam. 7, 16. Sorte contigit tribui Beniaminiticae Ios. 18, 22. Verum seriore tempore cum tribu Ephraimitica coniunctam fuisse ex eo apparet, quod in separatione Ierobeamitica ad regnum Israeliticum pervenit. Rex enim iste improbus antiqua gloria huius oppidi abutebatur ad ibi instituenda sacra Aegyptiaca, nimirum Apidis nomine vitulorum in V. T. obvii. Ab Abia rege Iudaeorum capta 2 Chron. 13, 19. sine dubio in numero reliquorum oppidorum Ephraimiticorum fuit, quae Iosaphat praefectis decrevit 2 Chron. 11, 2. Postea receptam esse ab Israelitis, fortasse a rege eorum Ioaso 2 Reg. 14, 12—14. e nostro loco apparet. Diserte enim ita eius mentio fit, ut ad regnum Israelitarum pertinuisse videatur. Quaesiverunt, cur vates alterius oppidi Danis a Ierobeamo simul cum Bethele Israelitis ad sacra facienda designati mentionem non fecerit? Puto propterea, quod Dan in remotissimis septentrionis regionibus prope Libanum et Antilibanum a finibus Iudaeorum ita aberat, ut desiderium eo pere-

grinandi existere non posset. Periculum venit a proximis regionibus, ideo vates ea tantum loca commemoravit, quae in vicinia Iudaici regni essent. Deinde utraque urbs, et Gilgal, et Bethel, loco utriusque cultus, Apidis et Baalium, nominata videtur. Certe 9, 15. inter horrores Baalis Gilgal commemoratur, unde Baali sacra ibi fuisse apparet. Pro Beth-Aven LXX. semper habent οἶκος Ὤν, fortasse quoniam nomen in codice non punctato legerunt און, quod quidem sensus critici eorum laudabile testimonium non exhibet. Am. 5, 5. idem בֵּית לְאָוֶן vertunt: οἶκος ὡς οὐκ ὑπάρχουσα, quasi non iidem Hoseam et Amosum interpretati essent. Ceterum est aliud oppidum Bethaven a Bethele versus orientem situm Ios. 7, 2. 1 Sam. 13, 5., quod quidem ad nos non pertinet.

וְאַל־תִּשָּׁבְעוּ חַי־יְהוָה: *ne iuretis per Iovam viventem.* Probabile est Israelitas idololatriae inhaerentes levibus signis nequitiam occultasse. Huc pertinet iusiurandum. Postquam enim Moses Deut. 6, 13. 10, 20. praeceperat: *Iovam Deum vestrum timitote, ei servitote, ei adhaeretote perque nomen eius iuratote*, se omne praeceptum observasse opinabantur, si modo postremam eius partem probe tenerent. Quae pars legis, neglectis multis aliis, ita colebatur, ut adhuc posterioribus temporibus Israelitae *per Iovam iurantes* s. *Iehovae iurati*, pagani vero *per Deos iurantes* vocarentur, vid. Stäudlin Gesch. der Vorstellungen über die Lehre vom Eide. Monet igitur vates ne Iudaei se decipi patiantur talibus formulis et modis. Opinati enim erant Israelitae se per cultum vitulorum et Baalium Iehovam non deserere sed colere, cf. Schmidt ad h. l. 2, 18. nec non 1 Reg. 18, 21., ubi Elias populum in utramque partem claudicantem reprehendit. Pariter in talem nominis Iehovae abusum invehuntur Ies. 48, 1. Ier. 4, 2. Ez. 20, 39. Zeph. 1, 5. vid. Introd. p. 35 sq. Hieron. in genere rem ita explicat: *nolite per os vestrum nominis mei fieri memoriam, quod idolorum recordatione pollutum est.*

16. כְּפָרָה סֹרֵרָה סָרַר. Ostendit Iudaeis crimen hypocriseos Israeliticae imagine vaccae. *Sicuti iuvenca refractaria Israel impatiens est iugi a Deo sibi impo-*

IV, 16.

siti. Vult quidem a Iova custodiri et beneficiis repleri, verum ei non se subiicit. Fortasse, ut Michaelis monuit, respexit locum parallelum Deut. 32, 15. LXX. ὡς δάμαλις παροιστρῶσα παρώστρησεν, quod Hieron. vertit: *oestro s. asilo percussa est, quem vulgo tabanum vocant.* Dathe praevio Grotio prophetam alludere putat ad imagines vitulorum: *Deum vitulis assimilaverunt et ipsi tales sunt, nempe quoad contumaciam.* Verum haec explicatio debili admodum fundamento nititur. Nimirum usus fuisset, si hanc imaginem in mente habuisset, voce עֶגְלָה, ut 8, 5. 10, 11. Ex imagine agni vati novum oritur vaticinium: עַתָּה יִרְעֵם יְהוָה כְּכֶבֶשׂ בַּמֶּרְחָב scil. *expellet eos sicut agnos ex ovili suo, e securo domicilio, et errare eos faciet in latis regionibus, ubi periculis succumbent praedaque inimicorum, ut agni ferarum, fient.* Ita רָעָה active et passive occurrit. Passive: *agi in vasta loca, ut incerti vagentur* Num. 14, 33., h. l. active: *agere e securis septis in campos incertos et periculosos.* מֶרְחָב quamquam plerumque de statu liberationis adhibeatur Ps. 18, 20. 31, 9., cum alias notionem universalem habeat v. c. Hab. 1, 6., in malam etiam partem sumi potest. Elegans verbum: indicat enim simul *liberationem a iugo domini,* atque *periculosam conditionem agni in lato campo pascentis, impetui ferarum succubituri.* Num autem vates de aliquo instante periculo cogitaverit necne, effici non potest. Verba sunt tropica, quibus fortasse vates nihil aliud significare voluit nisi hoc: *hucusque sub tutela favoris mei securi degebant, nunc vero dimittantur et sibi ipsi commissi videant, quomodo perniciem refugiant.* Ita idem fere est ac sequens הַנַּח־לוֹ v. 17., certe verbis per se spectatis nulla alia subest sententia. Ceterum negari non potest exilium Assyriacum ita composuisse res Israelitarum, ut e blandis sedibus patriis abigerentur in amplissimas regiones utque in hoc loco de illa tristissima sorte vaticinium quaerenti id facile inveniri posset. Quod quaerentes invenerunt Hieronymus, pariter ac multi antiquiorum patrum multique recentiorum. Alii contra rem in bonam partem accipiunt, vel ita, ut in priori huius versus membro conditio insit: *si non fuis-*

set Israel rebellis, Iehova eum pasceret ubertate omnium bonorum, v. c. Kimchi, vel interrogative: *nonne pavit eum Deus ceu ovem?* v. c. Abarbenel ap. Rosenm., vel ut Drusius: *refractarius est nunc iam, cum eum Deus tam benigne habeat, iuxta proverbium: satietas ferociam parit.* Respiciunt etiam ad insignem illam liberationem Dei, qua per Ierobeamum II. Israelitas in libertatem vindicavit iisque omnia, quae prius amiserant, restituit: *auget enim*, addit Drusius, *crimen circumstantia temporis.*

17. חֲבוּר עֲצַבִּים אֶפְרָיִם. Pro *Israele* iam ponere incipit *Ephraimum*, ita ut hoc nomen regnum Israeliticum gentemque Israeliticam indicet, et quoniam Ephraim primaria tribus istius regni metropolin Samariam habebat, et quoniam primus rex eorum Ierobeam hac stirpe ortus erat 1 Reg. 11, 26. Sic occurrit saepius apud prophetas, v. c. Ies. 7, 5. 9. Ier. 31, 9. 20. חָבַר: *coniunxit, sociavit*, unde חָבוּר: *sociatus*, dicitur et de coniugibus Mal. 2, 14., et de confoederatis Gen. 14, 3. 2 Chron. 20, 35. 37. LXX. μέτοχος, Hieron.: *particeps.* עֲצַבִּים de idolis saepius occurrit, v. c. 2 Sam. 5, 21. Mich. 1, 7. Ier. 44, 19. הַנַּח לוֹ imp. Hiph. pro הַנִּיחָה: *sine eum* i. e. *dimitte eum, fac eum irruere in perniciem, quam idola ei parant, ex quo a Iehovae cultu recessit:* idem indicat, quod in praecedenti versu dictum erat, secundum consuetudinem vatis commata parallela iuxta se ponendi v. 7. 8. 12. Non anxie inquirendum est in id, utrum haec verba Deus ad prophetam, an propheta ad Deum fecerit. Est locutio proverbialis, quam Boeckel germanice egregie exhibuit: „Er sey.“ — Ceterum bene observandum est: verbum הַנִּיחַ esse oppositum priori חָבַר: *quemadmodum enim se adiunxit idolis, ita dimittatur a Deo.* Hieron. ad Iudaeos directa esse verba putat, ita: *O igitur Iuda, cui supra dixi, si fornicatur Israel non delinquat saltem Iuda; audi consilium meum, prophetae verba non spernas: quia Ephraim simul idolorum amicus et particeps est, dimitte eum, ne eum sequaris.*

18. Ut versum 17. verbis contemtum indicantibus finiverat, ita nunc pergit: *nulla medicina restat eo-*

rum impietatum. Dimittendi sunt Israelitae, ut tandem Iudaea incolumis servetur. Verum hoc non alio sensu profert, nisi ut Iudaeos terreat exitio Israelitis instante. Sed exitium verbis tam in universum dictis descriptum est, ut poetam tantum, non prophetam speciale aliquod fatum indicaturum cognoscamus. Quod bene tenendum est, ut de versu etiam 16. eiusque vaticinio recte sentiamus. Etenim versibus 16. 17. et 19. eaedem universales imagines insunt, quibus dimissio improborum a Deo pingitur. Versu 18. nihil novi exhibere vult vates, sed quasi in nuce repetere, quae iam pluribus v. 1—14. exposuerat. Hinc suis lectoribus s. auditoribus concinna, nobis autem difficillima brevitas exstitit eaque fere caliginosa propter textus corruptionem.

Iam de primo commate disceptarunt interpretes. סָר סָבְאָם. סֹבֶא substantivum a verbo סָבָא: *potavit, inebriavit se* Ies. 56, 12. Prov. 23, 20. 21., est: *potatio* Ies. 1, 22., *convivium, compotatio*, quae v. 11. aliis verbis יַיִן וְתִירוֹשׁ appellantur. סָר notissimum verbum: *recessit, secessit, separavit se.* Ita etiam vertit Hieronymus: *separatum est convivium eorum*, in narratione uberius addens: *audi Iuda, ne sequaris impietatem eius* scil. *Ephraimi, cuius et cultus, et religio, et cibus, a tuo convivio separatus est.* Subsistamus igitur tantummodo in separatione compotationum lascivarum et superstitiosarum a cibo et potu proborum hominum, Dei cultorum. Quae est simplicissima, brevitati vatis plane accommodata verbisque nullo modo alieni quid iniungens significatio elegantissime respondens praecedentibus commatibus de dimissione illorum qui ipsi impietate se seiunxerunt a meliore posterorum Iacobi parte. Praeterita autem huius versus in modum aoristi continuant significationem imperativi praecedentis הַנַּח secundum usitatum Hebraismum, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 767., ita tamen, ut optativa vel potius concessiva sit oratio. *Dimittatur ergo, segregata sit eorum compotatio.* Vos modo Iudaei ne in societatem eorum venitote. Pertinent haec ad v. 11. *vinum et mustum animum eorum occuparunt*, et ad v. 13. *subducunt se cum meretricibus.*

הַזְנֵה הִזְנוּ eodem modo: *exerceant invicem res suas venereas*, scil. *saltem vos Iudaei ne ad paria flagitia alliciamini*. Quae rerum venerearum commemoratio aptissime respicit ad v. 10. הִזְנוּ וְלֹא יִפְרֹצוּ. In omnes reliquos explicandi modos alieni quid illatum est, quod contra vatis gnomicum et simplicem orationis habitum offendit, v. c. in interpretationem Iarchii a Rosenmuellero commendatam: *factum est convivium eorum a me alienum*, abalienatio a Deo. Alii eodem arbitrario modo אִם supplent, ita: *quodsi recedere videatur vinum et potus*, i. e. *si bene poti sunt, retrahuntur in peiorem scortationem*. Alii ut Schmidt utrumque comma metaphorice sumunt: *si aliquando ad meliorem mentem redituri videantur, omnis spes evanescit, dum statim a regibus et principibus ad maiorem idololatriam retrahuntur*. Alii putant סור esse: *discedere recedere*, de vino: *in vappam* s. *putredinem abire*, h. l. *vapescit eorum merum*, ut sic depravati et abominabiles mores notentur, metaphora sumta a vino corrupto, quae est sententia Lutheri ad h. l. Chald.: *principes eorum multiplicaverunt convivia e rapina*. Nec omittenda est versio LXX, ἡρέτισε Χαναναίους, *dilexit Chananaeos*, quae maximam vim infert verbo, ut nempe סָר: pr. *recedere a recta via*, id indicet, quod illum recessum sequatur: *paganis se adiunxit*, סָבְאָם autem in סְבָאִים: *Sabaeos, paganos*, hinc *Chananaeos* mutatum sit. Hieron. adeo legit ἠρέθισε ab ἐρεθίζειν: *lacessere*, quod vertit: *provocavit Chananaeos*. Plura de his et aliis versionibus vid. ap. Rosenmuellerum ad h. l.

Ut prior pars nostri versus interpretum opiniones discidit, sic altera pars ita comparata est, ut nunquam poterit effici, quid vates sibi voluerit. Versio LXX. plane alia verba continet, quam textus, qualis nobis est, habet. Habet autem אָהֲבוּ הֵבוּ קָלוֹן מָגִנֶּיהָ. LXX. ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ φρυάγματος αὐτῆς. Ex quo apparet, in eorum textu הֵבוּ omnino non, et pro מָגִנֶּיהָ, מִגְּאֹנָהּ exstitisse. Chald.: *dilexerunt, ut consequerentur ignominiam proceres eorum*. Reliquorum antiquorum interpretum nullus expressit verbum הֵבוּ quod ipsum de-

IV, 18.
est in nonnullis codicibus, vid. de Rossi ad h. l. Symmachus מְגִנֶּיהָ omnino non habuisse videtur, Syrus pro eo habet: *et idola.* Accedit, quod in nostra lectione plane inusitata forma הֵבוּ et suffixum singulare idque foemininum in מְגִנֶּיהָ offendit verbumque הֵבוּ quasi reflexus vel potius Echo praecedentis אָהֲבוּ esse videtur. Hieronymus eumque secuti interpretes מְגִנֶּיהָ vertunt: *principes eorum*, tanta fiducia, ut Schmidt addat: *per clypeos intelligendos esse reges vel protectores populi extra controversiam est.* Verum quid sibi velint principes non video. Unus ille locus Ps. 47, 10., cui innituntur, est admodum dubiae interpretationis, v. Pauli clavis in Psalmos ad l. l. Certe ibi inveniuntur אֱלֹהִים מָגִנֵּי־אֶרֶץ *principes praesidium terrae*, non ita nude מָגִנִּים ut nostro loco מְגִנֶּיהָ quod rem maxime mutat. Nec aliquid praecessit, quod tam inusitatam significationem vocis usitatissimae praeparasset vel excusasset. Hoc autem loco verbum nostrum vertere *principes*, idem esset ac si quis contenderet, in aliis locis, ubi מָגֵן occurrat, v. c. 2 Sam. 1, 21., intelligendum esse Iehovam, quia saepissime Iehova dicatur *clypeus hominum* Ps. 33, 20. 115, 59. 11. 9, 12. Gen. 15, 1. Profecto notissima vatis elegantia talia non pateretur. Quae autem fuit vera et genuina lectio? Inter coniecturas circumagimur. Aptissimam sensui et dignissimam vati mihi habuisse videtur Syrus אָהֲבוּ קָלוֹן וּמְגִנָּה quae verba sic vertamus: *ignominiosa et insana idola adament.* Nomen מְגִנָּה semel praeterea legitur Thren. 3, 65. ubi verba sunt תִּתֵּן לָהֶם מְגִנַּת־לֵב תַּאֲלָתְךָ לָהֶם: *da s. infer eorum animis insaniam exsecrationemque tuam.* At Syrus vertit *idola.* Haec ita mihi fingo: מְגִנָּה est nomen Arabico analogon. Nomen جِنّ est *daemon s. genius malus*, verbum autem جُنَّ est *insanire.* In explicanda nostra voce interpres fortasse Arabicum nomen consuluit, ubi derivatio melius a verbo constituenda fuisset, certe si illum locum Thren. conferamus. Vel

קָלוֹן putavit esse i. q. בֹּשֶׁת 9, 10. cf. Ier. 3, 24. *ignominiosum idolum*, sic מְגִנָּה *insania*, ipsi synonymum fuit praecedentis nominis. Quicquid est, sensus ipse docet *ignominiam* et *insaniam* revera metonymice nil aliud esse, nisi *pudendam* et *insanam Israelis idololatriam.* Sic suadet non solum metonymica significatio vocis בֹּשֶׁת 9, 10. nostrae קָלוֹן respondens consuetudoque prophetae tales voces metonymicas adhibendi, cf. introd. p. 123., sed etiam nexus orationis. Ut enim vates in prioribus commatibus respexit versus 11. 14. 10., ita nunc versum 12. et 13. ubi de insana et ignominiosa idololatria gravissima verba fecerat. Fere idem mecum statuit V. Ill. Boeckel in commentario versioni annexo p. 81.

Quid fecerint interpretes de textu vulgari vid. ap. Rosenmuellerum ad h. l. Plerique, inter quos Lutherus, secuti sunt Hieronymum vertentem: *dilexerunt afferre ignominiam protectores eius*, ut הֵבוּ sit 3. praet. a verbo יָהַב: *dedit*, cf. זֵרוּ Zach. 2, 2., pr. *amant dant*, asyndeton emphaticum, ut 1 Sam. 2, 3. *multiplicate loquamini.* Verum quamquam contra hoc asyndeton nihil monendum est, tamen defectus primae literae in verbis פ״י exemplis comprobari non poterit, nisi iterum depravatio textus sumatur, aut forma coniugationis ex arbitrio immutetur; id quod alii senserunt ideoque imperativum esse contenderunt, v. c. interpretantes: *principes eorum amant dicere, date ignominiosa munera;* quam inepte, adspectus docet. Al. ad formam מֵת et מֵתוּ ex Arabico adtraxerunt novum verbum הֵיב s. הֵהִיב, ut Cocceius in Lex. p. 298, quod sit *metuere*, ita: *principes simul diligunt* et *metuunt ignominiam.* Al. praetulerunt esse substantivum: *vanitatem*, iterum ex Arabico. Verum sufficiant haec in gratiam historiae.

19. Depravationis illius, qua textus laborat, vestigia adhuc reperiuntur. Verba in editionibus nostris ita sonant: צָרַר רוּחַ אוֹתָהּ בִּכְנָפֶיהָ. Offendit iterum pronomen foemininum אוֹתָהּ. LXX. legisse constat אתה, vel interpunxerint אַתָּה: *tu*, vel אָתָה: *venit.* Illud legitur in codd. nostris ita: συστροφὴ πνεύματος σὺ εἶ ἐν ταῖς πτέ

IV, 19.
ρυξιν αὐτῆς. Hoc narrant Theodoretus et Cyrillus apud LXX. versum: *συςρεφει*, quod Hieronymus ita exhibet: *ventus sibilabit in alis eius.* Apparet ex his eos praeterea legisse vel צֹרֵר: *colligatus, compactus, vehemens ventus*, vel צְרוֹר: *colligatio, vehementia venti.* Item fere Syrus: *stridebit ventus in alis eorum*, et Chald.: *opera procerum haud recta sunt, quemadmodum constrictus non potest teneri ventus in ala* Nostra lectio אוֹתָהּ fortasse in favorem itidem spurii suffixi foeminini מָגִנֶּיהָ orta est. Optime sonaret, et omnes difficultates tolleret אוֹתָם et sequenti מִזִּבְחוֹתָם responderet, modo ulla auctoritate niteretur. Sunt contra codices apud de Rossinm et Kennicottum, qui hoc verbum prorsus abiiciant. Verum vates hinc nihil lucri capit. Si autem lectio vulgaris retinetur, nil restat, nisi ut statuamus vatem in mentem sibi revocasse imaginem iuvencae versus 16.; quod lubentius facerem, nisi vates omisso nomine et similitudine Israelis ad Ephraimi nomen idque in genere masculino v. 17. transisset. Occurrit quidem uterque et Israel, et Ephraim formâ singularis foeminini, sed longe aptiore occasione et maiore cum vi, quam h. l., ubi omnino nullà causa huius inopinatae commixtionis generis et numeri inveniri potest. Unde etiam non placet Eichhornii versio: „Hat er (Ephraim) den Sturm umfasst mit seinen Schwingen, dann cet." In versione Latina pluralis masculinus adhibendus est, quod omnes fere recentiores interpretes fecerunt. Lectio nostra alia praeterea difficultate laborat facilius quidem tollenda. רוּחַ enim in verbo suo צָרַר est masculinum et in pronomine suo בִּכְנָפֶיהָ foemininum, quod Hebraeis non inusitatum est: nam in nominibus generis communis utroque genere utuntur, cf. 1 Reg. 19, 11. vid. Gesen. Lehrgeb. p. 717. — צָרַר est: *ligare, colligare, comprehendere.* Elegans imago, ubi vox רוּחַ subiectum est. In voce רוּחַ mihi duplex sensus inesse videtur. Ut enim vates in praecedentibus commatibus ad singula increpationis membra respexit, sic etiam hoc nostro. Respicit nimirum ad v. 12.: *impetus pravarum libidinum eos aberrare fecit*, et ita verba annectit: *impetus*

eorum eos comprehendat alis suis. Oratio est eadem ac v. 18., praeteritum sine ו, itaque etiam vis eius eadem esse debet. Verum vates nomen adhibens, quod et *vim spiritualem*, *animi impetum*, et *ventum* indicat, delabitur simul ad alteram huius venti significationem, memor fortasse locorum ubi vento alae tribuuntur, v. c. Ps. 18, 11. 104, 3. Elegantiam huius paronomasiae non sentire non possum: *impetus illi pravorum hominum sunt venti instar qui abripit eos sine cogitatione*, מִבְּלִי הַדַּעַת v. 6., *in perniciem. Ita abripiantur.* Vides, quomodo omnia ad notionem verborum הַנַּח לוֹ v. 17. declinent, et quomodo haec omnia dicta sint ad cavendum, ne Iuda in perniciem Israelitarum abripiatur. Nec in hoc loco aliquid de Assyriaco exilio inest. Alii verba ita enarrant, ut אוֹתָהּ sit nominativus: *ipsa* i. e. *natio Ephraemitica ligat ventum alis suis* i. e. *in vestium laciniis.* Sens.: *frustra laborat circa vitulos, nec reportabit fructum, quem ex eorum cultu exspectat*, vid. Drusius. Hieronymus ita: *vitio principum infelix populus suscepit cultum idolorum, quorum immundus spiritus ligavit Israelem in alis suis et eum libere volitare non patitur.*

וְיֵבֹשׁוּ מִזִּבְחוֹתָם mutata oratio, futuri cum ו copulativo, indicat his demum verbis vaticinium de poenis instantibus contineri. Hieron.: *confundentur igitur in sacrificiis suis et ignominiam principum in sua confusione suscipient.* בּוֹשׁ est verbum usitatissimum, pr.: *erubescere*, deinde *ignominia affici* 10, 6., quod etiam interitum designat, ut Lutherus: „zu Schanden werden;" imprimis *spe aliqua excidere* Ps. 31, 2. 18. 71, 13. Ies. 1, 29. Ier. 2, 36. Hac significatione fere semper praep. מִן eos indicat, qui spem fallunt, v. Gesen. ad h. v. Hoc l. igitur: *spe sua ab impiis suis sacrificiis decepti interibunt.* זְבָחוֹת autem pars pro toto, innuit *omnem cultum idololatricum, qui iis pudori et summo detrimento erit.* Sic in omnibus his expositionibus nil certi de futura Israelitarum sorte definitur et omnia pertinent ad notionem dimissionis a Iova propterea eos manentis, quod Iovam ipsum deseruerant. *Qui enim prius a Iova brachiis prehensi, funibus amo-*

ris trahebantur, cf. 11, 3. 4., *nunc libidinum impetu ut vento comprehensi in aerem fundentur*, quemadmodum antea v. 16. in latum campum, et *omni spe in idolis posita excident.*

V, 1. At benevolo animo vatis dimissio cari populi non ita erat definita, ut nulla medicina relinqueretur. Quod Iudaeis in summa indignatione indicaverat nunc repetit Israelitis eosque iterum iterumque hortatur: *causam eiectionis populi esse in eo ipso positam*, ut insaniam sentiant cogitentque: *mittamus ista flagitia gentilitia et cessante impietate cessabit nostra pernicies.* Omnes reipublicae Israeliticae ordines ad sanam provocat mentem; primum *sacerdotes*, vel qui sic dicebatur, nam institutum sacerdotii a Deo factum iam dudum in regno Israelitico desierat, vid. 4, 6. et 3, 4., deinde *domum Israelis* i. e. *civitatem 10 tribuum*, vid. 6, 10., denique *domum regiam*, nimirum *familiam et posteros regis Iehu a Deo vocati* 2 Reg. 9, 6—9. Haec enim vera erat *regia familia.* Successores eius erant imperium usurpantes, quos nunquam cum quadam honoris significatione, ne dicam contemtim, commemorat, vid. 7, 3. 5. 10, 3. בֵּית הַמֶּלֶךְ est i. q. בֵּית יֵהוּא 1, 4. *vos a domo regia* כִּי לָכֶם הַמִּשְׁפָּט *vobis omnibus imminet* s. *ad vos omnes pertinet iudicium* i. e. *poenae denunciatio*, cf. 2 Reg. 25, 6. Ier. 1, 16. Chald. male: *nonne vestrum est scire ius?* melius LXX. πρὸς ὑμᾶς ἐστὶ τὸ κρίμα.

כִּי־פַח הֱיִיתֶם: *laqueus facti estis* scil. venatorius, cf. Ps. 124, 7., quo capiuntur ferae. Tropice: *quo capiantur Iudaei ad consortium cum vestris flagitiis ineundum.* Sensus in universum: *per vos decipiuntur meliores Iudaei, ut tandem vobiscum flagitiis et idololatriae se committant.* לְמִצְפָּה LXX. τῇ σκοπιᾷ, Hieron.: *speculationi*, a rad. צָפָה *speculari*, addita hac explicatione: *speculatores vos posui et principes in populo et in excelso dignitatis culmine constitui, ut populum regeretis errantem. Vos autem facti estis laquei, et non tam speculatores et principes, quam venatores appellandi.* Ita praep. לְ esset *loco*, „anstatt," quod certe inusitatum est. Simplicius statuitur notam

esse loci Num 11, 10. 1 Sam. 19, 3. etc. *Mizpah* est locus eodem modo ab antiquissimis temporibus Israelitis memorabilis, ut antea Gilgal. Nimirum ille, ubi 11 tribus convenerant ad sacra ante expeditionem Gibeaticam facienda Iud. 20, 1. et ubi postea a Samuele conventus publici cum sacrificiis iudiciisque habebantur 1 Sam 7, 5—16. Fuit autem Mizpah aut *urbs Siloh ipsa*, quam sententiam probavit Michaelis Oriental. Biblioth. V, 241., aut *mons ille notissimus*, qui nostris temporibus adhuc nomine *Siloh* vocatus, tunc temporis fortasse nomine generali מִצְפָּה *specula*, „die Warte,“ signatus. Circa hunc, aut ad eum aedificata erat urbs Siloh, unde explicari potest, cur Iosephus in Antiquitt. V, 2, 9. locum conventus 11 tribuum, qui Iud. 20, 1. *Mizpah* vocatur, nomine *Siloh* designaverit. Situs huius montis in medio inter Danem, Bersebam et Gileadem conventui tribuum aptissimus erat. Causam autem cur sacra ibi instituere fas fuerit eam habemus, quod tabernaculum sanctum tunc temporis in urbe Siloh proxime adiacente servabatur 1 Sam. 1, 3. 24. 4, 3. Idem de Samuelis sacrificiis valet. Cum enim sanctum tabernaculum a Philistaeis reportatum nondum suo loco collocatum esset 1 Sam. 7, 2., cultui divino consecrata manserunt templum et altare in urbe Siloh in honorem tabernaculi exstructa, ut ibi Iehovae vota solverentur. Quae igitur de Samuele 1 Sam. 7, 5—16. Mizpae gesta narrantur, de nullo alio loco nisi de Siloh commode intelligi possunt. Accedit quod locus conventuum publicorum, qui in libro Iosuae fere semper Siloh vocatur Ios. 18, 10. 19, 51. 22, 12., in libris Iudicum et Samuelis nomine Mizpae designatur vid. ll. cc. Habemus igitur ubi nostrum *Mizpah* quaeramus, nimirum in montibus Ephraimi, in illo monte, cui urbs Siloh adiacebat, ubi olim tabernaculum sanctum et primum templum Iehovae 1 Sam. 1, 9. 3, 3. per 300 annos floruit quemque Israelitae adhuc pia mente, quamquam superstitione obcoecata, venerabantur. Mons iste sine dubio stipatus erat altaribus in honorem deastrorum exstructis. Fuisse autem montem, non urbem, et ex imagine apparet, quoniam retia aucupum vel in montibus, vel in silvis expanduntur, et e parallelismo: *laqueus estis Mizpae — rete in Thabor. Thaborem* enim fuisse

V, 1. 2.

montem est notissimum. Situs erat in altioribus regionibus versus septentrionem, tribui Sebuloniticae adscriptus 1 Chron. 6, 62. Hieron.: *est autem Thabor,* LXX. Ἰταβύριον, secundum declinationem nominum Hebraicorum dialecto Graeca, *mons in Galilaea situs in campestribus, rotundus atque sublimis et ex omni parte finitur aequaliter.* In eius parte meridionali oppidum erat, cui nomen est Cisloth Thabor. Ad hunc montem magna clade Sissera fugatus est Iud. 4, 6. 14. 15. De superstitiosa veneratione eius nil legimus, praeter quod 1 Sam. 10, 3. *quercus Thaboris* occurrit, quae locum mysterii plenum, fortasse memoriae illius victoriae sacratum indicat. Praeterea amoenitas loci gentem libidinosam allexit ad cultus religiosos ibi instituendos, vid. 4, 13. Utrumque, et Mizpah, et Thabor commemorantur pro quovis loco, ubi sacra idolis ferebantur. רֶשֶׁת פְּרוּשָׂה idem quod פַּח, *instrumentum venatorium ad feras, maxime aves, in montibus capiendas.*

2. שַׁחֲטָה שֵׂטִים הֶעְמִיקוּ. Hic quoque locus magnas vexationes passus esse videtur. Etenim LXX. et Syrus plane aliud quid legerunt. Illi habent: ὃ (scil. δίκτιον e v. 1.) οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέπηξαν, i. e. *quod, qui venationem capiunt, confixerunt,* vid. interpretat. Hieronymi. Syrus: *et venatores venantes absconditerunt laqueos.* Legisse videntur: שִׁטְּחָה שָׁטִים: alterum a rad. שָׁטַח: *expandere,* quod quamquam de venatione non occurrat (v. Gesen. lex. ad h. v.), tamen ad tractationem retium transferri poterat, alterum a rad. שׁוּט: *circumvagantes* sc. *venantes,* et ad הֶעְמִיקוּ subintellexerunt רֶשֶׁת. Fortasse defectus attentionis in causa fuit, cum LXX. literas ita transponerent, ut aliquid de re venatoria inferrent, Syrus autem bona fide Graecos secutus est. Nam talis defectus culpâ, ut iam aliis locis vidimus, nullo modo LXX. liberari possunt. Hieronymus habet: *victimas declinavistis in profundum,* et in commentario addit: *ut nullus ageret poenitentiam nec occisus elevaret caput. Prohibuerunt et sacerdotes et reges ire populum ad templum Hierosolymitanum, idcirco in profundum victimas* i. e. *deceptos, quos protraxerant*

in profundum et daemonibus immolarant, declinavisse dicuntur. Certe et ipse nomen שֵׂטִים non habuisse videtur. Chald. si nostram lectionem habuit, ex arbitrio vertit: et *victimas idolis mactant largissime.* Nostris interpretibus non minor crux fuit interpretatio verborum. Grotius esse putat: *victimas in profundum deiecistis, ex more idololatricarum victimarum, ubi igne comburebantur.* Drusius: *profundam fecerunt mactationem Apostatae,* i. e. *eos interfecerunt, qui ab iis deficerent.* Vatablus: *callidum inierunt consilium in excogitandis novis modis immolandi.* Schmidt: *in mactando superstitiosas victimas instar abyssi se profundarunt,* i. e. *eas in infinitum multiplicarunt.* Lutherus: *obdurati sunt amore erga sua sacrificia.* Rosenmueller: *caedes et declinationes a recto tramite maxime cumularunt.* Kuinoel: *sacrificando idolis gravissime declinaverunt.* Quae interpretatio etsi proxime accedit ad simplicitatem orationis et significatum verborum, tamen sensus altius repetendus mihi videtur, scil. *eo, quod sacrificia idolis ferunt, perversa morum conditio penitus depravata est.* Opinabantur enim isto cultu sacro sacrificiisque in festis vario modo latis, ubi merum libabatur 3, 1., virgines se prostituebant 4, 13., homines mactabantur 9, 13. 13, 2., Deo intime se dedicasse eumque omnino sibi obligasse. Verum tantum aberat, ut hoc modo Deo probarentur, ut in dies peiores redderentur. Non enim solum sacrificando peccaverunt, verum etiam sacrificiis suis excusaverunt quaevis scelera, rapinam, mendacia, tumultus, homicidia et adulteria 4, 2., et sic magis magisque a Deo declinaverunt, cf. 8, 11. Hanc explicationem et nexus orationis, et verba iubent. — In praecedenti enim toto capite de sacrificiis sermo est. Eorum amentiam nunc uno ictu percutit. שַׁחֲטָה est inf. cum ה paragogico verbi, quod fere primario sensu *de mactandis victimis* adhibetur Lev. 1, 5. 11. Ies. 66, 3. 57, 5. Ez. 16, 21. שֵׂטִים a rad. שׂוּט Ps. 40, 5. s. שָׂטָה Prov. 4, 15. 7, 25. *declinare* et Num. 5, 12. 19. 20. de muliere, *infidelem esse marito.* Itaque nomen, quod Ps. 101, 3. סֵטִים scribitur, significat: *declinationes,* nimirum a Deo, marito suo et a recta virtutis via. In favorem

illius loci Psalmorum etiam nonnulli libri impressi apud de Rossium habent סֵטִים, non autem Mspti, praeter unum Kennicotti. הֶעְמִיק: *profundare, profunde immergere, profunde infigere*, vid. 9, 9. Ies. 31, 6. Habemus iterum parallelismum versus 5. et 7. Eichhorn huic accedit: „durch Opfern wollen sie mir Sünden aus den Augen rücken." Tantum quod in significatione verbi הֶעְמִיקוּ ei non assentiar.

וַאֲנִי מוּסָר לְכֻלָּם. Parallelismus et h. l. nostra verba illustrat: v. 1. כִּי לָכֶם הַמִּשְׁפָּט — h. l. וַאֲנִי מוּסָר לְכֻלָּם: *omnibus correctio* scil. אֶהְיֶה *in omnes correcturus et puniturus invehar.* מוּסָר: *castigatio, poena*, vid. 1, 12. cf. Ier. 30, 14. Iob. 5, 17. Prov. 22, 15.

3. *Nolite credere*, inquit Iehova, *me decipi vestris sacrificiis. Cognosco vos et vestros mores, scio vos esse maturos ad poenas a vobis sumendas. Israel mihi non absconditus est.* Formula de Deo saepius obvia designans perfectissimam Dei cognitionem Ps. 69, 6., cf. similis oratio 8, 13. Ps. 38, 10. Particula כִּי indicat, quae Deus sciat. *Novi te, quod turpe egisti.* הִזְנֵית saepius obvium idololatriam significans: *perfida contra me egisti.* נִטְמָא: *pollutus est* scil. flagitiis 6, 10.

4. Rationem adfert quomodo inter victimas gravior facta sit eorum improbitas. מַעַלְלֵיהֶם latissimo sensu, cf. 4, 9., *facinora de quibus hucusque locutus sum, nimirum pessimus eorum cultus deastrorum — non permittunt ut revertantur ad Iehovam.* Non enim putabant se Iovae adversari, immo illis flagitiosis festis et sacrificiis melius eum colere opinabantur, quam simplici et severo cultu Hierosolymitano. *Itaque*, ait vates, *ne reverti quidem ad Iovam possunt, impetus idololatriae efficit, ut Deum omnino non cognoscant. Idola enim Deum esse putant.* Sic, quamquam gnomice vates loquitur, omnia arctisime cohaerent, quae eius poematis singularis venustas est. לֹא יִתְּנוּ cum inf. et praep. לְ: *non permittunt*, cf. Gen. 20, 6. Exod. 3, 19. 1 Chron. 22, 19. LXX. οὐκ ἔδωκαν τὰ διαβούλια αὐτῶν τοῦ ἐπιστρέψαι τλ.

Pari modo מַעַלְלֵיהֶם vertit Hieronymus: *cogitationes*, et לָשׁוּב אֶל־אֱלֹהֵיהֶם explicat: *ut agant poenitentiam*, reditus enim ad Deum semper indicat *restitutionem pristinae probitatis et integritatis* quae ante omnia in cultu Dei, verum etiam in moribus cernatur, cf. 6, 1. 7, 10. cet. רוּחַ זְנוּנִים: *impetus idololatriae*, vid. 4, 12. בְּקִרְבָּם cum emphasi ponitur, et respectu ad primariam significationem vocis רוּחַ, *quasi turbine abrepti ab eo in gyrum volvuntur*. וְאֶת־יְהוָה לֹא יָדָעוּ. Sens.: *idololatria eos imbuit perversis opinionibus de Deo, quae eos impediunt, quominus ad eum revertantur eumque curent*. In verbo יָדַע simul inest notio *curae* quam aliquis gerit eius, quem cognovit amore studioque et dignum esse, et indigere, vid. 13, 5.

5. Errorem facile invenire possent, modo vellent; nam גְּאוֹן־יִשְׂרָאֵל *in os eos criminatur*. גָּאוֹן: pr. *magnificentia*, *splendor*, hinc *superbia*, deinde e metonymia abstracti pro concreto *id quod magnificum est*, et *quo aliquis superbit*, uti גְּאוֹן יַעֲקֹב Ps. 47, 5. Am. 6, 8., גְּאוֹן הַיַּרְדֵּן Ier. 49, 19., h. l. *magnificae eorum statuae*, *altaria* et *festa*, quae omnia vere magnifica fuisse 2, 10. 8, 4. 10, 5. apparet. Amat vates sic abstracta pro concretis ponere, cf. מַחְמַד 9, 6., שִׁקּוּצִים 9, 10. cet. Oratio est etiam aliis scriptoribus S. usitata, v. c. כְּבוֹדָם Ps. 106, 20. pro *Deo magnificentissimo* cf. introd. p. 123. Hieron. quidem vertit: *arrogantiam*, allegans tamen Symmachum vertentem: *iniuriam*, et Aquilam cum Theodot.: *superbiam*. Verum de crimine superbiae nondum ne verbum quidem vates commemoverat, contra abiectos mores et luxum incolarum, v. c. 4, 1—3., unde h. l. sermonem de superbia in abstracto valere non posse censeo. Criminantur autem eos in os illa idola cum superbo apparatu. עָנָה גְאוֹן יִשְׂרָאֵל בְּפָנָיו: nam miseros esse patiuntur sraelitas, non cavent bella interna, tumultus et facinora 4, 2., quae rempublicam ad interitum compellunt; *labentur enim Israel et Ephraim*, ut in altero commate versus nostri aperte addit. LXX. ταπεινωθήσεται ἡ ὕβρις τοῦ

V, 5. 6.

Ἰσραήλ, ut וְעָנָה derivetur ab alio verbo עָנָה *affligi, deprimi*, quae explicatio Chaldaeo, plerisque veteribus ut inter recentiores Rosenmuellero placuit. Verum quoniam עָנָה cum praep. ב formula solennis est de actionibus forensibus: *criminari aliquem, testari contra aliquem*, ut ita respondeatur iudici inquirenti, cf. Exod. 20, 13. Num. 35, 30., et nostrae simillima forma כַחֲשִׁי בְּפָנַי יַעֲנֶה Iob. 16, 8., non est, cur ab hoc verbi usu h. l. recedamus. Eodem modo sensum exceperunt Hieron.: *quicquid igitur fecit Israel, vel superbe agens contra dominum, vel in iniuriam sui creatoris idola venerans, respondebit in faciem eius, ut non abeat impunitas;* Kimchi: *dicit: fastum eius testificaturum in faciem eius, cum propter eum poenas dabit;* Dathe: *testatur contra Israelitas;* Kuinoel: *condemnat Israelitas eorum improbitas;* de Wette: „Es zeuget wider Israel sein Frevel.“ Sensum hunc esse puto: *arguunt ipsa illa idola, quibus superbiunt, omnem nationem Israeliticam esse insanam et deperditam: nam eam deserunt tempore calamitatis. Labentur Israel et Ephraim interibuntque inter flagitia, quae committunt idola venerantes,* cf. 4, 5., Eichhorn prorsus nova significatione verbi עָנָה et contra locum 7, 10.: „Und ihre freche Stirn lügt ihm ins Angesicht,“ quam falsam esse iam ex eo apparet, quod non ad illum locum parallelum quadrat.

Iam redit manifesto ad Iudaeos, quorum causa haec omnia attulit. כָּשַׁל גַּם־יְהוּדָה עִמָּם: *interibit etiam Iuda,* nimirum nisi abhorrebit ab illorum sceleribus, pieque et constanter Iehovam reverebitur.

6. Schmidt hunc versum bene explicat ita, ut vatem respexisse dicat ad locum Exod. 10, 9., ubi Moses proposuerit Pharaoni Israelitas exire velle בְּצֹאנֵנוּ et בִּבְקָרֵנוּ ac celebrandum festum Deo. *Hoc est,* addit, *si absque resipiscentia et fide cum omnibus suis gregibus et armentis abeant ad vitulos, vel ad loca quaecunque, in quibus sacrificent, non impetrabunt gratiam et auxilium domini, sed manebit ira Dei super iis et punire eos perget usque ad ruinam eorum.* לְבַקֵּשׁ אֶת־יְהוָה om-

nino: *quaerere Iehovae auxilium* Deut. 4, 29, Zach. 8, 21. Ps. 40, 17. 69, 7. Non autem h. l. de illa pia conversione ad Iehovam cogitandum est, ubi in templo Hierosolymitano secundum praecepta legis eum culturi erant, uti 3, 5. 7, 10. 2 Chron. 11, 16. 20, 4. Quod signum pietatis erat, cui Deus se non subtracturum esse promittit, vid. 6, 1—3. Contra insanus Israelitarum error significatur, ex quo verum Deum coli opinabantur, dum idolis templa aedificarentur et simulacris thura victimaeque offerrentur. Fortasse id quoque in mente vates habuit, quod Hieronymus intellexisse videtur, scilicet: si vel omnes suos greges omniaque armenta mactent ad placandum Deum, iis tamen non continget: *non enim*, pergit, *invenient quem requirunt*, *qui a recedentibus et ipse discessit*, *praesertim cum et alibi loquatur: numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum bibam? Ps. 50, 13., cf. v. 9. et holocausta arietum et adipem agnorum et sanguinem hircorum atque taurorum nolo Ies. 1, 11.* חָלַץ מֵהֶם: *ita quaerentibus Deus se subtraxit.* Sunt enim alii modi Deum eiusque favorem inveniendi, vid. 6, 3. 6. et quae illum locum Iesaiae sequuntur v. 16—18. Chald.: *subtraxit se praesentiae meae symbolum*, שְׁכִנְתִּי, *ab iis*, *sanctuarium Dei ab iis remotum est.*

7. Imaginem repetit de matrimonio e capp. 1. et 2., unde iterum apparet hanc prophetiam haud multo post priorem c. 1-3. editam esse. Posthaec enim nil amplius de illo typico matrimonio occurrit. בַּיהוָה בָּגָדוּ: *in Deum perfide egerunt*, *fidem ita solverunt ut mulier adultera.* בָּגַד item adhibetur de violata fide matrimoniali Ier. 3, 20. Mal. 2, 14. *Si autem mater* i. e. *omnis natio Israelitica adulterio foedus matrimonii solvit*, *cives eius nunc viventes patrocinio Dei gaudere non possunt*, *nam liberi spurii sunt.* בָּנִים זָרִים ut בְּנֵי עֹנְנָה Ies. 57, 3. et בְּנֵי זְנוּנִים 2, 6. *liberi qui non Dei sunt*, peregrini in eius familia, *spurii*, metaphora remota: *qui Dei favore non teguntur.* כִּי h. l. vim habet conclusivam, causam orationis e praecedentibus repetens: *quoniam Deo infideles sunt*, *propterea liberos*

V, 7.

peregrinos habent. Existit exinde significatio particulae *itaque*, vid. Glass. Phil. S. p. 545.

In altero commate aliis verbis exprimit, quod plurimis modis iam indicaverat v. 2. et 5., quo parallelismo sensus vexatarum illarum dictionum elucescit. חֹדֶשׁ iterum pars impii cultus, ut v. 2. *mactationes* et v. 5. *idola magnifica.* Sunt autem pr. *novilunia* Num. 28, 11. 14. *festa quae primo die cuiuscunque mensis celebrabantur*, 2, 13., hinc per synecdochen partis pro toto *festa religiosa eaque superstitiosa.* אָכַל h. l. habet significationem perdendi et delendi, ut Deut. 7, 16. Ies. 33, 11. Ier. 11, 25. יֹאכְלֵם אֶת־חֶלְקֵיהֶם: *consumet eos cum possessionibus eorum.* חֵלֶק: *sors, quod sorte contigit*, unde sigillatim *possessio sortita* Ps. 16, 5. Gen. 14, 24. Deut. 18, 8., maxime agri 2 Reg. 9, 10. 36. 37., unde ex simplicissima interpretatione: *terrae quas unaquaeque tribus sortita est* i. e. *patria* omnino. Alii sic construunt: *consumat eos i. e. possessiones eorum.* Verum אֶת pro עִם saepissime obvium est, vid. Glass. Phil. S. p. 181. Gesen. in lex. ad h. v. Significatio vocis עַתָּה non anxie quaerenda est, omnino instans periculum indicat, ut omnis oratio cap. 4. et 5. Ab hac interpretatione recesserunt LXX. sic: νῦν καταφάγεται αὐτοὺς ἡ ἐρυσίβη, ac si pro חֹדֶשׁ, monente Hieronymo, legeretur חָסִיל: *rubigo*, memores loci Ioel. 1, 4. Chaldaeus, qui in descriptione Ioelis typice invenit nationes varii generis, vid. ad Ioel. 2, 25., hanc interpretationem circumscripsisse, sua addidisse et cum nostra lectione conciliasse videtur ita: *nunc adducam adversum eos populos per singulos menses, qui populabuntur fructus terrae eorum.* Unde iterum Hieronymus: *non multo post tempore, non, ut solitus eram longe post futura praedicere, sed nunc et inpraesentiarum adveniet Assyrius et Chaldaeus et devorabunt eos cum partibus s. possessionibus suis.* Inter recentiores multi hanc interpretationem secuti sunt. Kuinoel, Schultensium, I. D. Michaelem et Dathium [20]) secutus, legit

20) A Dathio in tertia demum editione Prophetarum Minorum haec interpretatio adoptata est, postquam in prioribus LXX.

V, 7. 8.

חֹדֶשׁ: *res nova, fortunae casus adversi,* monente quidem iam de Rossio hanc lectionem nusquam inveniri. Grotius putat חֹדֶשׁ esse *menstruam pensionem,* quam rex Menahem populo suo iniunxerit, ut sarciret damnum quod fecerit magnas pecunias dando Phulo regi Assyriorum 2 Reg. 15, 19. 20. Quem secutus est de Wette: „Dann wird sie der Monatszins aufzehren sammt ihrer Habe." Tremellius et Danaeus adeo de morbis foetidis somniant qui devoraturi et singulas corporis partes labefacturi sint, secundum Ier. 2, 24., vid. Tarnov. ad h. l. Rabbini interpretes putant denotari in specie mensem, quo regia Hierosolyma capta et diruta sit, secundum E. Esram: *mensem malum,* et secundum Kimchium: *mensem Tamuz* (Iulium), *quo fissa est urbs, mensemque* (Augustum), *quo eversa.* Lutherus contra nostrae interpretationi assentitur: *consumet eos novilunium, quando offerunt sacrificia idololatrica, cum omnibus quaecunque habent et possident.* Praeterea variant in interpretatione vocis חֲלָקִים, quam alii accipiunt pro *vitulis aliisque idolis quae Israelitis optima pars videbantur,* v. c. Eichhorn, al. pro *ovibus et bobus, quas ad adolendum et placandum Deo afferebant,* respectu ad v. 6. Id certum est: minas omnino universalis argumenti, verum ne minimum quidem vestigium Assyriaci exilii inesse.

8. Hieronymus ab hoc versu alteram partem vaticiniorum Hoseae inchoat, quem haud pauci recentiorum secuti sunt. At v. 8. et 9. arctissime mihi cohaerere videntur cum praecedentibus. Faciunt enim quasi epiphonema totius exhortationis ad Iudaeos, ac si diceret: *Utinam vobis omnibus Beniaminitis velut clangore buccinae in animos clamare possim, quae sors Israelitis propter flagitia futura sit, ut discatis pietatem moniti.* תִּקְעוּ שׁוֹפָר, frequens locutio ad invitandos animos, ut attenti sint capiendis rebus gravioris momenti Ier. 4, 5. 6, 1. Ioel. 2, 1., cf. Hos. 8, 1. Quoniam sonus iste

---

secutus erat, ita: *aëre pestilentiali fructus agrorum suorum corrumpentur.*

V, 8.
tubae et buccinae Iudaeorum causa edebatur, aptissime commemorantur oppida in finibus sita, Gibea, Rama et Bethel. *Gibea* oppidum erat olim Beniaminiticum Iud. 19, 14., memorabile ob ibi commissum scelus et ob insequentem eius devastationem; cf. 10, 9. Iud. 19. et 20., postea ita restitutum, ut dignum esset quod a rege Saulo sedes regia eligeretur 1 Sam. 10, 26. 15, 34. Utrum semper tribui Beniaminiticae adhaeserit, an cum Bethele ad stirpem Ephraimi transierit, historia tacet. E nostro loco colligi potest regno Israelitico adnumeratum fuisse, quoniam inter oppida Israelitica commemoratur. *Rama* olim urbs erat Ephraimitica eadem tribui Beniaminiticae prope adiacens, notissima ex historia Samuelis, qui inde oriundus eam ante omnes adamasse eiusque et opulentiam et famam maxime auxisse videtur. In ea scholam prophetarum instituit, plurimam vitae partem ibi degit, ius dixit, denique sepultus est. A regibus Israelitarum munita est 1 Reg. 15, 17., ab Assa autem rege Iudaeorum expugnata et deleta v. 22. Postea restituta videtur. Occurrit enim non solum apud vatem nostrum, sed etiam apud alios prophetas Ies. 10, 29. Ier. 31, 15., et postea temporibus Maccabaeorum, adeo temporibus Iesu, nomine Arimathia. Cum verba sequantur אַחֲרֶיךָ בִּנְיָמִין, apparet tunc temporis tribum Beniaminis extra fines Gibeae, Ramae et Bethelis habitasse. Nihilominus Hieronymus Gibeam et Ramam in tribu Beniaminitica sitas fuisse asserit, fortasse quoniam post reditum temporibus Maccabaeorum et Herodum vere a partibus Iudaeae fuerunt. De Bethavene s. Bethele vid. 4, 15. Ceterum Hieronymus discrimen inter שׁוֹפָר: *buccinam*, et חֲצֹצְרָה: *tubam*, exhibet: *illa*, inquit, *est buccina pastoralis et cornu recurvo efficitur, graecis* κερατινή, *haec autem de aere vel argento efficitur, qua in bellis et solennitatibus increpabant.* Verba אַחֲרֶיךָ בִּנְיָמִין LXX. ita vertunt: ἔξεστι Βενιαμίν, quod Hieron. de ἐκστάσει s. mentis excessu intelligit. Iisdem verbis Hieronymus putat notari situm Bethavenis, nimirum *in tergo tribus Beniamin.* Chald. verbosiorem paraphrasin exhibuit, cuius sensus est: *annunciate, venturos esse reges cum exercitibus ad bellum vobis inferendum propter vestram impietatem;* al.

ita interpretantur: *post te Beniamin urget hostis, imminet tibi, iam enim subegit sibi terram Ephraimiticam.* Nos ita: *post te Beniamin* i. e. *Beniaminitis acclamate.* Beniamin autem indicat *totum imperium Iudaicum*, ut Ephraim *Israeliticum*, h. l. fortasse propter viciniam. Nam e Gibea, Rama et Bethele in tribum Beniaminis vociferari poterant. Eichhorn iusto audacior, ut videtur, supplet אַפִּי הָיָה: „Denn dich (?) o Beniamin gilt auch mein Zorn."

9. Sequuntur nunc, quae sonitu tubae Beniaminitis sint nuntianda. Nimirum: אֶפְרַיִם לְשַׁמָּה תִהְיֶה בְּיוֹם תּוֹכֵחָה *Ephraim in desolationem erit* i. e. *desolata erit tempore correctionis.* תּוֹכֵחָה idem est, quod מוּסָר v. 2. *castigatio.* Non enim solummodo indicat convictionem et declarationem poenâ aliquem dignum esse, sed *poenam improbitatis ipsam*, cf. Ps. 149, 7. Ies. 37, 3. Ez. 25, 17. Sens.: *ubi poena veniet, Ephraim desolabitur*, i. e. *haec poena Israelitis imminet: devastabitur eorum res publica.* Gnomica brevitas sensum reddit inventu difficiliorem; hinc alii eum ita exceperunt: *tempore, quo consummata fuerint eorum peccata.* Vates: *tribubus*, addit, *Israeliticis indicavi*, *quod verum est*, scil. *ne sine monitu divino cadant.* נֶאֱמָנָה, formula affirmationis, *id quod verum est*, cf. Drusius ad h. l., quemadmodum usitatius אָמֵן. Foemininum enim hoc nexu saepius ut neutrum ponitur, cf. Glass. Phil. S. p. 51. Gesen. Lehrgeb. p. 661.

VII.

Cap. V, 10. — VI, 3.

Principes Iudae similes sunt removentibus terminos. Velut aquam super eos indignationem meam effundam. 11. Iusto meo iudicio oppressus est et contritus Ephraim, quoniam proterve sequi-

V, 10.
tur vanas institutiones. 12. Ceu teredo corrodam
Ephraimum, ceu putredo absumam quoque do-
mum Iudae. 13. Sentiat Ephraim morbum suum
et Iuda ulcera sua, confugiat Ephraim ad Assy-
rios, mittat ad regem Iareb. Iste non poterit vos
sanare, nec medebitur vulneri vestro. 14. Equi-
dem enim quasi leo irrumpam in Ephraimum,
quasi leo rugiens in domum Iudae. Ipse, ipse,
inquam, eos lacerabo, eosque prehensos abducam,
nec quisquam eos liberabit, 15. abibo rediens in
locum meum, donec culpam suam agnoverint et
benevolentiam meam reconciliare studuerint. Nam
in tantis suis angustiis me tandem studiose quae-
rent. VI, 1. Agitedum! Revertamus ad Ie-
hovam. Nam iste lacerans nos quoque sanabit,
vulneribus percutiens obligabit nos. 2. Altero die
nobis vitam restituet, tertio nos eriget, ut rursus
ei accepti vivamus. 3. Sapere incipiamus et stu-
dio diligenti protendamus cognitionem Iehovae,
cuius velut aurorae egressus paratus est. Veniet
nobis ceu pluvia, ceu pluvia serotina terram irri-
gatura.

---

10. Recepit vates intermissam per aliquod tempus seriem improbationum suarum in Iudaeos, qui in dies impudentius flagitiorum et impietatis Israeliticae participes facti erant. Principes eorum, qui hucusque honorem non fucatae pietatis servaverant, magis magisque aberraverant a recta via. Quod potissimum de rege Usia valuit, qui specie pietatis negligentiam et petulantiam animi occultaverat. Intraverat rex in sanctum sanctorum, ut sacrificia faceret 2 Chron. 26, 16—21., quod solummodo summo pontifici demandatum erat Num. 18, 4, 7. 32. Ad haec tempora respexisse vide-

tur vates, cf. introd. p. 68 sq. שָׂרֵי יְהוּדָה ponitur pro הַמֶּלֶךְ יְהוּדָה, nimirum Usia s. Asaria, ut parcat regi e stirpe Davidis orto. Nec erat quod digitis monstraretur, cuius protervia poenaque omnibus esset notissima.

הָיוּ כְּמַסִּיגֵי גְבוּל: *pares sunt iis qui terminos movent*, quibus gravissimae poenae a Deo denunciatae erant Deut. 19, 14. 27, 17. Rex ille nefarius vere par erat huiusmodi nefariis, non quia lapides terminales, sed fines politicae et sacerdotalis potestatis a Deo ipso positos removerat. Reliqui interpretes verba nostra in universum posita esse putantes, similitudinem in eo tantum quaerunt, quod principes ad regendum populum a Deo vocati libidinibus se dederint bonaque subditorum vi et fraudibus ad se rapuerint. Ita Schmidt: *tertium comparationis putamus esse effrenatam peccandi libidinem nullum amplius modum, nullam verecundiam observantem.* Hieronymus ita explicat, ac si sermo sit de serioribus temporibus, *ubi principes Iudae, qui post deletum imperium Israeliticum flere debuissent, coeperint gaudere et laetari, quod sibi pateret terra ad possidendum latius, et facti sint quasi assumentes terminos Israel, transeuntes fines suos et in locis alienis regnum et possessionem dilatare cupientes.* עֲלֵיהֶם אֶשְׁפּוֹךְ כַּמַּיִם עֶבְרָתִי: *effundam super eis velut aquam indignationem meam* i. e. *tam abunde ac si aqua effundatur.* Ex eo, quod similis locus Ies. 8, 7. invenitur, ubi Deus dicitur *adducturus vehementem et abundantem fluvii aquam* h. e. *regem Assyriae cum omni apparatu*, non sequitur nostrum vatem cogitasse de iisdem Assyriis. Est enim *aqua* omnino *imago abundantiae* Num. 24, 7. Iob. 3, 24., quae ut in illo loco Iesaiae *copias Assyriorum*, sic h. l. *copiam indignationis divinae* indicat. Quodsi, ut opinor, vates de protervia regis Usiae locutus est, nimirum alio etiam sensu verba illa adhibuit, scil. *ut aquâ effusâ totum corpus inundatur, sic super corpus leprosi regis lepra effunditur, ut prorsus eâ tectum sit.* עֶבְרָה: *poena, quam Deus iratus infert*, cf. Prov. 11, 4. Zeph. 1, 15. 18.

11. Exhibet autem rex ille impius et foetidâ poenâ adfectus effigiem omnibus posteris Iacobi. Ut enim

V, 11. 12.

ille meritas proterviae poenas luit, ita primus Ephraim punietur. עָשׁוּק אֶפְרַיִם רְצוּץ מִשְׁפָּט: *oppressus et contritus est iudicii* i. e. *iusto meo iudicio*, *cf. Exod*, 22, 29. *Genitivus est efficientis*, *ut Ies.* 53, 4. Michaelis ad h. l. Ob praecedentem enim statum constructum vocem מִשְׁפָּט vim genitivi habere Grammatici docent. Hebraei interpretes exhibent ablativum, Iarchi מיוסר ביסורין: *castigatus castigationibus*, Kimchi במשפטים קשים: *duris iudiciis.* Simplicius adhuc videtur et usui vatis accommodatius substantivum מִשְׁפָּט pro adverbio positum esse, ut sit: *iuste.* Sens.: *iuste meo iudicio oppressus est Ephraim*, quemadmodum 12, 15. תַּמְרוּרִים, 13, 13. עֵת, 14, 5. נְדָבָה, cf. Glass. Phil. S. pag. 364. הוֹאִיל הָלַךְ אַחֲרֵי צָו, constructio asyndeta: *instituit* s. *proposuit sibi sequi* i. e. *proterve sequitur*, ut Deut. 1, 5. הוֹאִיל בֵּאֵר אֶת־הַתּוֹרָה, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 823. צָו semel praeterea occurrit Ies. 28, 10. 13., ibidem, ut nostro loco, significatione quadam contemtus et ambiguitatis. Ex utroque loco intelligitur hoc nomen, quamquam originem duxerit a צָוָה, quod bono sensu etiam de Dei praeceptis occurrit, tamen usitatum fuisse de vanis et stolidis institutionibus. Antiqui sine dubio legerunt צוֹ s. צוא LXX.: ἤρξατο πορεύεσθαι ὀπίσω τῶν ματαίων, Syrus: *post vanitates*, Hieron.: *coeperunt abire post sordem* i. e. *post idola*, *quae sordibus comparantur.* Chald.: *ad errandum post fallaces divitias*, Dathe legit שָׁוְא *vana idola.* Item Liveleius ex permutatione literarum, quae inter se affines sunt et commutabiles, quemadmodum Nah. 3, 18. נָפֹשׁוּ pro נָפֹצוּ, et ex usu nominis שַׁוְ Iob. 15, 31 Verum, ut de Rossi monet, contra omnium codicum auctoritatem.

12. Propius accedit ad significandam imaginem infelicissimi morbi regis Usiae. *Ero Ephraimo quasi* עָשׁ: *vermis*, *qui corrodit vestes et corpora*, non tantum *tinea infensa vestimentis*, nam Ps. 39, 12. et Iob. 4, 19. aperte adhibetur de *vermibus homines eorumque*

venustatem absumentibus, fere id quod Latinis *teredo*. Nomen ortum e radice עָשֵׁשׁ Arab. عَشَّ: *rodere*. Cum in sequenti commate רָקָב: *putredo* addatur, parallelismus praecedens עָשׁ ita illustrat, ut sit: *vermis carnem corrodens*. LXX. utrumque verbum metaphorice intellexerunt, ita: ἐγὼ ὡς ταραχὴ (conturbatio) τῷ Ἐφραὶμ καὶ ὡς κέντρον (*pernicies*, ut 1 Cor. 15, 35.) τῷ οἴκῳ I. Hieronymus vertit illud *tineam*, hoc *cariem*: *quorum alterum vestes, alterum ligna consumat. Ut enim*, addit, *utrumque longo sit tempore, ita Deus et 10 tribubus, et postea duabus longo tempore dans locum poenitentiae et eas provocans ad salutem primus consumet Ephraim, deinde et domum Iuda.* Nobis autem hic sensus verbis inesse videtur: *ut rex ille lepra carnem corrodente eamque putrefaciente a Deo adfectus est, ita typum exhibet, utrique imperio: Ephraim corrodetur, Iuda absumetur.*

13. Iterum tales dictiones addit vates, ut illi imagini inhaesisse videatur. Vocat enim conditionem Ephraimi *morbum* et Iudae *ulcera*, dicit porro *Ephraimum arcessere medicum, qui aegrotum curet*, denique adfert *illum medicum nullam istius morbi medicinam habere*, quemadmodum sanatio leprae Deo ipsi, vel, quod Iudaeis idem erat, sacerdotibus servata erat Lev. 13. 14. 2 Reg. 5, 7. וַיַּרְא: *animadvertat, sentiat*, ab uno sensu oculorum ad omnem sensum infortuniorum translatum legitur quoque Ies. 44, 16. Thren. 3, 1. Eccles. 3, 13. חָלְיוֹ: *morbum suum*, imagine ademta: *miseriam, publicam solutionem qua civitas laborat.* מָזוֹר, ut Obad. 7. Ier. 30, 13., optimi interpretes vertunt: *purulentum vulnus* a זוּר: *exprimere*, cf. Rosenmuell. ad h. l. Sens.: *Iuda quoque particeps fiat eiusdem miseriei.* Typus enim de utraque gente valet. Nunc arcessant Ephraimitae medicum, qui res restituat. Vidimus in introductione p. 8. Assyrios sub rege Menahemo primos irruisse in Palaestinam, nimirum vocatos a Tiphsaitis incolis urbis a Menahemo obsessione pressis regemque Menahemum illos Assyrios magno pretio conduxisse, ut amicitiam secum inirent, cf. 2 Reg. 15, 16. 19. 20. Hanc vicem

V, 13.
in mente habuit vates, non autem tempora regis Pekahi, qui non Assyriorum, sed Syrorum foedus contra Iudaeos quaesivit.

וַיֵּלֶךְ אֶפְרַיִם אֶל־אַשּׁוּר: *abeat* i. e. *confugiat Ephraim ad Assyrios*, ut eorum auxilium imploret, וַיִּשְׁלַח אֶל־מֶלֶךְ יָרֵב. Plures interpretes, quorum primum inveni Iarchium, hoc comma ad Iudaeos retulerunt. Verum si vates rem de Iudaeis intelligi voluisset, non liquet, cur id non diserte commemoraverit. Eum autem postulavisse, ut de aliqua re, cuius in verbis nulla mentio fit, cogitaretur, nimis ineptum fuisset et Hosea omnino indignum. Id sentientes nodum ense dissecant, dum, ut ipse Kuinoel fatetur, contra omnem versionum et codicum auctoritatem nomen יְהוּדָה in textum recipiunt, idque excidisse e vulgari tectu censent. *Nam*, aiunt, *Iudaeorum rex Ahas aliquando regem Assyriorum Tiglath-Pileserem in auxilium vocavit, qui nunc nomine regis Iareb insignitur*, vid. Kuinoel ad h. l. Verum id multo serioribus temporibus factum est, et quantis angustiis rerum! Postquam Pekah rex Israelitarum, scelestissimo foedere cum Syris facto, Iudaeos adortus fuerat. Num cogitari potest, vatem, qui nil antiquius habuit, quam ut omnes 12 tribus restituerentur sub imperio unius regis e familia Davidis c. 1-3., si illo tempore hanc nostram prophetiam edidisset, tantam tamque deplorabilem vicem reticuisse? Vel fac eius qualemcunque mentionem illum facere voluisse, num menti excidere potuit Ephraimitas tunc temporis non Assyriorum, sed Syrorum, מֶלֶךְ־אֲרָם, foedere se contaminasse? Qui talia contendat aeque ex arbitrio agere videtur, quam S. V. Kuinoel, qui sine omni ratione et argumento ad h. l. pag. 32. ita disserit: אַשּׁוּר. *Equidem intelligerem h. l. per Assyrium Rezinum Syrorum regem. Atque hoc nomine propheta per ironiam usus esse videtur.* Alii interpretes opinionem, Israelitas misisse ad Assyrios, Iudaeos ad regem Iareb, historiae melius adaptaturi in primo commate sermonem esse de pactis Israelitarum cum rege Phulo tempore Pekahi et Ahasi contendunt, quae circiter spatio 20 annorum inter se distant. At quis serio sibi ipsi per-

suadere poterit, vatem tam diversa tempore et ratione inter se miscuisse, cuius dissertationes et cohortationes semper ad praesentem reipublicae statum pertinuerint, quasque, ut animos moverent, e rebus coram oculis gestis ideoque intellectu facillimis repeti oportuerit? Subsistamus igitur in simplicissima explicatione, utrumque comma referendum esse ad Israelitas, et ad pacta eorum cum Phulo rege Assyriorum. Iudaeos ita monere non potuit, quoniam eodem tempore pacta cum aliquo rege barbaro non iniverant, quippe quorum res tempore Usiae et Iothami ita florerent, ut adeo barbaros sibi subditos facerent, cf. 2 Chron. 26. 27. Ex totius loci contextu videmus, vatem pingere res Israelitarum maxime deperditas, quibus regis leprosi typus iam eventu comprobabatur, monere autem Iudaeos, ut exemplo illorum meliora edocti abhorrerent ab impietate, ne consortes fierent eiusdem eventus. Descripserat v. 11. Israelitarum miseriam tamquam iudicium, מִשְׁפָּט, iamiam iis exhibitum. Describit nunc perversa eorum conamina res admodnm labefactatas restituendi, et exemplo eorum addit: *videbitis vos Iudaei, et ipsi Ephraimitae sentietis nullam medicinam esse, nisi penes Iehovam.* Nil aliud usque ad 6, 3. continetur. Futura abbreviata autem cum ו conversivo propria sua significatione modum coniunctivum s. concessivum indicare videntur. Sic optime suo loco sunt inter futura purae significationis v. 10. et alterius commatis nostri versus, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 288.

Nomen autem מֶלֶךְ יָרֵב, de quo interpretes multa disseruerunt, mihi videtur aeque symbolicum, ut plurima nomina in vate nostro obvia, v. c. liberorum 1, 6. 9., Bethaveni 4, 15. 5, 8., vallis Achor 2, 17. Aptissimum est propter duplicem sensum verbi רִיב, a quo derivatum est. Indicat enim et *oppugnare*, et *rem alicuius gerere*, vid. Gesen. sub h. v. Implorarunt Israelitae *defensorem*, consecuti sunt *oppressorem*. Utraque significatio in nomine illo symbolico inest. Ad verbum: *rex dimicabit.* Acquievimus in nomine proprio; *rex Iareb*, ut LXX. πρὸς βασιλέα Ἰαρείβ, pro quo in aliis Codd. Ἰαρείμ, quod nimirum vitio librariorum irrepsit.

Hieron. vertit: *ad regem ultorem.* Demonstrat enim e loco Iud. 6, 32. יָרֵב, vel uti legisse videtur cum LXX. יָרִיב, esse i. q. ἔκδικον s. ἐκδικητήν: *ultorem* scil. *iudicem.* *Qui quidem non verus ultor fuerit, nec eos adversante Deo liberare potuerit.* Chald.: *ad regem qui veniet et animadvertet in eos.* Eichhorn vertit: „dem Berather." Posset quidem si placeret verti: „dem Anwald," sed V. Illustrissimi versio etymologiae nominis plane repugnat. De Wette: „der König der rächen soll." In multis aliis de hoc nomine coniecturis a vero longissime recedunt, qui (ut Kimchi, Schmidt aliique) contendunt, fuisse Iareb: *urbem Assyriae,* eamque positam pro universa Assyria.

At iste non poterit vos sanare nec medebitur vulneri vestro. Uti enim ille foetidus morbus a nemine sanari potest nisi a Deo ipso, qui per sacerdotes arcanam medicinam contaminatis instituit, ita nemini Israelitarum aliunde auxilium quaerenti salus contingere poterit. יִגְהֶה, ἅπαξ λεγόμενον, cum cognato suo substantivo גֵּהָה Prov. 17, 24. de medicina adhiberi iubet in utroque loco parallelismus. Alii derivant a verbo Syriaco, quod est *fugere,* ut h. l. Hiphil sit *fugare, depellere.* At Syrus ipse vertit: *neque sanabit a vobis dolorem vestrum.* Nonnulli codd. ap. de Rossium huius inusitati verbi loco legunt יְהָגֶה: *amovebit.* LXX. οὐ μὴ διαπαύσῃ ἐξ ὑμῶν ὀδύνη. Hieron.: *nec solvere poterit a vobis vinculum,* quae explicatio vocis מָזוֹר licet ex etymologia, exemplis certe probari non potest.

14. *Ego iste sum, qui morbo et vulneribus Vos percussit.* Quod enim iusto meo iudicio fit, nemo hominum interpellabit. Imago vermis carnem corrodentis crescenti indignationi vatis non satisfecit; itaque aliam gravioris momenti addit, nempe leonis, qui non corrodit sed lacerat. Notio lacerationis non abest ab effigie leprosi regis. Nam ille foetidus morbus lacerabat hominem, carnem eius et paullatim praestantiores corporis partes absumens, cf. Lund. Iüd. Heiligth. l. 3. c. 51. pag. 671. De eo, quod leo prorsus discerpat et destruat praedam, sermo esse non potest; nam porro

vates *leonem*, addit, *ablaturum esse praedam in suum habitaculum, laceratam quidem, sed non ita ut restitui non possit.*

שַׁחַל sec. Bochart. Hieroz. I, 717. est: *leo nigricans, qui in regionibus Syriae degit*, cf. Plin. H. N. 8, 17., quamquam nulla alia causa huius definitionis esse videtur, quam similitudo verbi שָׁחֹר et שַׁחַל. Secundum Gesenium in Lex. ad h. v. *melius: Epitheton poeticum: rugiens*, cf. *Arab.* سُحَال: *vox in pectore reciprocata, spec. rugitus* i. e. *leo*. Leonem enim intelligendum esse, in eo omnes interpretes consentiunt, praeter LXX. qui verterunt πανθήρ. Sed eorum auctoritati fidere non possumus, quoniam idem verbum Ps. 91, 13. vertunt ἄσπις, Iob. 4, 10. λεαίνη, 10, 16. λέων. כְּפִיר: *leoninus pullus*, LXX. λέων, Hieron.: *catulus leonis*. טָרַף non habet notionem rapiendi, sed *discerpendi, lacerandi*, cf. Deut. 33, 20. Gen. 37, 33. Ps. 7, 3. 50, 22. Verbum וְאֵלֵךְ: *abibo*, rursus innuit id, quod antea saepius dictum erat: *Deum missurum esse utramque gentem, si resipiscere moresque emendare noluerint.* Membra sunt rursus parallela: אֶטְרֹף וְאֵלֵךְ: *lacerabo et abibo*, scil. *eos punitūrus ita me geram, ut* eorum hypocriticas preces non exaudiam. אֶשָּׂא וְאֵין מַצִּיל *auferam et nemo eos liberabit* scil. a poenis iis destinatis. Significatio imaginis in verbo אֶשָּׂא *auferam*, non anxie est quaerenda. Nil inest nisi hoc: *ut leo rapinam lacerat et secum abducit, ut nullo modo ipsi evadere possit, sic illi, qui per flagitia sua rapina indignationis meae facti sunt, nec idolorum ope, nec Assyriorum, nec aliorum barbarorum auxilio redimi poterunt.* Certe de abductione in exilium vates h. l. non cogitavit.

15. Repetit verbum אֵלֵךְ, ut melius intelligatur, quid sibi voluerit. *Abibo reversurus in locum meum.* מְקוֹמִי. Tropice locus Deo tribuitur, tropo a leone sumto. Sicut leo revertitur post rapinam in speluncam suam, ita Iehova se abscondet ab iis postquam poenis eos afflixerit, eorum preces hypocriticas non curabit nec

V, 15.
amplius iis propitius erit, ita tamen, ut semper eorum sortem moderaturus sit, quod indicavit posterioribus verbis versus 14. *auferam nec quisquam eos e potestate mea redimet.* Alii, ut Lutherus, hic novam orationis partem incipiunt, ita ut nunc a minis ad consolationes transierit vates, ac si dixisset: *Poenae illae non propterea illatae sunt, ut prorsus pereatis, sed si reversi fueritis ad meliorem frugem me semper paratum habebitis ad vos salvandos et beandos.* Hieronymus ita: *quod quidem dicat: vadens revertar ad locum meum, i. e. magnificentiam et maiestatem; ita debemus accipere, ut nequaquam propter dispensationem descendat ad homines, irascatur, misereatur, obliviscatur, mutetur in bestias, sed spernat res humanas et permittat eos, quos antea protegebat, hostibus subiacere ut tabescant et deficiant et intereant et propterea quaerant faciem domini.* Quae vere est egregia Deoque dignissima descriptio divinae providentiae et ad amplificandum tropum nostri loci optime valet. עַד אֲשֶׁר־יֶאְשְׁמוּ. LXX. ἕως οὗ ἀφανισθῶσι: *donec dispereant*, et Hieron.: *donec deficiatis.* Uterque de poenis culpae contractae verbum אָשַׁם ceperunt, ut nonnunquam fit, v. c. Ps. 34, 22. 23. cet. Verum omnis nexus docet h. l. sensum esse: *donec agnoverint reatum suum;* nam secundum Glass. Phil. S. p. 225. verba, quae *fieri*, *esse*, vel *agere* significant nonnunquam pro rei *cognitione* ponuntur. Ita verbum nostrum occurrit Lev. 5, 1—5. Zach. 11, 5. cet., cf. Chald.: *donec agnoverint se peccasse.* וּבִקְשׁוּ פָנָי: *et quaesierint faciem meam.* Formula solennis de consultatione Iehovae in templo Hierosolymitano, quod Dei maiestate inhabitari dogma erat religionis Mosaicae, cf. 2 Sam. 21, 1. 2 Chron. 7, 14. Ps. 105, 4. Verum cum פָּנַי saepius ad circumscribendam personam ponatur (cf. Prov. 7, 13. Ez. 6, 9. Ps. 17, 15.), בִּקֵּשׁ פְּנֵי־יְהוָה est i. q. בִּקֵּשׁ אֶת־יְהוָה: *Deum i. e. auxilium eius pia mente quaerere*, cf. v. 6.

Addit denique vates spem, fore, *ut tandem angustiis et miseriis attoniti pio animo se ad Iehovam convertant.* בַּצַּר לָהֶם i. q. בַּצַּר אֲשֶׁר לָהֶם, circumscriptio genitivi, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 673. *in calamitatibus suis.*

יְשַׁחֲרֻנְנִי: pr. *mane me quaerent* i. e. *sedulo et sollicite me quaerent, desiderium mei sentient* Ies. 26, 9. Ps. 63, 2.

VI, 1. Priores 3 versus huius capitis interpretes praeeuntibus LXX. ita cum praecedentibus copulaverunt, ut insuerent verbum λέγοντες: *dicentes*. Verum non video cur hoc supplemento opus sit, quod semper aliquid duri et salebrosi infert orationi. Optime et clarissime tenor orationis mihi procedere videtur, si statuimus his nostris versibus contineri quasi corollarium totius prophetiae, exhortationem vatis ad cives, ut tandem id faciant, quod secundum v. 15. Deus in loco suo exspectet. לְכוּ habet vim convocationis et exhortationis, ut Lat. *agite dum*, cf. Gen. 27, 37. 37, 20. 27. Ier. 18, 18. Ion. 1, 7. Contemplatur enim vates sortem patriae ac si ipse miseriam eius ferat atque se praeiturum fingit salutem quaerentibus. *Revertamur ad Deum pia mente et intelligamus, ut poenae ab eo inflictae sunt, ita ab eo solo nobis contingere posse auxilium. Deus enim laceravit, ergo sanabit nos, percussit, ergo obligabit nos.* חָבַשׁ de obligatione chirurgica vulnerum saepius occurrit, v. c. Iob. 5, 18. Ez. 34, 4. 16. Iterum membra parallela habemus. Respiciunt autem ad 5, 14.

2. Celerrimum et perfectum auxilium Dei vates populo promittit. *Ut primum enim ad Deum nos contulerimus, recuperabimus pristinam nostram salutem ipsique rursus erimus accepti.* Id exprimit imagine graduum et dierum sanationis. מִיֹּמָיִם: *a biduo* i. e. *altero die* ab initio curationis. Ita intelligi hoc verbum sequens הַשְּׁלִישִׁי docet, quod praeter omnem dubitationem est: *tertio die*. Primum corpus laceratum et saucium obligat, ut vivere possit; altero die vitam ipsi restituit; mox, tertio iam, eius benevolentia tecti felices erimus. יְחַיֵּנוּ: *vitam nobis restituet.* Restitutio vitae rursus tropico modo spectat ad 5, 14. Dentibus leonis laceratus vivere non posse fingitur. Sic infelix conditio utriusque gentis morti similis erat, omnes vires fractae, omnis pietas absumta. Ex qua conditione lethali ante omnia gens excitanda erat. *Ita-*

VI, 2.

que altero die, inquit, *vitam nobis restituet, vires nostras firmabit* et *sentiendi agendique, quae Deo placeant, facultatem recreabit.* LXX. ὑγιάσει ἡμᾶς, quod quidem sensum multo altiorem vatis nostri non assequitur. הַשְּׁלִישִׁי יְקִמֵנוּ: *tertio nos eriget.* A morbo lethali ad vitam revocatus nondum e lecto surgere potest. At celeriter procedet sanatio, etenim *tertio die nos surgere faciet, ut penitus restituti pristina felicitate fruamur.* Itaque non tantum vivemus, sed נִחְיֶה לְפָנָיו: *vivemus coram eo* i. e. *ei accepti.* Quo sensu nostra locutio saepius occurrit, cf. Gen. 17, 18. *o si Ismael viveret* לְפָנֶיךָ, Ps. 19, 15. *sit mea meditatio* לְפָנֶיךָ. Dei enim benignitate frui, id pio postero Iacobi omnium beneficiorum, quae Deus patribus contulerat, memori pignus et conditio erat certissimae felicitatis. Postquam autem vates omnia mala orta esse e divina indignatione saepius monuerat, nil maius favore et benevolentia Dei promittere poterat.

Mirari non possumus hunc locum mysticis explicationibus occasionem praebuisse. Iudaei *primum diem* de Aegyptiaca servitute, *alterum* de Babylonico exilio, *tertium* de praesenti dispersione inter gentes et de liberatione adhuc per Messiam speranda interpretati sunt. Alii Hebraeorum monente Grotio ex hoc loco sibi fingunt: *intra triduum absolutum iri postremum et universale iudicium.* Patrum nonnulli putant indicari tres status s. tempora humani generis, *primum* sub Adamo, nempe sub peccato, *secundum* in Christo respirantem gratiam, *tertium* cum Christo adspirantem ad resurrectionem. Hieronymus intelligit *tres Christi adventus,* 1) *humilem in carne,* 2) *in gloria cum resurrexerit a mortuis,* 3) *cum veniat iudicaturus.* Christiani seriores de resurrectione Christi vaticinium reperiunt, v. c. Luther. Schmidt; *litera*, ait, *scripturae retineri debet, ubi potest, et ad contextum hic optime quadrat, nam poenitentes se consolantur merito Christi, vi cuius post biduum mortis suae tertio die resurgens ipsos vivificaturus sit. Tertius dies, qui post biduum est, est dies tertius Christi Iehovae vivificantis, tertius nempe post mortem eius. Unde non intelligendum est post biduum nostrum, sed post biduum suum, die tertio suo.* Nitun-

tur isti interpretes potissimum loco Pauli 1 Cor. 15, 4., ubi expressis dicitur: *resurrexisse Christum die tertio iuxta scripturam. Nullus enim*, aiunt, *V. T. locus si ab hoc recedamus, proferri potest, qui* κατὰ τὸ ῥητὸν *diei tertii mentionem tam diserte faciat: unde merito Apostolum ad hunc ipsum respexisse statuendum est.* Quod autem dicatur, non de Christo sed de nobis in plurali sermonem esse, facili negotio solvunt: *siquidem tertio die non in nostra persona sed in Christi persona vivificati sumus secundum Eph. 2, 5. Deus vivificavit nos in Christo et resuscitavit.* Cum igitur Hoseas praedixerit: *Deus tertio die vivificabit nos*, id in Christi resurrectione impletum a Paulo indicatum esse contendunt. Notatu dignum praeterea est, ipsos Rabbinos veteres hunc locum docuisse esse vaticinium de Messia tertio die resuscitando, vid. Galatinus de arcana Cathol. veritate l. 3. c. 12. et l. 8. c. 22. cf. Io. Schmidt commentar. in Hoseam p. 293. Chald.: *Vitâ donabit nos in diebus consolationis, qui venturi sunt, in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos et vivemus coram eo.*

3. Pergit vates in exhortatione sua. וְנֵדְעָה: *sapere incipiamus*, uti Ps. 73, 22. Ies. 32, 4. al. et ap. nostr. 4, 6. Quae autem sapientia appetenda sit, docet sequens comma, nimirum דַּעַת אֶת־יְהוָה, ut 4, 1. דַּעַת אֱלֹהִים: *cognitio Dei, quae gignit pietatem.* Qui enim Iehovam probe cognoscit, non potest eum non diligere et pie revereri. לָדַעַת pr. est inf., unde נִרְדְּפָה לָדַעַת אֶת־יְהוָה: *protendamus ad cognoscendum Deum.* LXX. διώξωμεν τοῦ γνῶναι τὸν Κύριον.

כְּשַׁחַר נָכוֹן מוֹצָאוֹ respicit ad imaginem 5, 15.: *cuius egressus* (scil. *e loco suo*) *nunc paratus est*, non ut olim leonis ad lacerandos impios, sed *ut aurorae ad homines recreandos probe conversos.* Suffixum וֹ vim habet relativi, cf. introd. p. 106. Mane aurora, interdiu pluvia homines recreat, quarum illa torpore somni, haec languore aestus membra relevat. Innuit illa simul maiestatem, haec voluptatem et utilitatem, quae utramque comitantur: maxime in illis orientalibus re-

VI, 3.
gionibus. Intelligitur autem sigillatim sub גֶּשֶׁם, quae etiam יוֹרֶה vocatur, v. c. Ies. 5, 24., cum opponatur voci מַלְקוֹשׁ: *pluvia autumnalis*, quae Hebraeorum septimo anni mense, nostro fere Octobri post iactam sementem in illis orientalibus regionibus incipit et 3 menses durat, Hebraeis igitur *prior anni*, LXX. ὑετὸς πρώϊμος· מַלְקוֹשׁ autem est: *posterior* s. *verna pluvia* mensis Martii, quae ante messem cadit ubertatem terrae promovens, LXX. ὄψιμος. Praeterea paene nunquam in illis regionibus pluit, cf. Deut. 11, 14. vid. Roehr Palaestina p. 73. all. Eichhorn ab hac interpretatione topologiae accommodatissima recessit: „Wohlthätig wie ein Regen wird er kommen, wie ein Gewitterschauer, der das Erdreich tränkt."

VIII.

Cap. VI, 4 — 11.

Quid tibi faciam Ephraim, quid faciam tibi Iuda? quorum pietas similis est nubi circa diluculum, rori mane evanescenti. 5. Propterea incidi iis dicta prophetarum, penitus percussi eorum animum sermone meo. Nunc iudicium meum in lucem prodibit: 6. quod animi bonitate delecter non sacrificis, et vera Dei cognitione magis quam holocaustis. 7. Illi autem ut Adamus foedus violaverunt, in illo ipso foedere perfide contra me egerunt. 8. Quod attinet ad Gilead, civitas ibi est facinora patrantium vestigiis sanguinolentis conculcata. 9. Velut insidiantes agmini armatorum conspirati sacerdotes in via Sichemum versus trucidant, itaque scelera praemeditata patrant. 10. In domo Israelis animadverti horrendas res. Ibi

pravus idolorum amor inhaeret Ephraimo, contaminatus est Israel. 11. Ipse quoque Iuda culpa tua messem faciet tristissimarum calamitatum.

Novum fragmentum vaticiniorum vatis nostri, quod neque cum praecedentibus neque cum sequentibus cohaeret, cui scelera illis temporibus commissa omnibusque notissima, ut v. c. sanguinolenta trucidatio regis Pekaiae, occasionem praebuerunt, cf. introd. p. 70. Exortum videtur ex indignatione prophetae propter mores suorum irreparabiles eosque non solum Israelitarum, verum etiam Iudaeorum. Spem aluit fore, ut resipiscerunt, sed spem deceperunt, ut nubes matutina spem decipere solet arvorum sitientium v. 4. Non attenderunt monitis prophetarum sacra eorum spernentium et probitatem pietatemque illis praeferentium v. 5. 6.; dum foedere se Deo iunctos esse gloriabantur, flagitia commiserunt v. 7. eaque tam gravia v. 8. 9., ut non tantum omnis Israel v. 10., sed etiam Iuda contaminaretur v. 11.

4. *Quid tibi faciam Ephraim et quid tibi Iuda?* Non dubium Iehovae hac interrogatione indicatur, sed eleganter pingitur magnitudo depravationis gentis Iacobiticae, quae hucusque omnes institutiones Dei ad ipsius salutem irritas fecerat nec beneficiis olim collatis, nec irruentibus miseriis ad sanam mentem redierat, cf. II, 8. *Nil*, inquit, *superest. Evenient, quae saepe minatus est Deus, et quae aegre evenire iubet.* וְחַסְדְּכֶם. Plures codd. ap. Kennicottum et de Rossium omittunt ו, quod etiam abesse potest, ubi autem retinetur, relativum designat. חֶסֶד, si de hominibus dicitur, nomen est amplissimae significationis, non tantum *benevolentiae*, ut 4, 1., sed *pietatis erga Deum* 10, 12. Ies. 57, 1. Ier. 2, 2., non ea quidem, quae timore et reverentia, sed quae benevolis animi motibus factisque cernitur, quod v. 6. egregie docetur. *Similis* autem

VI, 4. 5.

haec vestra pietas est nubi matutinae et rori mature evanescenti: כַּעֲנַן־בֹּקֶר וְכַטַּל מַשְׁכִּים הֹלֵךְ. In regionibus illis, ut omnes descriptiones Palaestinae referunt, praeter illas pluvias autumnales et vernales v. 3. fere semper aër siccus est et imbre caret. Surgunt quidem noctu nubes, sed sole orto disperguntur. Ideo haec imago rei cito transeuntis saepius occurrit, cf. Ies. 44, 22. Iob. 7, 9. et in N. T. Iud. 12. vid. Michaelis ad h. l. Sens.: *illis nubibus similis est vestra pietas, quam hypocritico cultu vestro significatis. Ubi enim tempus est fructus eius exhibendi probe et benevole gestis, evanescit velut nubes, quae pluviam promittit, verum non effundit. Pariter similis est rori. Mature transit ut iste; non enim e pectore venit. Simulatis quidem in vestro nefario cultu vos esse plenos reverentiae erga Deum, sed ubi in lucem proferenda est moribus vestris, omnis ut ros prae sole evanescit.* Hieronymus singulari modo חַסְדְּכֶם ita explicat: *misericordia vestra, qua semper vobis misertus sum, ceu nubes matutina transiit et quasi ros mane exsurgens, qui sole orto siccatur. Iam enim captivitas prope est, iam video vos abduci in Assyrios et Babylonios, catenatos.* Aliam huius tropi, Abarbanelis, explicationem ex historia Iudaeorum adfert Rosenmueller ad h. l.: *etsi imperii sui initia bona fecerit Iehu, ultima tamen prorsus corrupit.*

5. עַל־כֵּן: *propterea quoniam tam perversi estis* et omnis vestra pietas vana est. חָצַב et הָרַג h. l. nec necem corporis eiusque comminationem, nec, ut nonnulli volunt, interitum patriae, sed *doloris plenissimam commotionem animi* et *percussionem letiferam mentis elatae* indicant. Id Hieron. optime explicat: *dolavi eos in prophetis et verbis terribilibus comminatus sum, scalpellum, ignes et cauteria protuli, ut, qui clementem contemnebatis, timeatis offensum, et occîdi negligentes in verbis oris mei, ut peccatores verborum terrore punirem.* Verba ipsa hanc explicationem postulant. חָצַב enim est *caedere, incidere, excidere* Ies. 5, 2. 10, 15. 22, 16. Deut. 6, 11. Ad חָצַבְתִּי pronomen ם e sequente parallelo verbo supplendum est. Itàque *cecîdi eos per prophetas* nil aliud esse potest nisi: *incîdi in animos*

eorum dicta prophetarum. הֲרַגְתִּים בְּאִמְרֵי־פִי metaphorice intelligendum esse docet et parallelismus commatis prioris, et res ipsa. Deus enim nec interfecit, nec dolavit utramque gentem, verum cives monuit monitisque suis iis minime pepercit, usque ad medullam eos tetigit animumque eorum penitus percussit. Verbum הָרַג aliis quoque locis metaphorice adhibetur, v. c. Ps. 78, 47. *grandine interfecit* i. e. *percussit vitem.* Similiter *verbum Dei* metaphorice dicitur *anceps gladius penetrans usque ad divisionem animae et spiritus, compagum et medullarum* Hebr. 4, 12. Sens.: *omnia adhibendo, si quid forte ad sanam mentem reduceret meum populum, locutus sum cum eo per prophetas et ita eius animum concutere studui.* Alii, ut Eichhorn et Gesenius in lexico ad h. v., verba חָצַב et הָרַג accipiunt pro synonymis: *interficere, perdere,* et sensum utriusque commatis hunc esse dicunt: *indicavi iis per prophetas meo nomine loquentes interitum, quoniam,* aiunt, *nonnunquam in SSa fieri dicuntur, quae facienda modo praedicuntur.* Explicatio, quae quidem sensum, verum non propriam verborum significationem tetigit. LXX. quoniam pronomen suffixum in verbo הֲרַגְתִּים ad prophetas eosque falsos transtulerunt, ita: *ἀπεθέρισα τοὺς προφήτας ὑμῶν, ἀπέκτεινα αὐτοὺς ῥήματι στόμ.,* ut secundum Hieron. sensus sit: *ne diceretis: prophetis credidimus, etiam ipsos interfeci, ut omnis vobis tolleretur peccandi occasio.* Hos multi veterum et recentiorum secuti sunt, v. c. Syrus, Ebn Esra, Schmidt al. Lutherus versionem Germanicam „ich hoefle sie durch die Propheten," in comment. ipse illustravit, ut sit: „ich behoble sie durch d. Pr." Dathe in tertia editione Proph. Minn. prius verbum cum Michaele vertit: *fulminavi,* ut idem sensus sit: *petivi s. proieci eos.*

In postremo commate lectio ita restituenda videtur: וּמִשְׁפָּטִי כָּאוֹר יֵצֵא, pro vulgari מִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר. Dathe attulit luculentum exemplum similis scribarum vitio exortae attractionis literae, cuius character finalis ךָ pro כ initii sine omni dubio recentioris originis est, ad praecedens verbum Ier. 23, 33. Quocunque enim modo

VI, 5.
lectio vulgaris explicetur, et numerus pluralis in nomine מִשְׁפָּט, qui semper *iudicia*, speciatim *Dei poenas* indicat, et lectorem offendens persona secunda pronominis suffixi duritatem obscuritatemque vix excusabilem verbis infert. Restituta lectio nititur auctoritate omnium versionum ante Hieronymum. LXX. habent: τὸ κρῖμά μου ὡς φῶς ἐξελεύσεται. Chald.: *iudicium meum ceu lux egressum est.* Eodem modo Syrus. Hanc lectionem plerique interpretum recentiorum, Dathe, Kuinoel, Boeckel, Eichhorn cet. receperunt. Nullus quidem codicum eam exhibet; sunt contra, qui legant מִשְׁפָּטְךָ ap. de Rossium ad h. l., quibus, si vera esset lectio, gravissima pars difficultatis tolleretur: nam et mutatae tertiae personae pluralis in secundam singularis viceque versa, et omissi כ comparationis plurima exempla sunt. Verum quaeritur, utrum horum codicum auctoritas plus valere possit, quam auctoritas antiquarum Versionum et simplicitas restitutae lectionis. Vulgarem lectionem primus exhibuit Hieronymus ita: *haec omnia feci, ut iudicii, quo te iudicaturus sum, veritas appareret nullusque dubitaret vos iuste, quae patiamini, fuisse perpessos.* Ita pronomen *tua*, ut Drusius monet, passive accepit. Al. explicant vocem מִשְׁפָּטֶיךָ *poena tua.* Al. v. c. Castalio, Schmidt, quibus Lutherus quoque propius accedit, putant esse i. q. חֶסֶד, δικαίωμα s. δικαιώματα Apoc. 19, 8. *iustificationes, vita sancta*, quae utique est מִשְׁפָּט, verum non מִשְׁפָּטִים. Schmidt rem ita expedit: *sanctitas quae prius vana fuit v. 4. per Christum lux redditur.* Ex nostra sententia verba haec valent: *monitis illis gravissimis vatum iudicium meum solis instar exibit* i. e. *in lucem prodibit, ut nemo illorum impiorum de eo amplius dubitare possit.* יֵצֵא est tempus futurum, cuius significatio non negligenda est. Eichhorn restitutam lectionem exhibuit, ita tamen: „heller als das Sonnenlicht trat meine Liebe zur Gerechtigkeit hervor," ubi nec futurum in verbo יֵצֵא, nec aptam et bene munitam significationem nominis מִשְׁפָּט curavit.

6. Cohaeret hic versus optime cum lectione restituta. *Iudicium meum in lucem prodibit, nam intelligant Israelitae me non delectari holocaustis et sacrificiis, sed sola pietate.* כִּי est coniunctio, *quod.* Id enim est Dei iudicium, *se magis delectari pietate quam holocaustis*, quod a viris sanctis iam saepius indicatum, verum ab Israelitis non observatum erat.

חֶסֶד et דַּעַת אֱלֹהִים utraque indicat *pietatem.* Illa, quae cum bonitate et benevolentia animi, haec, quae remota omni superstitione cum vera cognitione et fide erga Deum coniuncta est. Quod posuit vates מֵעֹלוֹת: *magis quam sacrificiis*, id non anxie ponderandum est nec, cur non omnino omnia sacrificia improbaverit, inquirendum. Iacobi proles omnino sacrificia negligere non poterat, quippe quae pars cultus divini a Mose instituta esset et secundum eius praecepta Deo vere accepta, modo pio et benevolo animo servaretur. Brevissima huius loci dicta uberius exponuntur Ies. 1, 11—17. Ps. 40, 7—9. 50, 8—23.

7. Significat Deus etiam in hoc versu, cur illud suum iudicium per prophetas iterum iterumque exhibuerit, quod nempe illi impii ut Adamus foedus violavissent, cum tamen scire potuissent se nullis sacrificiis delectari, nisi pio animo offerrentur. Ex omnibus particulis vaticiniorum nostri vatis apparet, eum semper arctissimam coniunctionem Dei et posterorum Iacobi in mente habuisse. Describitur imagine matrimonii, designatur verbo: *populus meus*, pingitur beneficiis, quae olim populo Deus contulerit, et quae ipsi conferre adhuc pronus sit. Ita omnis status politicus et religiosus illius gentis saepius vocatur בְּרִית Exod. 2, 24. 19, 5. Deut. 4, 13. 15, 2. 3. Ps. 74, 20. Placuit res populo superbienti suo foedere Ps. 50, 16. 55, 21., sed eodem tempore id violavit. Propterea comparatur cum Adamo, qui primus in paradiso foedus transgressus est. Subiecta enim Adamo fuerunt omnia animalia et commissus usus peradisi omnibus deliciis ornati ea conditione, ut iussis divinis obtemperaret. Verum omnibus deliciis frui, non autem Deo obedire voluit: ergo foe-

dus laesit et punitus est. Pares Adamo (e sententia vatis) sunt iidem illi, qui, cum adhuc divino foedere gaudeant, voluptate eius frui, incolumes in patria versari, omnibus bonis et honoribus abundare, non autem Deo obedire velint. שָׁם non solum de loco, sed etiam de tempore et conditione adhibetur, ut Latin. *ibi*, Graec. ἐκεῖ, vid. saepius apud nostrum v. c. 2, 17. 10, 9. 13, 8. שָׁם בָּגְדוּ בִי: *salvo illo foedere*, dum adhuc gaudebant et ipso foedere, et bonis, quae iis in eo contigerunt, *perfide erga me egerunt*, cf. 5, 7. Pariter Lutherus, qui vertit שָׁם *in eo*. Auget hoc perfidiam et insaniam eorum. Ita non omnes interpretes sensum huius versus exceperunt. LXX. primum comma vertunt: αὐτοὶ δέ εἰσιν ὡς ἄνθρωπος παραβαίνων διαθήκην, quos secutus de Wette: „nach Menschenart," quae comparatio admodum frigida est. Al. mystice: *sicut homo naturalis sibique relictus et in specie carnali sapientia turgidus et contra divinam sapientiam sese extollens*, vid. Schmidt. שָׁם autem alii proprie acceperunt, ut quasi digitis monstraret vates patrium quod habitarent solum, quodque foederis gratia tantis promissionibus a Deo insignitum esset. Alii plane tanquam pleonastice positum omittunt. Hieronymus item similitudinem ab Adamo desumtam esse censuit. Eichhorn prorsus aliud quid cogitavit vertendo כְּאָדָם: „als wär' es Menschensatzung."

8. Recenset nunc flagitia Israelitarum, primum illud, quod tunc temporis recentis memoriae fuisse videtur, idque Gileaditarum, qui tam nefario modo cum Pekaho contra regem Pekahiahum coniuraverant, ut in palatio Samariae ab iis interficeretur, vid. 2 Reg. 15, 25. גִּלְעָד est nominativus absolutus: *quod attinet ad Gilead.* Modus loquendi frequens apud nostrum vatem, quo attentionem capit legentium, ut studiose quae sequantur perpendant, cf. 7, 8. 8, 13. 9, 6. 11. 14, 9. cet. *Gilead* fuit regio Palaestinae trans Iordanem sita propter egregia pascua a tribubus Rubenis, Gadis et dimidia tribu Manassis pecude abundantibus occupata Num. 32, 1. 26. 29. קִרְיַת פֹּעֲלֵי אָוֶן: *oppidum facinora patrantium ibi est.* Ex Hebraismo satis noto, ubi verba e

praecedentibus facile supplenda omittuntur (vid. Glass. Phil. S. p. 630.); hoc nostro loco praecedens particula שָׁם repetenda est. Nomen illius oppidi, unde coniurati Samariam venerant, tunc temporis haud multo post sanguinolentam trucidationem regis Israelitarum notissimum erat. Nos autem historiae vestigiis destitutos prorsus fugit, nec est quod verba de eo faciamus. Cuius simplicissimae, ut videtur, explicationis loco plerique interpretes urbem quaesiverunt in tribubus Transiordanensibus nomine *Gilead* idque imprimis, postquam apud Eusebium lectum est: *cecidit mons Gilead in sortem filiorum Rubenis, Gadis et dimidiae tribus Manassis. A quo monte et civitas in eo condita sortita est vocabulum, quam et cepit de Amorraeorum manu Galaad filius Machiri filii Manassis*, cf. Drusius ad h. l. Verum nihilominus res incerta est. Nam nusquam in V. T. urbs Gilead occurrit, et locus Ier. 22, 6., ad quem Eusebius et cum eo Eichhorn provocat, tam dubiae interpretationis est, ut nil inde effici possit. Comparasse videtur Ieremias urbem Hierosolymam non cum urbe sed cum monte *Gilead*, capite i. e. procerissimo Libani. Tamen, addit, אִם־לֹא, devastabitur. Hieronymus civitatem *Ramoth Gilead* h. l. intelligi contendit, quae ad tribum Gad transierat Ios. 20, 8. 21, 38. Verum haec quoque non vocatur רָמוֹת־גִּלְעָד, sed רָמוֹת בַּגִּלְעָד. Alii *Gilead* metaphorice explicant ex cognato nomine Arabico, ut sit: *confluxus* s. *congeries maleficorum*. Alii denique supplent praefixum: vel ante גִּלְעָד ב, ut sit: *in regione, cuius nomen Gilead, oppidum est*, vel ante קִרְיַת כ, ut sit: *Gilead est tanquam civitas male agentium*. LXX. coniungunt cum nostro versu ultima verba praecedentis ita: ἐκεῖ κατεφρόνησέ μου Γαλαὰδ πόλις ἐργαζομένη μάταια. Verum nec status constructus nominis קִרְיַת nec diversus numerus vocum קִרְיַת et פֹּעֲלֵי hanc interpretationem admittunt. Haec civitas autem est: עֲקֻבָּה מִדָּם. Ex analogia nominis עָקֵב: *planta, calx*, verbum עָקַב est: *calce conculcavit, vestigium in calcem alicuius plantavit*, unde significat: *supplantavit, insidiose decepit* 12, 4. Primaria significatio h. l., ubi est particip.

Paul, simplicissimum exhibet sensum: *conculcata sanguine* i. e. *vestigiis sanguinolentis conculcata*, quod poetice et eleganter refertur ad sanguinolentam coniurationem quinquaginta Gileaditarum contra regem Pekahiahum 2 Reg. 15, 25. Horum duorum verborum explicatio admodum cruciavit interpretes. LXX. plane recedentes a nostra lectione habent: ταράσσουσα ὕδωρ, *conturbans aquam*. Hieron.: *supplantata sanguine* i. e. *ob caedes ab incolis frequenter patratas eversa*. Chald.: *cum dolis effundunt sanguinem innocentium*. De reliquis hunc locum explicandi conaminibus vid. Rosenmueller ad h. l.

9. Aliud facinus commemoratur, fortasse memoriae aequalium aeque infixum atque illud Gileaditarum. Nobis hic locus intellectu difficillimus est, quoniam de isto facinore nihil ad nos pervenit. Inter tot tumultus et bella civilia nimirum ipsi sacerdotes armis arreptis aliquod agmen armatorum ex insidiis trucidaverunt. Positus verborum locum reddit etiam obscuriorem. חֶבֶר כֹּהֲנִים: *coetus* s. *collegium sacerdotum*, quibus sacra curanda sunt quibusque abstinendum a rebus politicis. *Hi tam nefario modo se gerunt, ut omissa omni probitate et honestate in via insidientur et trucident.* כְּחַכֵּי non omnino redundante כ similitudinis, quemadmodum 5, 10. eodem fere orationis nexu non redundat (indicat enim sacerdotes se non ita gessisse, ut par et fas iis fuisset), et flexus verbi non Hebraicus sed e Chaldaico repetendus, ut sit vel infin. Piel pro כְּחַכּוֹת: *quasi exspectare* i. e. *quasi in exspectando*, vel particip. Kal mutato ּ in ַ cum sequente Dagesch: *exspectantes*, nimirum in latebris, nam חָכָה significat: *quocunque modo aliquem exspectare*, 2 Reg. 7, 9. 9, 3., hinc h. l. i. q. *insidiantes*. Sic pertineret ad sequens חֶבֶר כֹּהֲנִים, quod substantivum חֶבֶר collective a vate sumtum esse aeque verbo יְרַצְּחוּ atque hoc nostro participio plurali indicaretur. Status constructus suo loco esset, quoniam arctissima coniunctio subiecti cum obiecto חַכֵּי אִישׁ quamquam in nostris linguis non ope genitivi, tamen ope praepositionis significari potest: *insidiantes in virum agminum* s. Latinius: *insidiantes viro agminum*,

cf. Ewald krit. Gramm. d. Hebr. Spr. p. 572. Utrum infinitivus sit, an participium, sensus idem est: *conspirati sacerdotes ex insidiis virum militarem in via versus Sichemum trucidant.* אִישׁ גְּדוּדִים pr. *vir agminum*, notissima circumscriptio adiectivi (vid. introd. p. 113. cf. Gesen. ausf. Lehrgeb. p. 646.), quemadmodum אִישׁ גִּבּוֹר 1 Sam. 14, 52., אַנְשֵׁי הַצָּבָא Num. 31, 53., בְּנֵי הַגְּדוּד 2 Chron. 25, 13., Livio appellantur *viri militares*, quod fere h. l. valet, ita tamen, ut vox גְּדוּד non bene instructum exercitum sed *agmen quodlibet ad pugnam paratorum* indicet. Sic enim גְּדוּד in omnibus locis de turmis armatorum vel militum, vel praedonum adhibetur, cf. Gen. 49, 19. 1 Sam 30, 8. 2 Sam. 3, 22. et metaphorice Iob. 19, 12. Ps. 65, 11. Ipsum autem nomen אִישׁ גְּדוּדִים sine dubio collective positum est pro *toto agmine armato* eodem modo ut sequens חֶבֶר כֹּהֲנִים. חֶבֶר est *quaevis consociatio*, a rad. חָבַר 4, 17., hinc optime locum habere videtur versio: *conspirati sacerdotes.* Quae simplicissima mihi videtur huius implicitae constructionis explicatio.

Sed interpretes in alias partes abierunt. Hieron.: חַכֵּי derivat a חֵךְ palatus, ita: *quasi fauces virorum latronum* s. *viri latronis*, coniungit vero haec verba cum praecedentibus, similiter atque LXX. derivantes כְּחַכֵּי a כֹּחַ: καὶ ἡ ἰσχύς σου, ἀνδρὸς πειρατοῦ. Al. a חַכָּה *hamus*, sc. *velut hami latronum sunt* cet. Sequentia דֶּרֶךְ יְרַצְּחוּ שֶׁכְמָה וגו׳ LXX. ita vertunt: ἐφόνευσαν Σίκιμα, ὅτι ἀνομίαν ἐποίησαν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Ἰσραήλ. Qui fuerit ille Sicima aeque ignotum est atque omnis historia. Contra plerique interpretes nomen שֶׁכְמָה ab urbe *Sichem* deducunt, quae etiam nostra est sententia. *Sichem* urbs erat in montibus Ephraimiticis sita, vetustissima et celeberrima Gen. 33, 18. Ios. 17, 7., initio regni Israelitici urbs regia Ierobeami 1 Reg. 12, 25. In sedibus erat Levitis designatis Ios. 21, 21. et quamquam legimus post separationem tribuum per Ierobeamum factam probos Levitarum transmigrasse in terram 2 tribuum, tamen omnis historia docet multos Levitas et sacerdotes

VI, 9.
mansisse in sedibus illis ad regnum Israeliticum pertinentibus, numerumque eorum ibidem ob superstitionem populi et multiplicem superstitiosum cultum admodum auctum fuisse vix dubitari potest. Cum autem constet omnium urbium Leviticarum Sichemum fuisse maximam, non mirum est, quod hinc tanta caterva illorum flagitiosorum sacerdotum exierit, quae ex insidiis agmen alicuius cohortis capere et trucidare potuerit. Hieronymus versione: *particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem,* quamquam non ad verba, tamen fere ad sensum ad nostram interpretationem accedit, in eam quidem abiens explicationem: *sacerdotes fanatici temporibus festorum, quando per Sichem eundum erat Hierosolymam, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et Bethaven quam in Hierosolymis et in templo Deum adorarent.* Est praeterea interpretatio nominis שִׁכְמָה, ut e proverbiali quadam locutione, quemadmodum Zeph. 3, 9. שְׁכֶם אֶחָד, sit *uno humero* i. e. *uno consensu*, Gall: faisant l'epaule a l'autre, Drus. ad h. l. Verum nec sensui nec Grammaticae hoc convenit. De Rossi adfert variantem lectionem וּבְחַכֵּי *in speculando,* quae si vel vera sit, rem non magis illustrat. De Wette: „Menschen auflauernden Rotten gleicht die Gesellschaft der Priester; auf dem Wege nah Sichem morden sie." Eodem fere sensu omnes recentiores interpretes.

כִּי זִמָּה עָשׂוּ: *Itaque scelus patrant.* Arridet lectio unius codicis apud eundem de Rossium בִּי: *in me scelus patrant*, de qua quidem antiquae versiones nil habent. Verum difficultas cadit, ubi כִּי ut in aliis locis interpretamur: *itaque*, vid. introd. p. 102. זִמָּה est *scelus, quod deliberato consilio et meditato dolo patratur*, a rad. זָמַם: *excogitavit*, unde Tarnov: *tale scelus, quod consulto suscipitur et cum magna sollertia et de industria, non casu nec affectuum vehementiâ: quo respicit R. Salomo in comment.*, *quando: iam, inquit, consuluerunt et tempus, et locum occidendi antea constituerunt, faciunt quod in animo habent.* His nempe sacerdotes se contaminant, dum longe aliae curae alia-

que negotia ad cultum Dei pertinentia iis divinitus commissa sunt. Lutherus: „Sie thun was sie wollen.“

10. Nil plura de singulis criminibus. Complectitur vates omnia brevibus verbis: *Ubicunque circumspicio, horrenda flagitia Israelis et Ephraimi in oculos incurrunt.* בֵּית est *familia Israelitarum, omnis gens* unam familiam ab origine Iacobitica exhibens, cf. 1, 6. 5, 1. שָׁם זְנוּת לְאֶפְרַיִם: *ibi scortatio* i. e. *superstitiosus idolorum cultus Ephraimo* scil. הָיְתָה. Nimirum quoniam a rege Ierobeamo tribus Ephraimiticae prole exiit, propterea potissimum ad Ephraimum pertinere ipsique quasi peculiaris esse describitur. Haec enim vis dativi esse mihi videtur. נִטְמָא יִשְׂרָאֵל: *contaminatus est omnis Israel* scil. ista regiae stirpis idololatria, cf. 5, 3.

11. *Non autem solus Israel peccas et punieris, verum etiam reus es calamitatum et interitus Iudaeorum; nam et Iuda a te côrruptus et iisdem sceleribus tecum pollutus est.* Haec brevissimis pingit imagine messis. שָׁת קָצִיר: *messem facit.* Radix שׁוּת s. שִׁית plane respondet cognato שׂוּם, quod saepissime est: *facere*, vid. Gesen. ad h. v., unde שִׁית אֹתוֹת: *miracula facere* Exod. 10, 1. Quod tanto magis de messe valet, ubi manipuli in acervos exstruuntur. Messis autem in malam partem sumitur: *messis poenarum* s. *excidium* 8, 7. 10, 13. Ier. 51, 33. Ioel 4, 13. In vaticinio h. l. praeteritum significatione praesentis adhibetur. לָךְ in pausa pro לְךָ est: *per te*, uti לַאדֹנָי Ies. 22, 5. 28, 2., לְמִצְרַיִם Ies. 19, 15., i. q. *tuâ culpâ.* Melius quidem rem expedire videtur lectio plurium codd. apud de Rossium לָהּ: *parat sibi messem poenarum.*

Multifarie hunc locum interpretati sunt veteres et recentiores. LXX. plane recedentes a nostro textu verba καὶ Ἰούδα ad comma praecedens trahunt, novam sententiam ita exhibentes: ἄρχου τρυγᾶν σεαυτῷ: *incipe tibi vindemiare.* Hieron.: *sed et Iuda pone messem tibi, praepara tibi segetes, ut metantur, non multo enim post duceris in captivitatem Babylonicam.* Chald.:

VI, 11.
etiam, qui de domo Iuda sunt, coeperunt peccata multiplicare, etiam ad eos pertinget reatus. Recentiorum alii שָׁת passive sumunt: *parata est tibi Iuda messis;* alii active: *Iuda per detrimentum suum tibi, o Israel, novam perniciem* s. *novum reatum parat.* Eichhorn neque sensum neque verba reddidit: „auch Iuda säet eine Strafensaat.“ Alii messem bono sensu intelligunt. Vel enim supplent יְהוָה: *Deus tibi Iuda tribuet tempus laetitiae* scil. *per Messiam ex te oriundum,* vel Iudam subiectum esse putant: *Iuda a te nunc corruptus, gratiose tamen per Messiam redimendus, positurus est tibi o Israel messem coelestium bonorum liberatione per Christum, e spirituali captivitate intercedente.* Utramcunque harum posteriorum interpretationum praeferant Viri Docti, verba בְּשׁוּבִי שְׁבוּת עַמִּי e vulgari lectione ad praecedens comma referunt. Verum oratio multo aptius cohaeret, si ab eo separantur, ita ut novae prophetiae initium faciant. Quod iam Eichhornio, Kuinoelio, Gesenio probatum est. Locupletissima huius versus historia apud Tarnovium ad h. l.

IX.

Cap. VII, 1—7.

Cum in melius verterem miseriam populi mei, cumque incolumem restituerem Israelem, innotuit et impietas Ephraimi, et scelera Samariae. Perfide agunt, venit fur et turma coniuratorum effundit se foris. 2. Neque in animis suis pendunt me esse memorem omnium suorum flagitiorum. Iam undique facinora eos ita circumdant ut ea ignorare non possim. 3. His suis facinoribus delectant regem, perfide gestis principes. 4. Omnes coquuntur ut in clibano a pistore accenso.

Pistor autem, qui excitavit massam ut fermentescat, subigere cessat, usque dum penitus fermentata est. 3. Dies est regis nostri. Vacillant principes, fervent vino, et ille particeps fit eorum petulantiae. 6. Dum animum ad suas insidias tamquam ad fornacem calidam admovent, pistor per totam noctem dormit, mane animus ceu flamma ignis accensus est. 7. Tum omnes fervent furore ceu fornax; in interitum rapiunt gubernatores suos.

Tabula levibus sed vivis coloribus picta! qua vatem aliquam rem in facto positam descripsisse primo intuitu contemplator sentit. Pingitur effoeminata negligentia regis, pingitur atrocitas hominis illius interitum molientis, pingitur effrenata libido eorum, qui facinoris sunt participes, pinguntur mores perditissimi aulicorum nil probi, nil honesti cogitantium, verum ludo et potu se inebriantium. Historia pauca nos docet de fatis regum Israeliticorum. Narrationes eius aeque fragmenta sunt atque hoc vatis nostri. Verum quae ex iis haurire possumus, monent nobis argumentum descriptionis in rege Pekahiaho eiusque flebili interitu quaerendum esse, de quo iam 6, 8. sermo erat. Vid. introd. p. 71.

1. Iterum Deus loquitur: *Dum restituerem et sanarem Israel, nova innotuerunt scelera Samariae.* Vix Israelitarum res erant tranquillae vulneraque per infelix interregnum et per invasionem Phuli regis Assyriae populo inflicta paullulum obducta, cum novum crimen committitur. בְּשׁוּבִי שְׁבוּת עַמִּי phrasis est prophetis frequentissima; pr. *dum vertam captivitatem populi mei*, sine dubio petita e Deut. 30, 3., quae quidem non de exilio s. captivitate proprie sic dicta, verum *de avertenda quavis calamitate* intelligi debet, cf. Iob.

42, 10. Ps. 14, 7. Ez. 16, 53. כְּרָפְאִי: *dum sanarem Israelem.* כ h. l. per vices adhibetur cum praecedente ב in priore commate, uti saepius, cf. Glass. Phil. S. p. 564. Utraque dictio eundem sensum exhibet: *dum in eo eram, ut restituerem sortem gentis Israeliticae.* וְנִגְלָה עֲוֹן אֶפְרַיִם: *et prodiit impietas Ephraimi,* וְרָעוֹת שֹׁמְרוֹן: *et scelera Samariae commissa,* pariter ut דְּמֵי יִזְרְעֶאל 1, 4.; duplex ו ut Latinorum *et — et,* vid. introd. p. 101. פָּעֲלוּ שָׁקֶר: *fraudulenter agunt*: Pekah enim specie probitatis et fidelitatis ingressus erat regiam, sed fucata erat omnis eius probitas, dolus in pectore latebat. גַּנָּב יָבוֹא: *venit fur, dolose rapinam praeparans,* fraude utitur, ut usurpet quae iuris alieni sunt. Ubi de vi aperta sermo est, utuntur verbo גָּזַל. Usurpantem Pekahum ita clam omnia praeparasse historia docet 2 Reg. 15, 25. פָּשַׁט גְּדוּד בַּחוּץ: *foris* i. e. extra palatium *diffundit se turma coniuratorum.* Intelliguntur illi 50 Gileaditae, qui ducibus Argobo et Arieho urbem intraverant. De verbo גְּדוּד vid. 6, 9., unde *armatos milites* fuisse intelligitur, qui fortasse sub praetextu securitatis publicae in urbem vocati erant. פָּשַׁט: pr. *exuere, devestire* 2, 5., hinc signif. intransitiva: *diffundere se ad praedandum* s. omnino ad vim inferendam, cf. 1 Sam. 27, 8. 30, 14. 1 Chron. 14, 13. Qui de hac nefaria expeditione non cogitarunt, descriptionem pravorum morum in universum hoc loco invenerunt, ita: *intus sunt fures, latronum catervae foris,* uti Hieron.: *fur ingressus est, spolians latrunculus foris.* LXX.: καὶ κλέπτης πρὸς αὐτὸν εἰσελεύσεται, ἐκδιδύσκων λῃστὴς ἐν τῇ ὁδῷ αὐτοῦ. Quam interpretationem plurimi secuti sunt.

2. וּבַל יֹאמְרוּ לִלְבָבָם *neque vero dicunt in animis suis,* e simplici loquendi ratione illorum, qui nullam cogitationem, ne Dei quidem, sine verbis esse opinarentur, i. q. יַחְשְׁבוּ: *neque animo pendunt.* כָּל־רָעָתָם זָכַרְתִּי, aeque simplex loquendi ratio prima initia rhetorices prodens, pro זָכַר יְהוָה. Occurrit praeterea haec forma etiam inter Graecos nomine orationis directae pro obli-

qua. *Moliuntur arcanas fraudes ac si Deus ipse eas ignoret. — Iam eorum malefacta ita eos circumdant, ut, si vel hominibus occultentur, Deo tamen pateant.* נֶגֶד פָּנַי הָיוּ: *coram me sunt* i. e. *mihi cognita sunt*, ut נֶגֶד עֵינָי Iob. 4, 16. et simillimus locus Ps. 90, 8. Quam simplicem et facilem explicationem verba ita iubent, ut non intelligam, cur aliquis interpretum aliam eruere studuerit. Versionem LXX. modo ob rei novitatem afferam: ὅπως συνᾴδωσιν ὡς ᾄδοντες τῇ καρδίᾳ αὐτῶν: *ut concinant quasi canentes in cordibus suis*, quod Hieron. ad praecedentem furem refert: *quocum concinant et uno corde afficiantur.*

3. Accedit ad descriptionem regiorum morum. Sens. hic est: *inter voluptatem et ebrietatem regis atque principum molitur atrox insidiator facinus. Prave factis delectant regem.* יְשַׂמְּחוּ, Piel: *oblectare, laetificare.* Praepos. בְּ vel: *cum*, vel: *inter* significat. Ita h. l. vel: *dum prave facta et dolos in animo recondunt, oblectant regem*, ut nimirum inter iocos et gaudia non attendat, quid novi circa se moliantur, vel: *nefariis et fraudulentis artibus voluptatibusque oblectant regem et principes*, ut nempe in dies hebetiores et magis obcoecati sint, quominus periculum imminens sentiant et avertant. Posterius fortasse maiorem etiam malitiam designat et sic picturae a vate exhibitae convenientius esse videtur. Sensus quidem idem est. Hieronymus et antiquiores interpretes omnia haec in universum dicta esse putantes verterunt singulas loquutiones quasi in praeterito positas. Verum iam ex eo, quod alternis leguntur futurum, praeteritum et constructio participialis, apparet vatem non narrare, sed res coram oculis gestas pingere. Sic etiam recentiores interpretes sensum capiunt, quamquam de argumento tabulae pictae non consentiunt.

4. כֻּלָּם מְנָאֲפִים: *omnes adulterant.* Quid hoc sibi velit, cum aperte non de adulterio, ne de idololatria quidem sermo sit, non facile comprehendi potest. Kuinoel vertit: *rebellandi cupiditate flagrant*, adiecta observatione, verbum נָאַף nonnunquam significare: *rebellem esse.* Sed dubito an haec significatio e locis

parallelis demonstrari possit. Certe ab eo allati Ps. 73, 27. et Nah. 3, 4. nil efficiunt. In illo נָאַף designat idololatriam, in hoc verbum nostrum plane non occurrit et sensus exhibet descriptionem libidinosorum protervorumque morum urbis Ninives. Eichhorn ita rem expedit, ut fere in unoquoque versu orationem in se ipsa confectam inveniri censeat, nexum totius tabulae ad unam rem pingendam destruens. Melius placeret נָאַף h. l. synecdochice intellectum, ac si unum modo scelus, adulterium, de scelerata vita omnino poneretur. Quodsi liceret parva literae elisione textum vatis restituere, pro מְנָאֲפִים legi mallem מְאֻפִּים et sic sequentia כְּמוֹ תַנּוּר accipi pro כְּמוֹ בְּתַנּוּר e defectu praepositionis בְּ, qui poetis, maxime post particulam similitudinis est usitatissimus Am. 2, 8. 8, 8. 9, 11. coll. Gesen. Lehrg. p. 837. et introd. pag. 112. Illud נ aut vitio librarii alicuius irrepsit in textum, aut consulto librarius antiquissimus iniecta illa litera textum emendare opinatus est, quia dictionem מְאֻפִּים כְּמוֹ תַנּוּר ita inusitatam invenit, ut sibi persuasum esset centies apud nostrum vatem obvium מְנָאֲפִים et h. l. esse veram lectionem. Participium Pyal מְאֻפִּים, scil. הָיוּ: *cocti sunt*, sive *coquuntur*, optime congruit cum imagine vatis et cum omni oratione. Comparat coniurationem illorum sceleratorum contra regem Pekahiahum cum negotio pistoris. *Coniurati* sunt *massa fermentata*, *subacta*, *coquenda*. Dux coniurationis est *pistor*, *qui omnia praeparat*, *otiatur*, *speculatur*, *donec veniat tempus eruptionis*. *Quodsi venit*, *accenditur fornax*, *coquuntur in clibano*, *excitantur et fervent cupiditate caedis*. Ita etiam verba nostra efficiunt parallelismum verborum versus 7. כֻּלָּם יֵחַמּוּ כַּתַּנּוּר. Cum autem constet vatem talis parallelismi studiosum esse, cum in imaginibus eius brevibus omnia verba pondus et vim habeant, cum totius huius imaginis habitus verbum מְנָאֲפִים improbet, מְאֻפִּים autem postulet, videant interpretes num haec mea coniectura probanda sit. Sens.: *omnes velut in clibano a pistore accenso coquuntur* s. *cocti sunt* i. e. *coiverunt omnes ad patrandum scelus*, *sed a duce*

coniurationis excitantur, ne cupido caedis extinguatur, immo ceu in clibano aptantur, coquuntur, donec omnia absolvantur. תַּנּוּר non fornax, quales apud nos, sed κλίβανος, *urceus magnus*, qui ex altero loco in alterum transferri poterat, in superiore parte angustior, in inferiore latior, in quo placenta inter carbones, vel in cinere ardenti coquebatur. Cf. Gesen. Lexicon ad h. v. et Schneideri Griech. Wörterbuch ad v. κλίβανος. בֹּעֵרָה: pr. *igne consumens*, saepe inchoative ponitur: *ardens, accensa* Ier. 20, 9. Ps. 18, 9. Forma est foeminina, unde תַּנּוּר, quod in omnibus aliis locis formâ masculinâ legitur, generis communis fuisse intelligitur. Grammatici genus verbi masculinum vindicaturi, contenderunt ה esse paragogicum. מֵאֹפֶה: *a pistore* s. *coquo.* Nam, ut Festus ait: *pistor et coquus idem erat*, cf. Drusius ad h. l.

Sequitur haec verba parenthesis, ut recedat vates aliquantulum a coniuratis et pingat eorum ducem observata semper similitudine pistoris et placentae. Callidissime enim et dolose tractat animum sibi deditorum et aptissimum momentum exspectat, quemadmodum pistor massam tractat, et speculatur usque, dum operis copia est. *Pistor, qui excitavit massam, eam depsere desinit.* מֵעִיר part. Hiph.: *excitans*, scil. pistor qui fermento adiecto excitavit massam. יִשְׁבּוֹת מִלּוּשׁ בָּצֵק: pr. *cessat a subigenda massa* i. e. *eam subigere cessat*, termino technico dicitur *depsere.* עַד־חֻמְצָתוֹ: *usque ad fermentationem eius* i. e. *usque dum massa fermentata est.* Tropo remoto: *donec animus pessimorum hominum cupiditate caedis penitus imbutus est.* Disceptarunt interpretes de eo, utrum participium מֵעִיר ad fornacem an ad massam pertineat. Verum ut negotium pistoris recte describatur, ad massam referri oportet. Procedit enim hunc in modum: *pistor primus fermentum addit, quo massam excitet; sic excitatam per aliquod tempus fermentare sinit, cavet ne turbetur; fermentatam autem depsit.* Ex nostra sententia imago vere rei describendae satisfacit. Explicatio autem Hieronymi plane improbanda est, qui, ut bene S. V. Ro-

senmueller monuit, deceptus antiqua versione Graeca מֵעִיר vertit *civitatem*. Nusquam enim ea significatione occurrit et e regulis grammaticis mutatio nominis עִיר in מֵעִיר nullo modo excusari potest. Versio eius haec est: *quievit paullulum civitas a commixtione fermenti*, quae ita exponit in comment.: *Ierobeam, postquam erroris in animos populi miserat incendium, paullulum quievit, ut non vim faceret populo, sed suae eum dimitteret voluntati, quicquid enim necessitate fit, cito solvitur, quod voluntate arripitur, perseverat.* LXX. iterum sic interpretati sunt, ut verba vatis non illustrent sed obscurent: πάντες μοιχεύοντες ὡς κλίβανος καιόμενος εἰς πέψιν κατακαύματος ἀπὸ τῆς φλογὸς ἀπὸ φυράσεως στέατος ἕως τοῦ ζυμωθῆναι αὐτό, i. e. secundum Hieron.: *omnes adulterantes quasi clibanus ardens ad coquendum in deustionem flammae a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Eichhorn admodum obscurus est versione: „wenn er (der Bäcker) am feuchten Morgen den Teig bis zur Durchsäurung ausgeknetet hat." Etenim massa non inter depsendum, sed quiescendo fermentescit. Praeterea verba sunt יִשְׁבּוֹת מֵלּוּשׁ *cessat a subigendo.* Fac igitur מֵעִיר esse: „am frühen Morgen," i. e. *postquam evigilavit pistor*, sententia auctoris esset interpreti contraria: „er hört am frühen Morgen auf zu kneten." Fusius de variis modis hunc locum interpretandi egit Rosenmueller ad h. l.

5. A protervia coniurationis et coniuratorum redit ad descriptionem regis eiusque morum libidinosorum. *Dies est regis* fortasse *natalis* s. *alius dies festivus.* Non video, cur h. l. suppleatur לֵאמֹר. Narrantur res in facto positae, epulae et poculationes, quarum occasionem praebuit vel festum anniversarium, vel alia quaelibet causa. Pro מַלְכֵּנוּ plures codd. ap. de Rossium habent מַלְכֵיכֶם, quae lectio fortasse in favorem sequentis מַלְכֵיהֶם v. 7. orta propter verba nostri versus מָשַׁךְ יָדוֹ, quae necessario ad מַלְכֵּנוּ pertinent, omnino locum habere non potest. הֶחֱלוּ שָׂרִים *vacillant principes* scil. vino inebriati. Simplicissima haec est expli-

catio et aptissima descriptioni regiae luxuriae. *Principes, quorum est regem et consilio et manu iuvare, mentem et vim inter pocula perdunt.* Verbum est חָלָה: *infirmum esse.* Hiph.: הֶחֱלוּ vel habet significationem intransitivam: *infirmati sunt*, ut Mich. 6, 13., vel ad formam הִזְנוּ 4, 18. 5, 3. reciprocam: *invicem vacillant.* Alii vim transitivam coniugationis Hiphil vindicantes, vertunt: *infirmant* s. *corrumpunt* vel regem, vel populum. Alii verbum nostrum derivarunt a חָלַל: *incipere*, idque ducibus LXX. *ἤρξαντο οἱ ἄρχοντες θυμιοῦσθαι ἐξ οἴνου*, quos Hieronymus et plerique veterum secuti sunt. Huic explicationi ad grammaticam punctatio repugnat, quam quidem dubiae auctoritatis esse constat. Verum quod maioris momenti est, sensus intolerabili frigore laboraret, si vatem tantum de initio crapulae locutum fuisse statueremus. חֲמַת מִיָּיִן scil. הָיְתָה: *aestus* s. *ebrietas a vino* est i. e. *fervent vino*. Status constructus saepius ante praepositionem pari ratione ponitur vi status absoluti, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 643. Haec interpretatio omnem difficultatem grammaticam a verbis nostris admodum vexatis removens, tanto magis placet, quanto magis consentanea est brevi et gnomicae vatis dicendi rationi. *Dies regis est — vacillant principes — ebrietas a vino est.* — Utriusque vocis חַמָּה et חֵמָה primaria significatio est *ardor*, *aestus*, illa de sole Ps. 19, 7., haec de ira Gen. 27, 44. ponitur, h. l. ubi de vino agitur, *aestum vini* per se intelligitur *ebrietatem* esse. Sic Iarchi vertit: *a calore vini ardentis in illis.* Praeterea accentus Tiphcha sub שָׂרִים nostram interpretationem confirmare videtur, certe sequentia verba a praecedentibus seiungit.

Interpretes continuam orationem h. l. exhiberi sumentes in partes varias abierunt: vel ut LXX. et Hieron. ita interpretati sunt: *coeperunt principes furere a vino*, verum חֲמַת neque est infinitivus a יָחַם neque a חָמַם, quod utrumque *calescere*, *fervere* indicat; ille sonaret חֶמֶת, hic חֹם s. חַם, ad summum חֲמוֹת; vel, ut Drusius contenderunt חֲמַת esse statum constructum substantivi

VII, 5.
חֲמַת positum pro ablativo: *a calore vini*, verum in tali oration epraepositio מִן ablativum constituens neque in חֲמַת deesse; neque in מִיַּיִן abundare potest ex regulis grammaticis; vel, ut E. Esra, Liveleius et Rosenmueller, חֵמַת aeque substantivum esse pro חֵמֶת: *lagena* positum, autumarunt, simili constructione, ut nempe status constructus ablativum indicet, hoc sensu: *sunt bene poti e lagena vini*, verum idem valet, quod antea de praepos. מִן monuimus, nec satis digna haec explicatio vate nostro videtur. Kuinoel ingeniosam certe sed artificiosiorem explicationem proposuit, scilicet ut הֶחֱלוּ ex Arabica lingua illustratum indicet: *evacuant* nimirum *lagenas vino*. Cur Eichhorn verterit: „sie trinken sich in feurigem Weine dick," non video, cum haec vulgaria verba facili negotio in elegantiora mutare potuerit.

מָשַׁךְ יָדוֹ scil. מַלְכֵּנוּ. *Rex ipse extendit manum suam*. מָשַׁךְ pr. est: *trahere*, aliquem ad aliquem locum Iud. 4, 7., sonum e cornu Exod. 19, 13., arcum, ut iaciantur sagittae 1 Reg. 22, 34., sulcos in agro Am. 9, 13., in longum trahere vel benignitatem Ps. 36, 11. vel iram Ps. 85, 6. Hinc *extendere se* ad aliquid ad se trahendum Exod. 12, 21., ad exercitus castra ponendum Iud. 4, 6. 20, 37. Unde h. l. cum plerisque interpretibus significatione transitiva: *manum extendere* s. *porrigere*, quod signum est approbationis et consortii cum aliquo ineundi. cf. Schmidt, Michaelis, Dathe al. אֶת־לֹצְצִים *versus derisores*. אֶת praep. non solum: *cum* sed etiam: *versus*, *erga*, cf. Zach. 7, 9. 2 Sam. 16, 17. Verba sunt admodum difficilia. Gesenii explicatio: „er zieht sich mit den Spöttern herum und macht sich so mit ihnen gemein," verbis accommodatissima, verum non satis elegans videtur; Eichhornii melior esset: „er zieht die Spötter zu." Verum dubito an מָשַׁךְ significet vel *ad se trahere*, vel *arcessere*. Schmidt: *data manu adblanditur, et hoc signo ostendit, quod facta ipsorum turpia sibi placeant*. Alii: *rex vacat nugis, neglectis negotiis publicis*, metaphora sumta ab iis, qui membra exten-

dunt oscitantes. Iarchi: *rex retrahit manum suam a bonis et rectis, ut coniungat se cum derisoribus.* Grotius: *rex protraxit manum suam i. e. abstinuit eos punire, ut debuit.* לֹצֵץ idem quod לֵץ, pr. *derisor*, hinc sigillatim: *derisor bonorum morum et religionis, petulans, perversus homo*, cf. Ps. 1, 1. Ies. 28, 14. 22. 29, 20.

6. Redit vates ad coniuratos. *Dum rex effoeminatus et ignavus libidinibus se committit et, quae circa se agantur, negligit, illi ferventes sanguinolento furore insidias struunt; dux autem coniurationis dormit, et consilia occultat. Omnia parata sunt, ubi enim tempus venit, mane animus coniuratorum ardet ut flamma ignis.* כִּי h. l. non coniunctio causalis, sed copula coniunctiva: *dum* ut v. 14. 11, 1. cf. introd. p. 103. קֵרְבוּ לִבָּם, Piel: *admovent* s. *advertunt animum.* Deficiente subiecto expressis verbis commemorato vel ad כֻּלָּם v. 4. vel ad לֹצְצִים v. 5. oratio referri debet. Fortasse ad utrumque. Nam coniurati blandis modis regique acceptâ petulantiâ se insinuaverant in aula regia, quod verbum לֹצְצִים indicare videtur, nimirum *homines qui simulatâ observantiâ regem irridebant.* בְּאָרְבָּם infinitivus significatione substantivi: *ad insidias suas*, i. e. *quas ipsi sibi excogitaverant*, vel *ad quas struendas a duce coniurationis conducti erant.* קָרַב eodem modo cum praep. בְּ construitur Ps. 91, 10. בַּתַּנּוּר, ut sensus in hoc verbo concinnus reperiatur, neque imago elegantia careat, iterum supplenda est praepositio בְּ, quod et ingenio linguae Hebraicae, et usui vatis nostri consentaneum est, vid. v. 4. ibique notata, cf. 9, 9. 12, 10. Sensus est: *advertunt animum ad suas insidias et ab iis ita inflammantur, ac si a calida fornace s. clibano calefierent.* Respondet hoc imagini massae fermentatae, quacum comparati sunt v. 4. Haec enim calore clibani eodem modo coquitur, ut animus pravissimorum hominum insidiosis et seditiosis machinationibus inflammatur. Itaque nec v. 4. nec hoc nostro loco animus comparatur cum clibano, sed cum massa fermentata. Imagine autem remota *clibanus* est: *seditiosum illud et nefarium consilium regem trucidan-*

di, quo usus est auctor coniurationis, quemadmodum pistor clibano utitur. Sic omnia egregie cohaerent, et versus quartus optime illustratur, nec opus est usitata vituperatione, vatem ineptius e metaphora excidisse.

Interpretes, quibus כַתַּנּוּר est: *velut clibanus*, vel pro קֵרְבוּ legunt חָרְבוּ, contra omnium codd. auctoritatem: *inflammati sunt*, ut LXX. διότι ἀνεκαύθησαν αἱ καρδίαι αὐτῶν, quos secutus est Syrus et e recentioribus Dathe, Kuinoel, Eichhorn [plura de his vid. ap. Rosenmuell. ad h. l.]; vel Piel קֵרְבוּ significatione activa et לִבָּם collective sumunt. *appropinquant* s. *accedunt animi eorum ceu clibanus ad insidias*. Qui autem כַתַּנּוּר accusativum esse putant, vertunt, ut Hieron.: *applicuerunt quasi clibanum cor suum, dum insidiaretur iis*, ac si ex eius sententia rex Ierobeam populo insidiatus esset, ut a Deo deficeret. Quod posterius verbum בְּאָרְבָּם alii ita reddunt: *dum insidiantur*, propius ad nostram sententiam accedentes, ita tamen, ut etiam h. l. vatem e metaphora excidisse dicant, cum antea imagine massae fermentantis de illis impiis usus sit, susceptâ nunc alia eaque clibani. כָּל־הַלַּיְלָה יָשֵׁן אֹפֵהֶם *pistor eorum*, i. e. *dux coniurationis, dormit per totam noctem*, cf. v. 4. Postquam enim omnia paravit, animis sociorum sanguinolentis consiliis inflammatis, nil ei restat, quam ut caute et tenebris noctis obductus machinas occultet, et diem exspectet, quo erupturus sit. Sed venit dies, בֹּקֶר, *tempus facinoris*, הוּא בֹעֵר כְּאֵשׁ לֶהָבָה: *coniurati proni sunt ad facinus*, nam *animus eorum seditiosus ardet ceu flamma ignis.* הוּא ad nihil aliud referri potest nisi ad לִבָּם, etenim תַּנּוּר v. 4. in genere foeminino legitur, et pistor non ardet, sed ardere facit. Expectavissemus vatem scripsisse: הוּא כָּלָה כְּעֻגָה מְאֻפָּה: *ille satis paratus est ceu placenta cocta.* Eius loco auctor nunc vere misit metaphoram vel potius ex ea excidit, ita ut dicere mallet: *ardet ceu flamma ignis.* LXX. ἐν τῷ καταῤῥάσσειν αὐτοὺς ὅλην τὴν νύκτα ὕπνου Ἐφραὶμ ἐνεπλήσθη, πρωῒ ἐνεγενήθη, ἀνεκαύθη ὡς πυρὸς φέγγος, vel nimirum negligenter textum inspicientes, vel magis verba vatis suo modo explicantes, quam versionem exhi-

bentes. Notanda est varietas lectionis, quam Dathe secundum Chald. et Syrum in versione probavit, nimirum pro אַפְּהֶם, אַפָּם: *clam tota nocte continetur eorum ira*, de qua et de omnibus huius loci vexationibus vid. Rosenmuellerum ad h. l.

7. Inhaeret nunc vates posteriori imagini. Sat erat imaginis a massa ad coquendum praeparata desumtae. Ad expeditionem sanguinolentam ventum est. *Iam ardent coniurati ceu flamma ignis immo ceu fornax ipsa.* Eadem imagine utitur ad pingendum interitum regis et principum: *intereunt devorati flamma coniurationis.* כֻּלָּם יֵחַמּוּ: *omnes fervent* scil. vesania seditionis. כַּתַּנּוּר intendit vates furoris descriptionem, cum clibano ipso, e quo impetus flammae diu inclusus maiore cum vi erumpit, illos comparans. וְאָכְלוּ: *devorant*, veluti ignis devorat, i. e. *in interitum rapiunt.* שֹׁפְטֵיהֶם: *principes suos.* Ubi principes interficere omnino magnum crimen erat, multo gravius etiam committebant rebelles *suos principes* trucidantes. Utrum autem praeter regem Pekahiahum insuper principes, familiares eius, ceciderint necne, id historia reticet. Noster locus nil certi de ea quaestione exhibet; nescimus enim, quatenus poetica descriptio veritatem attingat. Vates non historiam pingendo exhibere voluit, sed historiam poetica sua descriptione ita tractavit, ut acerbe animadvertens in illum impium eumque potentem regiam dignitatem usurpantem ei parceret, ne digitis monstraretur, neve diceretur: hic est, cf. 5, 10. Ea de causa etiam nomen regis ipsius tacet, et pro eo dicit שֹׁפְטִים. Intelliguntur hoc verbo: *gubernatores regni*, ut illi proprie sic dicti, qui inde a Iosua usque ad Saulum reipublicae praeerant, a rad. שָׁפַט, quod LXX. ἄρχειν vertunt et 1 Sam. 8, 5. δικάζειν. Fortasse vates hoc verbo utitur propterea quod usurpantes regnum Israeliticum post Sachariam non a Deo vocati, igitur non veri reges ipsi videbantur, cf. 3, 4.

X.

Cap. VII, 7 — 16.

Omnes eorum reges ceciderunt: nec ullus eorum est, qui me invocet. 8. Ephraim cum nationibus gentilibus sese commiscet. Ephraim est placenta non versa. 9. Barbari devorant eius vim, nec ipse sentit. Adeo iam senio confectus est, nec ipse sentit. 10. Quo Israel superbivit, id in os eum criminatur. Attamen neque ad Iehovam Deum suum redeunt, neque eum in hisce omnibus quaerunt. 11. Similis est Ephraim columbae pellectae quam mens deficit. Aegyptios vocant, in Assyriam abeunt. 12. Quocunque autem ibunt, rete meum iis tendam, in quod eos deiiciam quasi aves in aere volantes eosque castigabo, ut fabula fiant ipsis suis coetibus. 13. Vaeh illis! nam a me aberrarunt. Interitus iis instat, nam impie erga me egerunt. Equidem ego eos redemturus eram, sed illi nil nisi mendacia mihi protulerunt. 14. Nec integro animo ad me clamaverunt dum in cubilibus suis eiularunt. Ad triticum et mustum peregrinantur, a me vero recesserunt. 15. Dum coercui eorum vim, dum eam confirmavi, itidem erga me male animati fuerunt. 16. Non sursum redeunt similes relaxato arcui. Gladio cadent eorum duces prae protervia linguae. Haec eorum contumelia inter Aegyptios erit.

Cur inde a dimidio versu septimo novae orationis initium capiendum esse existimaverim, eius rei introductio p. 73. causam exhibuit. Invehi vates vi-

detur in stuporem Israelitarum, quod multis calamitatibus vexati reges et populus non ad sanam mentem redierint. Spes ei fuerat fore, ut extincta familia Iehu redirent ad Iehovam et ad cultum eius unice verum, qui in templo Hierosolymitano celebraretur. Sed reges ceciderant, natio ad Deum non redierat, contra, simulac vires civitatis defecerant, ad barbaros se contulerat, quod ipsi summo detrimento fuerat, et adhuc futurum erat.

7. כָּל־מַלְכֵיהֶם נָפָלוּ: *omnes eorum reges ceciderunt.* Sacharias 2 Reg. 15, 10., Sallum v. 14., Pekahiah v. 25., Pekah v. 30. אֵין־קֹרֵא בָהֶם אֵלָי: *nemo eorum ad me clamavit* i. e. *auxilium meum quaesivit*, cf. Ps. 4, 4. 30, 9., quod aliter fieri non poterat, nisi verum a patribus institutum Iehovae cultum, qui unice Hierosolymae adhuc florebat, pia mente observarent, regique e familia Davidis a Deo constituto sese subiicerent 2, 2. 3, 5. Is enim Deum adeundi modus, quo Bethele, Gilgale cet. simulacra, vitulos et Baales quasi maiestatis Dei symbola adorabant, tantum ad animos a vero Deo, Iehova removendos valebat 5, 2. 4. 6. 7. Itaque omnes imperii vices hucusque frustra a Deo iis erant immissae, nam eo eventu carebant, quem pii vates exspectaverant, nimirum ut illam deplorabilem separationem tandem populus meliora edoctus tolleret. Quae vera nostrorum verborum vis esse mihi videtur. Pronomine בָהֶם plane aliud subiectum indicari, quam in priore commate huius versus, omnis oratio docet. Ibi sermo erat de seditiosis hominibus coniuratis fiduciam in pravis suis consiliis ponentibus. Hos increpare, quod Dei auxilium non quaererent, vates non poterat. Quodsi quaesivissent, Deus flagitiis eorum adnuere debuisset. Iam ex eo patet, hanc novam partem orationis cum praecedente nullo modo cohaerere. Subiectum autem, de quo nunc vates sermonem facere incipit, omnino est *gens Israelitica.* Ut enim in prioribus huius capitis versibus neminem fugere potest, omnia nonnisi sigillatim respectu ad aliquod factum historicum habito pingi, sic inde ab altera parte huius commatis omnia ita in genere describuntur, ut de populo Israelitico in universum valeant. Praeterea,

VII, 8.

ut significatio pronominis בָּהֶם supra omnem dubitationem efferatur, vates v. 8. expresse אֶפְרַיִם pronominis loco nuncupat.

8. אֶפְרַיִם: *quod ad Ephraimum pertinet*. Nominativus absolutus, uti 6, 8. al. forma dicendi vati usitatissima. בָּעַמִּים: *cum barbaris*, cf. Deut, 7, 6. Exod. 19, 15. Ies. 10, 13. הוּא יִתְבּוֹלָל: *ille* scil. Ephraim *miscuit se*, nimirum ut foedera cum iis iniret et auxilii causa legatos ad eos mitteret, unde etiam eorum mores et superstitionem didicit, cf. Drusius ad h. l. Alii v. c. Grotius et Schmidt intelligunt verba nostra de abductione Israelitarum in captivitatem, ac si Deus loquutus sit: *ego feci, ut cum populis Ephraim commisceretur, a quibus captivus abductus est, si forte hoc modo ad poenitentiam adduceretur, sed etiam hoc frustra est*. Non bene. Cum enim יִתְבּוֹלָל alternis legatur cum verbo קָרָא v. 7., de invocatione auxilii sermonem esse apparet. Lutherus egregie ad h. l. monuit בָּלַל esse verbum usitatum de placentis oleo subactis, cf. Exod. 29, 2. Lev. 7, 12., unde intelligitur, quomodo vates ad imaginem placentae ab illo verbo transierit. Hieron.: *factum est regnum decem tribuum sicut omnium nationum, quia a Deo recesserunt*.

Comparatur nunc Ephraim *placentae non versae*: עֻגָה בְּלִי הֲפוּכָה i. e. *non satis percoctae sed inter coquendum corruptae*. Placentae enim in clibano super pruinis coquendae saepius verti debebant, ne corrumperentur. Itaque habemus tertium comparationis. *Quoniam Israelitae non ad Deum se vertunt, qui iis auxilio futurus est, sed ad barbaros, nemo est, qui eos curet*. Sic omnia nationis egregia initia, instituta, vires, beneficia Dei frustra iis collata sunt. Parata iis quidem est conditio, qua iis bene esse posset; verum tantum abest, ut vires evolvant et incluta natio fiant, ut nemine iuvante interituri sint, antequam ad felicitatem a Deo sibi destinatam evehantur. Alii, ut Drusius, intelligunt locum de hypocritica eorum pietate, quae non plane cruda nec satis cocta fuerit, dum nempe et vitulos adorarent, et per Deum aeternum iurarent

4, 15. atque ita claudicarent in utramque partem 1 Reg. 18, 21, timentes Iehovam et idola colentes 2 Reg. 17, 33. Alii, ut Lutherus, secundum Chaldaeum et Syrum de aviditate et perfidia amicorum ab Israelitis quaesitorum explicant, qui eos comedant ut placentam, antequam vertatur i. e. dum adhuc semicocta et paene cruda sit. Hieron.: *qui non agit poenitentiam.*

9. זָרִים: *peregrini, barbarae nationes,* quas in auxilium vocarunt, devorant vires Ephraimi. Propterea Israelitae non poterant ad fastigium honoris et felicitatis evehi, similes placentae inter coquendum neglectae. Sic v. c. auxilium, quod Phul Tiphsahitis contra Menahemum tulit 2 Reg. 15, 19. extorsit populo ingens tributum; aliud foedus, quod Pekah cum Rezino rege Syrorum iniit, excitavit devastationem felicissimis regionibus civibusque exilium 2 Reg. 15, 29. וְהוּא לֹא יָדָע: *sed ille,* Ephraim, *non sentit.* Duplicem haec verba habent significationem, et: *non sapere discit* Ps. 73, 22. Ies. 32, 4. i. e. non intelligit miseriae suae causam, sic Eichhorn, et: *non intelligit, non capit omnem suam miseriam.* Nam praeter publicas calamitates, quae populo inferebantur a barbaris, erant insuper occultae, quae, quamquam gravissimae, tamen a vulgo negligebantur, depravatio morum, luxuries, idololatria, fortasse aliae artes callidorum principum inter barbaros, quibus seditiones alebant et civitatem Israeliticam magis magisque debilitabant cf. 11, 5. גַּם־שֵׂיבָה זָרְקָה בּוֹ nonnulli vertunt: *canities spargit in eum* scil. canos, signa aetatis decrepitae. Melius זָרְקָה significationem habet intransitivam: *spargit se, sparsa est,* cf. Gesen. ad h. v. et introd. p. 113. Defectu virium et senectute canescunt capilli, unde inter omnes poetas canities indicat imbecillitatem et prope instantem obitum, cf. exempla ap. Liveleium e Propertio, Ovidio et Claudiano. Ipsi sacri scriptores hac imagine interdum utuntur, v. c. Ies. 46, 4. Ps. 71, 18. Gen. 44, 29. 31. Sens.: *exhausti omnibus viribus iam senio confecti sunt et ad mortem s. interitum ruunt.* Hieron. hoc posterius comma ita explicat: *usque ad senectutem i. e. usque ad ultimam captivitatem in coepto errore permansit.*

VII, 10. 11.

10. Repetit nunc vates e 5, 5. וְעָנָה גְאוֹן־יִשְׂרָאֵל בְּפָנָיו: *in os criminatur Israelem superbia* i. e. *idola et sacra, quibus superbiunt.* Cum enim non ad Iehovam se contulit Israel, sed ad idola, ut sibi essent propitia, ab iis derelictus erroris et insaniae convincitur. Is enim usus est forensis verbi עָנָה de quo 5, 5. Eichhorn verba huius versus plane aliter vertit quam 5, 5., cum tamen sono sensu et nexu eadem sint: „der Starrsinn Israels zeugt ihm ins Angesicht." Certe rectius hoc loco quam illo. *Sed quamquam summo suo detrimento convicti sunt, nihilominus erroribus inhaerent, nec ad Iehovam redeunt, nec eius favorem pia mente quaerunt.* Verba לֹא שָׁבוּ אֶל־יְהוָה et לֹא בִקְשֻׁהוּ monent, vatem iterum, ut v. 7., dolorem neglecti reditus ad sacra et institutiones Hierosolymitanas in animo habuisse, cf. introd. p. 32. בְּכָל־זֹאת: *in omnibus hisce* scil. *afflictionibus, dum vires a barbaris consumuntur, dum senio confecti sunt.* Verum non pertinacia, sed stupor et insania causa est, cur non ad Deum redeant; nam non sentiunt magnitudinem calamitatum v. 9.

11. Stupor et imbecillitas Israelitarum a vate imagine columbae designatur. יוֹנָה פוֹתָה: *columba pellecta.* Elegans imago. Barbari abutebantur imbecillitate populi, pellicientes eum spe auxilii aliorumque commodorum, ut sibi fideret. Nec est, quod ab hac propria significatione vocis פּוֹתָה recedamus, ut alii fecerunt, qui vel *stolidam* vel *gementem* esse maluerunt. Occurrit illud verbum eadem significatione 2, 16. LXX. περιστερὰ ἄνους: Hieron.: *columba seducta*, multa inutilia adferens de causis, cur vates hac imagine usus fuerit. אֵין לֵב: *cui mens non est*, scil. suppleto relativo. לֵב autem Hebraeis est sedes cogitationum et sapientiae. Quae nos de capite, illi de corde praedicant, cf. Nehem. 7, 5. 1 Reg. 10, 24. Iob. 12, 3. Prov. 7, 7. *Sequuntur* igitur *Israelitae quemlibet eos pellicientem, non cogitantes, qui finis futurus sit illorum foederum aeque insipidorum atque nefariorum.*

מִצְרַיִם קָרָאוּ. Hoc l. cum accusativo, uti v. 7. cum praepos. אֶל, קָרָא idem significat: *opem implorare.* Cum

ex historia nulla alia occasio nobis nota sit, qua ad Aegyptios sese verterint Israelitae, nisi legatio regis Hoseae ad regem So 2 Reg. 17, 4., probe colligimus ea ipsa fuisse pacta Hoseae regis, quorum vates h. l. meminerit. Videntur enim res indicari quae eo ipso tempore agebantur. Quodsi in universum de pactionibus cum barbaris nationibus monere voluisset, in promtu fuisset foedus multo absurdius idque regis Pekahi cum Rezino rege Syriae contra Iudaeos. Accedit quod totus locus vacillationem columbae pellectae i. e. Israelitarum inter Assyrios et Aegyptios, quorum utrique spem felicis eventus aluerant, indicat. Quemadmodum igitur historia ancipitem reipublicae statum regnante rege Hosea refert, sic vates de calamitatibus imperii tali modo agit, ut verba de illis temporibus valere nobis persuasum esse possit. אַשּׁוּר הָלָכוּ pro לְאַשּׁוּר s. אַשּׁוּרָה, cf. 2, 16. 2 Chron. 9, 21. cet. e noto Hebraismo. *In Assyriam abeunt, ut ibi opem quaerant*, quemadmodum 8, 9. עָלוּ אַשּׁוּר. *Aegyptios igitur vocant, Assyrios adeunt, Iehovam autem invocare, sanctuarium eius Hierosolymae, ubi solummodo auxilium petendum est, adire nolunt.* Ex omnibus intelligitur vatem etiam ad finem vitae, ut antea c. 1–4., infaustam defectionem 10 tribuum a sacris et regibus Hierosolymae deplorasse, ita tamen, ut, quod initio vaticiniorum speraverat, de eo nunc desperaret, cf. v. 7.

12. Imago columbae adducit aliam imaginem, eamque retis in quo aves capiantur. כַּאֲשֶׁר *quemadmodum* i. e. *quocunque* ibunt. Sens.: *Postquam ad me et ad mihi acceptum cultum in sacris Hierosolymitanis pie exhibendum redire noluerunt, ad quoscunque socios barbaros abituri in interitum suum properabunt.* אֶפְרוֹשׂ עֲלֵיהֶם רִשְׁתִּי: *expandam iis rete meum.* Imago a vatibus magnopere amata 5, 1. Ez. 12, 13. 17, 20. al. עֲלֵיהֶם h. l. non *super eos* esse potest, quoniam postea deiiciendi dicuntur, itaque vel significat: *contra eos*, ut Ps. 27, 3. Ies. 29, 8. Ez. 29, 2. cf. Glass. Phil. S. p. 477. vel solum dativum: *iis*, indicat, ut apud seriores Hebraeos ex usu Chaldaeorum et Syrorum cf. Iob. 22, 2. 33, 23. 38, 10. *Rete meum* i. e. *afflictio-*

nes, poenas meas, quibus, etsi hucusque iis pepercerim adeoque bene iis fecerim, tandem velut reti capientur, nec ullus eos e manu mea liberabit 5, 14. *Eos enim ut aves aëris deiiciam:* אוֹרִידֵם. Quaesitum est, quorsum eos deiecturus sit? Sine dubio in rete: nam de eo sermo est. Alii malunt in terram. Hieron.: *et si exaltati fuerint ut volucres, inde detraham eos.* Eodem modo Schmidt: *ut nempe Israelitae visi sibi sint omne malum evasisse, ita subito mutabitur rerum status misereque peribunt*, et Eichhorn: „wie einen Vogel in der Luft werd' ich es niederstürzen."

Capti autem a me poenis adficientur. אַיְסִרֵם: *puniam eos*, in coniug. Piel de puerorum educatione usitatum est: *castigare* et *punire.* Hinc omnino de modo paedagogico Dei homines punituri occurrit Ier. 31, 18. Ps. 6, 2. 118, 18. Lev. 26, 18. 28. כְּשֵׁמַע: *veluti fama* i. e. *ut fama fiant*, s. ut Latini dicunt: *ut fabula fiant.* Nam שֵׁמַע saepissime de *malo rumore, qui terroris causa promulgatus est*, occurrit, cf. Num. 14, 15. Deut. 2, 25. Ies. 23, 5. לַעֲדָתָם: *coetibus suis ipsis* i. e. omnibus congregationibus miserandi populi, si quae adhuc ex instante interitu superstites evadent. Eodem fere sensu Schmidt: *castigationem eos faciam aliis, cum audiverint famam, quae erit congregationi eorum, i. e. adeo graviter illos puniam, ut aliis eos faciam exemplum irae et poenae meae.* Verum non aliis, sed ipsis suis posteris nunc puniendos exemplo fore suffix. ם significat. Deut. 28, 37. legitur: וְהָיִיתָ לְשַׁמָּה לְמָשָׁל וְלִשְׁנִינָה בְּכֹל הָעַמִּים, quo loco illud שַׁמָּה nostro שֵׁמַע prorsus respondere videtur. Fortasse modo propter cognationem literae ה et ע utrobique diverso modo scribuntur. Ita certe uterque locus se illustraret. Hieron.: *caedam eos secundum auditionem coetus eorum*, i. e. *ut audientes ventura supplicia solis terroribus emendentur. Corripiet enim eos comminatione et auditione poenarum, at correpti non pereant in aeternum.* Plerique, inter quos Lutherus, accipiunt ita: *castigabo eos secundum auditum in eorum concionibus* i. e. *quemadmadum iam diu auditum est in eorum concionibus per Mosem et prophetas.* Verum usus praep.

ל repugnat, quae non facile eo sensu pro ב ponatur. LXX. ἐν τῇ ἀκοῇ τῆς θλίψεως αὐτῶν, ut legisse videantur לְעָנְתָם.

13. Addit vates comminationes, adiectâ simul causâ, cur futurum sit ut puniantur, quae non alia est quam quae in praecedentibus continebatur, nempe quod in calamitatibus sese non ad Deum converterint, sed circumvagati sint huc et illuc auxilium quaesituri. *Vaeh illis!* exclamatio usitatissima, summam calamitatem indicans, cf. Ies. 1, 4. al. נָדְדוּ מִמֶּנִּי: *vagati sunt a me*, indicat inconstantiam et defectum fiduciae in quaerendo auxilio, cf. Iob. 15, 23. מִמֶּנִּי eandem vim habet quam 1, 2. מֵאַחֲרֵי יְהוָה: *me deserentes circum vagati sunt* i. e. *a me aberrarunt.* שֹׁד לָהֶם scil. הָיָה *vastatio iis instat*, pro quo LXX. vel δῆλοί εἰσιν, quod Hieron. exhibuit ita: *manifestati sunt*, vel δείλαιοί εἰσι h. e. secundum Hieron.: *meticulosi* s. *miseri sunt* (nomen apud Graecos usitatum significans *timidos* a δείλη *vespera*, quod tempus est timidorum). Utraque lectio e corrupto textu orta videtur. כִּי פָשְׁעוּ־בִי: *peccarunt in me.* Chald.: *rebelles sunt in verbum meum.* Quale eorum peccatum fuerit, posterius comma refert, nimirum fucata eorum pietas, quae quamquam bonam speciem prae se ferens, dum nempe ad Iehovam precarentur, nil erat nisi mendacium. Duplex ו in sequentibus vim adversativam habet: *ego quidem — illi autem.* וְאָנֹכִי אֶפְדֵּם: *eos quidem redemturus eram* i. e. *semper paratus eram ad eos liberandos et restituendos.* Est enim significatio futuri continuam actionem indicans. פָּדָה non tantum *liberationem e captivitate*, ut Hieronymus vult, sed *ex omnibus miseriis* indicat Ps. 71, 23. 25, 22. 130, 8. Fortasse sigillatim feliciora tempora Ierobeami II. innuit, ubi res Israelitarum in melius verti poterant, modo ipsi sapientes et probi fuissent. וְהֵמָּה דִּבְּרוּ עָלַי כְּזָבִים: *illi autem mihi mendacia locuti sunt. Preces et signa pietatis eorum non ex animo integro prodierunt*, cf. 4, 15.

14. Sequitur descriptio fallaciae Israeliticae. *Clamaverunt quidem*, inquit vates, *sed nec ad me, nec ex*

VII, 14.
animo, בְּלִבָּם. Quod ita uno verbo designatur, locupletius Iesaias describit 29, 13. nimirum verba et facundiam labiorum non esse veram erga Deum devotionem. כִּי יְיֵלִילוּ עַל מִשְׁכְּבוֹתָם: *dum eiularunt super cubilibus suis.* כִּי h. l. voce *dum*, ut v. 6. 11, 1., in nostras linguas transferri oportet. Non enim expresse causam indicat, sed utrumque comma ita coniungit ac si dictum esset: *nam eiularunt quidem super cubilibus suis, sed non ad me clamarunt.* Ceterum elegantissima inest huic versui membrorum oppositio. In priori vates, quae super cubilibus mente volvant, in posteriori, quomodo in vita se gerant, indicat. *Non igitur Deum, sed triticum et mustum quaerunt, in ore gestant fortasse Deum, in animo huius terrae commoda.* יִתְגּוֹרָרוּ elegans verbum: *peregrinantur, ad peregrini quid se conferunt.* Significatio ita simplex et facilis est, ut satis mirari non possim, quî interpretes eam neglexerint. גּוּר enim est usitatissimum verbum: *peregrinum esse.* Hinc naturalis significatio coniugationis Hithpael: *se peregrinum facere, peregrinari*, cf. 1 Reg. 17, 20. Ier. 30, 23., quo posteriore loco סַעַר מִתְגּוֹרֵר est: *procella è longinquo, tanquam e locis peregrinis irruens.* Vates pium cultum Dei Mosaicum ex eoque oriundum favorem Iehovae peculiare tegmen ac domicilium suis designaverat, quem vero deserentes ad plane alienum quid peregrinantur. V. 11. abierant ad Aegyptios et Assyrios, nunc ad triticum et mustum.

Interpretes proxima spernentes e longinquo vario modo explicationem huius verbi quaesiverunt. Plurimi secuti Chald. ita vertunt: *propter mustum et triticum congregant se*; idque de congregationibus in templis idolorum intelligunt. Verum etiamsi גּוּר indicet: *se congregare*, tamen הִתְגּוֹרֵר hanc significationem neque ex etymologia neque ex analogia locorum illorum parallelorum admittit. Alii id probe sentientes ad radicem Arabicam confugiunt, ut depromant significationem: *prosternunt se* s. *timent.* Hinc Eichhorn suam interpretationem sumsisse videtur: „W ü r d' i c h s i e b e g n a d i g e n — s i e w ü r d e n ü b e r K o r n u n d M o s t s i c h

krümmen." Alii Syrum secuti: *solliciti sunt.* Cf. de Wette: „um Getraid' und Most ist ihnen bange." Hieronymus vertit: *super triticum et vinum ruminabant* i. e. *propter abundantiam omnium rerum corruerunt et pecudum modo se ingurgitarunt.* LXX. legerunt יִתְגֹּדָדוּ, ut 1 Reg. 18, 28. ἐπὶ σίτῳ καὶ οἴνῳ κατετέμνοντο· *propter triticum et vinum dissecabantur*, nimirum in exemplum sacerdotum Baalis, qui praesente Elia concisione membrorum pluvias a Deo extorqueri opinabantur. Quam lectionem et a genuino textu et ab ingenio vatis aeque aberrantem S. V. Kuinoelium secutum esse miror. Alii eandem lectionem, quam vere in pluribus codd. invenerunt de Rossi et Kennicott, ab alio verbo גָּדַד deducunt ita: *turmatim conveniunt.*

יָסוּרוּ בִי. In pronomine בּ significatio est emphatica: *non* enim *a me*, sed *contra me recedunt* i. e. *ita a me recedunt, ut infenso animo erga me animati sint.* cf. 3, 9. Sic Schmidt, Rosenmueller et plerique optimorum interpretum. Quod idem probat parallelismus sequentis versus. Caeterum verba confirmant interpretationem nostram praecedentis יִתְגּוֹרָרוּ. Eleganter enim cohaerent: *peregrinantur ad triticum et mustum, a me autem recedunt.* LXX. ἐπαιδεύθησαν ἐν ἐμοί· *a me eruditi sunt*, ut lectum esse videatur יִוָּסְרוּ.

15. Recitat vates h. v. uti v. 13. beneficia, quibus animos Israelitarum gratos et pios reddere Deus conatus sit. יִסַּרְתִּי: *castigavi* s. *coercui*, verbum e puerorum educatione desumtum. חִזַּקְתִּי: *corroboravi.* זְרוֹעֹתָם: *brachia eorum* i. e. *vim reipublicae* potissimum militarem, cf. Ez. 30, 24. 25. 2 Chron. 32, 8. Dan. 11, 15. 22. 31. Hanc castigavit, coercuit et depressit v. c. temporibus Ioahasi 2 Reg. 13, 1—3., auxit et confirmavit temporibus Ioasi 2 Reg. 13, 23—25. et Ierobeami II. 2 Reg. 14, 25. 26. Vocem יִסַּרְתִּי LXX. plane omittunt, alii a radice synonyma אָסַר deducentes vertunt: *vinxi* i. e. *lege et disciplina ligamen brachiis eorum applicavi, ut robustiores fiant, quemadmodum per ligamenta corporis partes ad maiorem earum firmitatem constringuntur*, cf. Drusius et Liveleius;

VII, 15. 16.
nimium artificiose. Boeckel ex Arabico interpretari vult: *secundavi, felicem reddidi. Sed illi male erga me animati erant.* חָשַׁב רַע ex usu Hebr. indicat: *malas habere cogitationes*, cf. Gen. 50, 20. Nah. 1, 11. Malae autem eorum cogitationes erga Deum cernebantur defectione a vero cultu Dei et perverso amore idolorum, quem plurima flagitia sequebantur. Pfeiffer in comment. רַע putat esse i. q. כְּזָבִים v. 13.

16. Malevolum eorum animum describere pergit. יָשׁוּבוּ לֹא עָל: *non sursum redeunt.* עָל est adverbium: *super, supra*, et nude et in compositione voci מְעַל oppositum. Cap. 11, 7. legitur אֶל־עָל et prorsus eodem modo, quo hoc nostro loco: 2 Sam. 23, 1. הַגֶּבֶר (אֲשֶׁר) הֻקַם עָל. Itaque h. l.: *redeunt non supra* i. e. *non sursum*, *πρὸς τὰ ἄνω*. Quamquam ita idem sensus exeat, qui v. 10. *non ad Iehovam redeunt*, tamen coniectura eorum improbanda est, qui עָל contractionem epitheti Iehovae עֶלְיוֹן ex analogia יָהּ pro יְהוָה esse autumant. Nam nullo alio loco ita legitur. Respondet nostra interpretatio, quae plerisque interpretibus, v. c. de Dieu, Gussetio, Rosenmuellero placuit, optime sequentibus verbis, et eleganti imagini occasionem praebuit. Ceterum abierunt in alias sententias LXX. ita: *ἀπεστράφησαν εἰς οὐδέν*, non omisso adverbio עָל, sed transpositione verborum facta, dum nimirum pro לֹא עָל e negligentia legerunt עָל לֹא. Hieronymus ita: *reversi sunt in pristinum statum, quomodo a principio fuerunt, priusquam vocati fuerunt ab Abrahamo et postea per Mosen, ut essent absque legis notitia et iugo.* Legisse eum apparet עֹל pro עָל. Lutherus, Dathe et Eichhorn ita: *poenitentiam egerunt, sed non sinceram*, ac si עָל esset summum et perfectissimum in suo genere. Quae interpretatio admodum frigida est, et elegantem nexum huius commatis cum subsequenti imagine solvit. Castalio et Boeckel עָל coniunctionem *sed*, ut Gen. 48, 22. Exod. 16, 5., esse putant, ille, ut sens. sit: *revertentur in Ae-*

gyptum; sed nequidquam, hic, ut coniunctio pertineat ad sequens הָיוּ ita: *non redeunt; sed similes sunt arcui.*

Adverbium עַל viam aperit novae imagini. *Namque similes sunt arcui relaxato.* רְמִיָּה, a rad. Piel רִמָּה, significat: *quod deiicitur* s. *excidit ex suo officio*, hinc: *laxus; ignavus; remissus* Prov. 10, 4. 12, 24. 19, 15. Ier. 48, 10., cf Gesen. ad h. v. קֶשֶׁת רְמִיָּה igitur est: *arcus relaxatus*, qui aeque non sursum redit sed flaccidus pendet postquam sagittam iaculatus est, quemadmodum animus Israelitarum non sursum redit. Eandem fere e Schmidtio sententiam attulit Rosenmueller. Uterque in eo tantum errat, quod voce רְמִיָּה rupturam nervi indicari vult ita: *arcus; qui nervo rumpente fatiscit nec ferit iaculando.* Nullo enim modo de ruptione, sed de remissione nervi intelligi potest, cf. locus ab ipsis laudatus Ps. 78, 57. [21]). Hieron.: *arcus dolosus atque perversus; qui percutit dirigentem et vulnerat dominum scil. Deum blasphemiarum sagittis.* LXX. ὡς τόξον ἐντεταμένον· *intentus arcus*, quod omnino non in verbis inest.

יִפְּלוּ שָׂרֵיהֶם: *cadunt eorum principes.* Redit vates ad id, a quo exierat v. 7. Futurum יִפְּלוּ indicat: *non sufficere interitum regum, de quo antea v. 7. sermo erat, sed idem fatum instare omnibus tam perversae gentis gubernatoribus.* Quod etiam eventu probatum est interitu Hoseae ultimi regis 2 Reg. 17, 4. מִזַּעַם לְשׁוֹנָם: *prae protervia linguae eorum* i. e. *populi.* Praeter omnem dubitationem haec verba respiciunt ad כְּזָבִים: *mendacia, proterve edicta* v. 13. scil. *quod eiulabant in angustiis, verum non ad Iehovam, sed ad Aegyptios et Assyrios* v. 11., *non favorem Dei sed triticum et mustum quaerentes* v. 14. Protervia autem et impietas

---

21) Lutherus locum Psalmi bene vertit: „wie ein loser Bogen," sed nostrum male: „wie ein falscher Bogen."

VII, 16.
populi in causa fuit interitus regum, quoniam populus non intellexerat reges illos subinde cecidisse, ut vacante regis solio Deo se subiiceret et postero Davidis a Deo Hierosolymae constituto sed auxilio rebellantibus semper parato eos et in solium regium, et in interitum invitaverat. Hieronymus pronomen in voce לְשׁוֹנָם ad reges refert, quoniam *deceperint infelicem populum et vitulos aureos Deos appellare ausi sint.* — Quod autem accidit principibus, populum quoque tandem in interitum rapiet.

זוֹ לַעְגָּם: *haec erit eorum contumelia* i. e. *ita ludibrio erunt.* זַעַם לְשׁוֹנָם et לַעְגָּם ad se invicem respicere videntur. *Ut enim ipsi proterve locuti erant, ita aliquando protervíae barbarorum ludibrio erunt*, scil. ob foedus illud absurdum Aegyptiis oblatum. בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם: *in terra Aegyptiaca* i. e. *inter Aegyptios quorum auxilium contra Assyrios imploraverant.* Facile enim intelligi poterat Assyrios summa vi iam Israelitas prementes funditus subversuros esse imperium, antequam Aegytii ad eius auxilium advolare possent. Quod idem eventu comprobatum est, vid. 2 Reg. 17, 4—6.

XI.

Cap. VIII, 1—10.

Ad palatum tuum buccinam! Ceu aquila volitet super domum Iehovae. Propterea quod transgressi sunt foedus meum et legem meam violarunt. 2. Versus me vociferentur: mi Deus! cognoscimus te, nos populus Israel. 3. Abiecit Israel bonum: hostis eum persequetur. 4. Ipsi reges sibi eligunt non ex mea voluntate, principes sibi constituunt me non intercedente. Ar-

gentum et aurum suum adhibent ad faciendum sibi simulacra. Propterea exscindentur. 5. Abiiciet te vitulus tuus, Samaria. Ira mea in eos exardescet quamdiu probae mentis esse non poterunt. 6. Siquidem et ex Israele hic ipse ortus est, artificis opus, non Deus, et in scintillas ignis solvetur Samariae vitulus, 7. et ventus eum disperget turboque vehemens eum metet. At nullus in messe invenietur culmus sanus, germen non proferet farinam, atque si forte quam protulerit, a barbaris absorbebitur. 8. Absorbetur Israel. Iam eius cives barbaris prostituuntur ut vile vas quod ubique spernitur. 9. Ascendunt in Assyriam ceu onager sibi solitarius errans. Ephraim mercede conduxit illicitos amores. 10. Cum autem munera sua inter barbaros emiserint, equidem eos ad interitum colligam, et brevi succumbent principes oneri regis.

Sequitur novum fragmentum prophetiarum Hoseae idque, quod tempus attinet, post 5, 9. ponendum. cf. introd. p. 75. Illo loco velut sono buccinae vaticinium ediderat: *Ephraim desolata erit tempore correctionis suae.* Ad id respicere videtur initio huius fragmenti quippe quod ex orationibus nuperrime exhibitis in recenti memoria esset. Certe hoc nostro loco plane nullae minae s. grandioris momenti effata reperiuntur, digna quae sonitu buccinae edantur, si illas repetere nolimus. Quod interpretes probe sentientes putarunt verbis *ad palatum buccinam* nil inesse nisi *clamorem bellicum* eo tempore editum, cum aliquando novus hostium impetus fieret. Verum in toto loco nil bellicosi inest. Continet tantum exprobrationem peccatorum Israeliticorum et minas novarum calamitatum quae ab insana fiducia in gentes barbaras essent oriundae.

VIII, 1.

1. אֶל־חִכְּךָ שֹׁפָר i. q. 5, 8. תִּקְעוּ שׁוֹפָר. Secundâ personâ vates utitur ad indicandum iussum Iehovae ad se directum, ut illud vaticinium repetat, quod 5, 9. exhibitum erat. Scil.: *Ephraim desolata erit tempore correctionis.* Vates autem ex ardore dicendi non moratur in eo iterum recitando, sed omnibus cognitum esse sumit, ut transvolet ad novas infidelis populi reprehensiones. כַּנֶּשֶׁר עַל־בֵּית יְהוָה: *ceu aquila* sc. *volitet sonitus tubae illud vaticinium exhibens.* Imago aquilae et celeritatem, qua illud vaticinium penetret omne regnum Israeliticum, et terrorem, quem iniiciat, innuit, cf. Bochart. Hieroz. P. II, l. 2. p. 750. edit. Lips. v. Rosenm. ad h. l. *Super populum Iehovae* i. e. *Israelem.* Sic h. l. domum Iehovae intelligendam esse plerisque probis interpretibus placuit. Respondet usui loquendi 9, 8. 15. Num. 12, 7. Ier. 12, 7. Zach. 9, 8. sicuti omni orationi. Nam in toto hoc fragmento nil legitur, quod vatem de duabus tribubus, ubi esset domus Iehovae proprie sic dicta, cogitasse moneat. Nihilominus tamen antiquiores interpretes בֵּית יְהוָה de templo Iehovae intellexerunt, v. c. Hieronymus, Lutherus et inter recentiores Dathe. LXX. initium huius versus ita verterunt: εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ, ὡς ἄετος ἐπ᾽ οἶκ. Κυρ. de quo iam Hieronymus addit: *quid significet incertum est.* Interpretes qui sonitum tubae de clamore bellico intelligunt, sic pergunt in explicatione: *velociter sicut aquila hostis irruit,* vid. Rosenm. Cum quovis modo aliquid ad substantivum נֶשֶׁר supplendum sit, censeant interpretes, utrum illa mea de lacunâ orationis explendâ sententia simplicior et omni orationi aptior sit nec ne. Certe sententia de hoste irruente plane aliquid novi textui infert, quod nec a praecedentibus praeparatur, nec a sequentibus probatur.

In posteriore commate adfertur causa, cur illud vaticinium contra Israelitas edatur, nimirum: *quoniam foedus transierint et contra legem Dei peccaverint;* fere idem quod 5, 7. dixerat: בַּיהוָה בָּגָדוּ. תּוֹרָה et בְּרִית idem significant, *omnem institutionem cultus divini a Mose promulgatam* cf. Exod. 34, 28. Lev. 26, 15. Ps. 25, 10. 103, 18.

2. לִי יִזְעָקוּ: *versus me vociferentur: mi Deus* i. e. *frustra ad me clamant*, nam nil probi sentiunt. Futurum h. l. significatione optativa s. concessiva ut 5, 13. 10, 5. 11. Pertinet hoc ad proterviam linguae de qua 7, 16. Nam hypocritica reverentia erat, quam Deo praestabant, de qua subinde vates queritur vid. 6, 4. יְדַעֲנוּךָ *cognoscimus te.* Verbum, ut substantivum דַּעַת, cognitionem indicat, quae animum Deo advertit et pietatem gignit, cf. 5, 4. et 4, 1. 6. יִשְׂרָאֵל collective ponitur: *nos populus Israel.* LXX. et Syrus hoc verbum omiserunt; alii post אֱלֹהַי ponunt: *Deus Israelis cognoscimus te.*

3. זָנַח *abiecit, reiecit* Ps. 43, 2. 44, 10. 24. Zach. 10, 6. al. Quae interpretatio inter omnes antiquos sine omni haesitatione valebat. Hieron.: *proiicit Israel bonum.* LXX.: Ἰσραὴλ ἀπεστρέψατο ἀγαθά. Schroederus autem in Observv. selectis ex Arabico verbo putat esse: *rancidus fuit* s. *rancidus fit subsidendo in ubertate et affluentia bonorum.* Quam variantem sententiam Gesenius in Lex. ad h. v. ita cum usitata coniungit ut ex illa Arabica analogia זָנַח vere sit: *rancidum esse*, sed plerumque transitive adhibeatur: *pro rancido habere, tamquam rancidum abiicere* et omissa primaria significatione omnino: *reiicere. Abiecit autem Israel* טוֹב: *felicitatem suam, quod ipsi bene est*, cf. 3, 5. nimirum *Iehovam summum suum bonum.* Alii putant טוֹב i. e. *Deum* esse subiectum reiiciens, v. c. Drusius: *Deus bonus repulit Israelem, ideo hostis persequetur eum*, quod Ioh. Schmid *temerarium* vocat *circumstantiis textus obstantibus, contra omnem fere interpretum consensum scripturam in dubium vocare et ambiguitatis insimulare.*

In posteriore commate LXX. vulgarem textum אוֹיֵב יִרְדְּפוֹ mutarunt in יִרְדְּפוּ: ἐχθρὸν κατεδίωξαν. Verum et omnes Codd. versionesque antiquae v. c. Chald., Syrus, Hieron. lectionem LXX. ignorant, et nostra lectio sensui optime convenit. Illustratur enim causa, cur sine misericordia illud vaticinium sonitu tubae declaratum

eventu comprobandum sit: h. l. *quoniam Israel bonum abiiciat*, v. 4. *quoniam reges sibi ex arbitrio eligant idolaque sibi ipsi creent.* Quae tantam impietatem secutura sint, in fine huius et sequentis versus brevissimis iisque parallelis formulis indicantur. Praeterea in nostro versu inest elegans antithesis, ubi secundum Tarnovium *per oppositionem verborum* זָנַח *et* רָדַף *exaggeratur malitia et miseria populi,* et quemadmodum טוֹב verbum est notionem universalem involvens, ita אוֹיֵב in favorem oppositionis item in universum indicat: *gentem Israeliticam ab hostibus persequendam esse,* i. e. *eam nil nisi hostiles impetus exspectare posse ab omnibus, quibus fidat.* Ceterum רָדַף cum accus. de hostili persecutione valere satis constat, cf. Gen. 14, 15. Ps. 18, 38. S. V. Kuinoel lectionem יִרְדְּפוּ vulgarem vocat. Verum ut antiqui nostram יִרְדְּפוֹ exhibent, ita pauci recentiorum interpretum ab ea recesserunt.

4. Inhaeret igitur vates descriptioni Israeliticorum criminum. Huc pertinet primum *quod reges sibi eligant Deo non intercedente et constituente, sed ex suo ludibrio.* Spes, ut saepe vidimus, vati erat, fore ut extinctâ familiâ Iehu, cum non amplius regem habituri essent a Deo constitutum, ad familiam regiam Davidis redirent et una iterum natio fierent, cf. 3, 5. Verum insanus populus Deum non curans, eius voluntatem nec intellexerat, nec ei obediverat. Ipsi sibi reges constituebant, Sallumum et Menahemum, ut iam antea post exstirpatam familiam Baesae fecerant 1 Reg. 16. Postquam igitur iam in eo peccaverant, quod regem a Deo postulabant, qui solus eorum rex esse decreverat 1 Sam. 8, 7., novum peccatum addebant, quod ne consulturi quidem Deum reges ex suo arbitrio sibi constituebant. הִמְלִיכוּ: *reges fecerunt* i. e. *sibi constituerunt* וְלֹא מִמֶּנִּי: *non autem ex me* i. e. *non ita ut accipiant reges a me constitutos*, ut olim Saulum, Davidem, et nuper Iehu. Eundem sensum exhibent sequentia הֵשִׂירוּ וְלֹא יָדָעְתִּי: *duces sibi constituunt me inscio.* Intelligi haec verba debent ex anthropopathica de Deo cogitandi et loquendi ratione. *Deus inscius* nil aliud est nisi: *Deus*

non interrogatus per sacerdotes et prophetas. Hi enim interpretes divinae voluntatis in civitate Iacobitica instituti erant. Hiphil הִשִׂירוּ descendit a שָׂרַר: *principatum tenere* Iud. 9, 22. Ies. 32, 1. et indicat: *principes sibi constituere.* Maxime improbanda est eorum sententia qui illud verbum pro הֵסִירוּ positum esse putant, ut sensus sit: *illi instituerunt sibi et removerunt gubernatores me inscio;* quamquam 3 codd. apud de Rossium et Kennicottum ita legerunt. Hieron.: *ipsi regnarunt, sed non ex me, principes exstiterunt et non cognovi.* LXX.: ἑαυτοῖς ἐβασίλευσαν καὶ οὐ δι' ἐμοῦ ἦρξαν, καὶ οὐκ ἐγνώρισάν μοι. Pari errore significationem Hiphil uterque non curaverunt. Ceterum Hieron. nimium anguste disputat: *de Ierobeamo accipio et de caeteris, qui ei in imperio successerunt.* Utique hic rex a Deo electus fuerat conditione, ut faceret quod rectum esset in oculis Dei, cf. 1 Reg. 11, 38., qua quidem conditione a Ierobeamo violata eiusque familia exstirpata imperium non ad alios transferendum, sed stirpi Davidis reddendum erat. Idem valebat de Iehu rege, qui quidem vocante Deo in solio regio constitutus, tamen cum posteris modo ad certum tempus imperio praeesse iussus erat, cf. introd. p. 77. — Aliud crimen fuit: *quod aurum et argentum impenderant in idola.* Divitias enim acceperant a Deo, sed tantum aberat, ut grato animo erga Deum iis uterentur, ut vitulos aliaque idola inde fabricarentur. Verbum עָשָׂה h. l. cum accus. componitur: *fecerunt sibi simulacra,* ut 2, 10. cum praep. לְ *impenderunt in simulacra.* Eadem increpatio legitur 4, 7. 13, 2.

Nunc sequitur poena; quemadmodum v. 3. cuius recensioni etiam v. 5. inhaeret. לְמַעַן יִכָּרֵת: *propterea exscindetur* scil. *Israel* v. 3. Veteres interpretes exhibent pluralem, LXX. ὅπως ἐξολοθρευθῶσιν, Hieron.: *ut interirent*, Chald.: *ex argento et auro suo, quod sustulerunt sibi ex Aegypto, confecerunt sibi idola, propter quae exscindentur.* Omnes isti sensum potius quam verbum exponentes. Iarchi et Esra יִכָּרֵת referunt ad aurum et argentum, *ut* nempe *ab iis succideretur.*

VIII, 5.

5. Elegantem oppositionem initii versus tertii et verbis et sensu facit initium huius versus. *Ut Israel abiecit felicitatem suam, ita abiicient eum ipsius, in quibus spem posuit, simulacra.* זָנַח עֶגְלֵךְ שֹׁמְרוֹן: praeteritum propheticum, significatione futuri, quasi eventus iam adsit. *Abiicit te, o Samaria, vitulus tuus.* Suffixum ךָ ad verbum זָנַח ex usu Hebraicae linguae facile suppleri potest, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 734. Poetico enim modo fingit vates malum, quod fieri sinat simulacrum, cum potestatem impediendi nullam habeat, quasi ab eo inferatur. Remoto tropo: *deserit te in angustiis tuis idolum, quod mihi, omnipotenti tuo auxilio, praetulisti.* cf. Schmidt ad h. l. Samaria synecdochice posita est pro universo regno Israelitico, quoniam urbs regia fuit. Incertum est, num uterque vitulus Bethele et Dane usque ad eversionem regni permanserit, an, quod probabilius e nostro loco fit, alter in Samariam translatus sit, postquam fines imperii, in quibus Dan sita erat, saepius a Syris et Assyriis expugnati fuerant. Id tantum ex historia illorum temporum memoriae mandatum est, Ahabum regem Samariae sacra Baali constituisse, eadem autem a Iehu rege deleta esse. 1 Reg. 17, 32. et 2 Reg. 10, 27. Non video cur interpretes a significatione verbi זָנַח, quam paullo ante v. 3. probaverant, h. l. recesserint, quippe quae et huic nostro versui optime conveniat. Verterunt modo *subduxit se*, modo *rancidus* (abominabilis) *fuit* (v. c. Eichhorn: „Abscheulich ist dein Kalb, Samarien"), modo *proiectus est.* LXX.: ἀπότριψαι τὸν μόσχον σου Σαμάρεια (pro זָנַח legerunt זְנַח). Hieron.: *proiectus est vitulus tuus Samaria.* Chald.: *erraverunt ad vitulum Samariae.* Al. v. c. Liveleius et Rosenmueller iidem ellipsin accusativi supponunt, sed ubi nos suffixum ךָ, illi suffixum ם supplent ita vertendo: *reiecit eos* scil. *Israelitas vitulus tuus o Samaria.* Videant interpretes, num nostra ellipsis simplicior sit.

Sed non tantum abiiciuntur ab idolis suis, sed *ira Dei in eos exardescit.* בָּם. Saltus vatis in pronominibus ab altera persona ad alteram, de quo 2, 19. monuimus, et qui subinde redit, non amplius offendere

potest. חֲרוֹן אַף־יְהוָה locutio est saepius occurrens Num 11, 33. 2 Reg. 23, 26. Ies. 5, 25., anthropopathica de Deo loquendi ratione indicans *indignationem Dei et poenas inde secuturas.* עַד־מָתַי לֹא יוּכְלוּ נִקָּיֹן: *quousque* s. *quamdiu probae mentis esse non poterunt*? Interrogatio, quae apud seriores scriptores saepius relative ponitur, sic etiam a nostro vate adhibetur 9, 14. 14, 10., cf. Prov. 23, 35. Quod si hoc nostro loco interrogatio proferretur, simplex et facilis orationis series tolleretur; quod apparet ex Hieronymi explicatione, qui verba ita nectit: *illis non audientibus convertitur ad alios et quasi ad tertiam personam loquitur: usque quo non poterunt emendari? Quae ista, inquit, insania est me dante locum poenitentiae illos ad sanitatem nolle converti?* Si contra relative illa verba accipimus, oratio optime fluit et sensum exhibet vati usitatissimum, nimirum: *Deum tamdiu Israelitis iratum fore, quamdiu ad eum redire nolint*, cf. 5, 15. 3, 4. 5. לֹא יוּכְלוּ נִקָּיֹן: *non valent innocentiam* scil. *praestare*, ut secundum Gesenium suppleatur לַעֲשׂוֹת, cf. Iob. 42, 2. Ies. 1, 13. Ps. 101, 5. LXX.: ἕως τίνος οὐ μὴ δύνωνται καθαρισθῆναι ἐν τῷ Ἰσραήλ; quae posteriora verba ad versum sequentem pertinent.

6. כִּי coniunctio est vere causalis hanc novam sententiam praecedentibus adnectens. Causam enim, cur Iehovae ira illos improbos punitura sit, ad v. 5. addit: כִּי מִיִּשְׂרָאֵל וְהוּא i. e. *ex Israele ortum est illud ipsum idolum.* וְהוּא i. e. *vitulus.* Copula ו auget significationem pronominis, ut Latinorum *idem.* Qua ratione illud idolum ortum sit sequentia docent. Non enim ita, ut ipsi sibi id excogitaverint, quod vult Hieronymus (qui quidem sibi repugnat dicendo: *ex Israel ipse est, non ab aliis, ait, vitulum gentibus accepistis, ut Baal et Astaroth a Sidoniis cet. sed vos ipsi, quod in Aegypto didiceratis, fecistis*), sed: *quoniam inter vos factum est.* חָרָשׁ עָשָׂהוּ: *artifex fecit illud.* Ex eadem causa saepius insania cultus illorum idolorum a viris sacris deducitur, cf. 13, 2. Ies. 40, 19. 20. et plura loca apud Michaelem et Rosenmuellerum. וְלֹא אֱלֹהִים הוּא *non Deus est.*

VIII, 6.
Eichhorn: „ein Gott der Phantasey." Non fuit quidem sententia eorum, qui idololatriam introduxerant in Iacobi-posteros, ut illa monstra facta pro Diis ipsis haberentur, sed ut signum aliquod conspicuum divini numinis exhiberent. Hinc Aaron, cum vitulum aureum erigeret Exod. 32, 4. 5., coram eo posuit altare, ut ibi Iehovae sacra fierent. Hinc obiurgatio illorum ambiguorum, qui semper ad Deum clamare contenderent, dum idolis sacra facerent. Verum, ut fit, plebs insipiens inter Iacobitas, ut inter reliquas gentes ipsosque Christianos, subtile illud discrimen non capit. Imaginem veneratur, numinis imagine signati obliviscitur. Sic legimus Exod. 32, 4., postquam Aaron vitulum fabricatus erat, omnes vociferatos esse: *en Deos tuos Israel, qui te ex Aegypto duxerunt.* Quo factum est, quod diserte SSa testatur Israelitas, dum adorarunt vitulos et Baalem, Deum dereliquisse et creatoris oblitos esse vid. Deut. 31, 16. 1 Sam. 8, 8. Ps. 106, 13. 21. et ap. nostrum 2, 15. 8, 14. 9, 7. cf. Am. 5, 25. 26.

כִּי שְׁבָבִים יִהְיֶה. כִּי h. l. alio sensu adhibetur, quam in priori huius versus commate. Non enim propterea Deus Israelitis iratus erat, quod in שְׁבָבִים illud simulacrum erat dispergendum, sed quoniam Deus et vitulo et opifici idolum conflanti iratus erat, propterea dispergendum erat. Melius igitur coniunctio כִּי h. l. obtinet significationem *itaque*, ut ne praecedentis orationis causam indicet, sed ut praecedentia causam posterioris sententiae contineant, cf. 5, 7. 6, 9. Ioel. 1, 12. Hebraei subtile illud discrimen ignorantes nexum causalem omnium horum membrorum, quamquam in re diversum, una tamen voce admodum vagae significationis indicarunt, quam orationem in versione non aptius aequiparare censemus, nisi ut כִּי initio huius versus reddamus: *siquidem*, postea autem repetita particula: *et — et* utamur, ut (certe ad sensum) 2, 4. 7. cf. Ioel. 2, 11. 22. שְׁבָבִים, quod hac forma semel modo occurrit, sed formâ שְׁבִיב Iob. 18, 5. et Chaldaicâ שְׁבִיב Dan. 3, 22. 7, 9., illustrat Gesenius ad h. v. ex Arab. شَبَّ *accendere.* Hinc: *scin-*

tillae ignis, quae significatio in locis laudd. non obnoxia dubio est. Eodem sensu et h. l. intelligendum esse suadet non modo ista analogia, sed locus Exod. 32, 20. ubi Moses de monte Sinai reversus aureum vitulum igne exustum in pulverem contudisse et in aquam dispersisse narratur. Hunc locum vatem respexisse mihi persuasum est, quemadmodum saepius eum dictis et factis veteris historiae sacrae uti vidimus ad rem suam pingendam, cf. 2, 5. 17. 6, 7. 8, 13. 10, 10. Ita non tantum obscuritas verbi nostri, qua iam antiquae versiones laborarunt sed etiam sequentis versus clarior fit. LXX. vertunt: διότι πλανῶν (*seducens* s. *decipiens*) ἦν ὁ μόσχος σου Σαμ. Hieron. ab Hebraeo doctore accepit esse: *aranearum fila per aërem volantia.* Bochartus, quem plerique recentiorum secuti sunt, a Talmudico verbo שְׁבַב: *frangere* derivat, ut sint *fragmenta.* Chald. historiae Mosis propius accedit, ita: *in fragmenta tabularum redigetur.*

7. Versus et difficilis est, et sententia eius ab elegantia vatis nostri recedit, si lectionem vulgarem sequimur. Quaeritur enim, quomodo vates plane ex inopinato in imaginem tam singularem tamque ineptam inciderit: *seminant ventum, metent turbinem*, in qua illud etiam offendit, quod in utroque membro vates idem tempus, idque futurum posuit, quorum primum haberet praesentis significationem. Imagines apud vatem nostrum semper arctissime inter se et cum praecedentibus cohaerent; altera ex altera oritur. Non enim delectus, sed nimia extensio imaginum nonnunquam vituperanda est. Omnia bene se habent, modo pro יִזְרָעוּ et יִקְצֹרוּ legatur יִזְרָעוֹ et יִקְצֹרוֹ: *ventus eum* scil. vitulum in scintillas et pulverem mutatum *disperget, turbo vehemens eum metet.* Ita non vanitas tantum illius idoli ulterius pingitur, quod vati accommodatissimum est, sed, quod maximum est, pergit etiam vates in accommodatione sortis, quam ille primus vitulus Aaronis habuit. Exod. 32, 20. quid Moses fecerit vitulo adusto et in pulverem contuso narratur verbis: וַיִּזֶר עַל־פְּנֵי הַמָּיִם. Hunc itaque vitulum vates aeque vult dispergi. Hinc רוּחַ יִזְרָעוֹ. Quoniam autem in verbo

VIII, 7.
זָרַע simul inest notio seminandi (paronomasiâ, quam versio nostra assequi nequit), imaginem de messe annectit. *Procella*, inquit, *quod ventus seminavit, ut in messe auferet.* Imago est eximiae gravitatis: ubi enim procella messem facit, omnia abripiuntur et perduntur; nec efficacius vanitas simulacrorum et insania idololatriae describi poterat. Huic autem imagini de messe inhaeret, ad metaphorice designandos fructus quos cultus ille impius vitulorum producturus sit. *Nullus ibi est culmus erectus et sanus.* Pulvis et scintilla culmum gignere non possunt. קָמָה a קוּם est: *culmus erectus* et *sanus*, cf. Ies. 17, 5. Iud. 15, 5. Ita etiam genus masculinum in לוֹ suo loco est; pertinet ad עֵגֶל. Quodsi ad כִּיבָתָה referendum esset, auctor scripsisset לָהּ. צֶמַח: *germen, herba segetis* בְּלִי יַעֲשֶׂה קֶמַח: *non proferet farinam*, scil. *grana unde farina fiat.* Metaphorâ remotâ: *scintilla et pulvis eius a procellâ sublata nulli usui erunt.* Hactenus vates nil aliud indicare voluit, nisi vanitatem idoli, cuius nullum fructum capturi sint Israelitae. Sed addit אוּלַי יַעֲשֶׂה זָרִים יִבְלָעֻהוּ: *si forte proferat farinam* (scil. non procella, sed vitulus עֵגֶל, ad quem pronomen לוֹ nos delegat), *barbari eam devorabunt* i. e. *quod de cultu idolorum exsistit, nil aliud est nisi hoc: facilis praeda barbarorum eritis.* Barbari igitur soli fructum vestrae impietatis et superstitionis habebunt. Ita nexum idearum vatis diligenter secutus hanc meam de hoc loco sententiam versione exhibere et prolatam lectionem interpretibus commendare non dubitavi. Ceterum quamquam nulla codicum et versionum auctoritate nitatur, simplicissimo tamen modo inveniri potuit, cum sciamus accentus multo serius, nonnunquam, fortasse h. etiam l., ex auctoritate LXX. ortos esse, LXX. autem ipsos nimium incuriosos in ponderanda lectione et indicanda auctoris mente fuisse.

Quod ad vulgarem lectionem attinet, in primo membro: *ventum seminant* est: *vanos venti similes idolorum cultus seminant*, alterum membrum: *procellam metent*, si sensum habet, nil aliud indicat quam: *vanae eorum impietatis causâ ut a procella abripientur.*

in perniciem. Sed quorsum tum reliquae imagines de culmo, de germine et de farina? In procellâ non solida substantia inest, quae comparationi aliquam copiam praebeat. Itaque aut vatem ineptiae accusemus, aut ad emendandam lectionem recurramus, aut verbis quae non insunt iniiciamus necesse est. Sic v. c. Eichhorn: „Wind ist's was sie säen, und Wind ist's was sie erndten," quasi nil verbis contineatur nisi *notio vanitatis* ab Israelitis quaesitae et inventae. Verum omnino contra usum verbi סוּפָה, quod non *ventus* est sed *procella* (vid. Gesen. Lex. ad h. v.), e vulgari quidem nostri loci lectione sine tropo: *pernicies.* LXX. autem ipsi hunc locum iam ita emendare studuerunt: ὅτι ἀνεμόφθορα ἔσπειραν καὶ ἡ καταστροφὴ αὐτῶν ἐκδέξεται αὐτά· δράγμα οὐκ ἔχον ἰσχὺν τοῦ ποιῆσαι ἄλευρον: *quia a vento corrupta seminant et subversio eorum ea suscipiet. Non est manipulus habens vim faciendi farinam.* Chald.: *Nam domus Israel similis est ei, quod ventus disseminat et turbo demetit, in quo non est stans seges, proventum non faciet: quodsi forte opes comparaverint, gentes depraedabuntur eas.*

8. נִבְלַע יִשְׂרָאֵל: *absorbebitur Israel.* Schmidt recte sentit praeteritum esse propheticum pro futuro. Fervor enim indignationis prophetas rapit, ut quod adhuc futurum est, quasi rem praesentem designent. בָּלַע est i. q. אָכַל 7, 9. cf. Ies. 9, 15. *penitus consumere.* Quod vates repetito verbo בָּלַע e v. 7. dicit: *absorbebitur Israel*, iterum nostram praecedentis versus interpretationem confirmat. Non enim opes et alia commoda a ventosa satione carpenda, sed Israel ipse absorbebitur, quae fuit farina s. fructus idololatriae. עַתָּה הָיוּ: *iam facti sunt.* Non enim tempus exspectandum est. Iam adest eorum poena. גּוֹיִם i. q. v. 7. זָרִים *barbari.* כִּכְלִי אֵין־חֵפֶץ בּוֹ modus relativum exprimendi ut 7, 11., *ut vas cuius nullum est pretium* vel potius *desiderium* Ier. 22, 28. 48, 38. Ps. 31, 13. LXX. σκεῦος ἄχρηστον i. e. secundum Hieron.: *immundum.* Sens.: *contemtio iis continget ab illis gentibus, quas amore et studio prosecuti sunt.* Exemplum habemus in hi-

storia Menahemi; quod sine dubio vates spectavit. Coactus erat Assyrios magno pretio soluto eo adducere, ut pacem secum facerent 2 Reg. 15, 19.

9. Revera autem populum in eo peccasse, quod barbarorum amicitiam tam studiose quaesiverit, nunc uberius vates exponit. *Nam ascenderunt*, ait, *in Assyriam.* אַשּׁוּר pro אַשּׁוּרָה, ut saepius, cf. 2, 6. 7, 11. Dicitur autem *ascendi in Assyriam*, quoniam magis a mari remota in elatiore regione sita erat. *Ascendunt ceu onager sibi solitarius errans.* In nomine פֶּרֶא deest particula comparativa כְּ. Comparantur Israelitae onagro, ferae in deserto circumvaganti, indomitae sed non rapaci, cui potius aliunde insidiae struuntur. Ita fere describitur Iob. 39, 1—8., ubi cum rupicapris et cervis uno tenore recensetur et a LXX. ὄνος ἄγριος vertitur, cf. Sirac. 13, 19. Haec descriptio optime designat gentem Israeliticam, quae inconstans atque incerta et a vero Dei cultu ad idololatriam, et ab auxilio Iehovae ad Assyrios Aegyptiosque errans legum divinarum correctionumque ab iis sibi impositarum impatiens, ipsa inops et inermis insidiis et vexationibus peregrinorum patebat. Praeterea in voce פֶּרֶא est lusus verbi cum sequenti nomine אֶפְרַיִם. בּוֹדֵד לוֹ *solitarius sibi* vocatur, non *quod etiam* τῶν ὁμοειδῶν *consortium fugiat, ut nonnulli perperam sumunt: est enim animal in desertis gregarium*, sed *quia est eremicola et in locis desertis et solitariis versatur, cf. Iob.* 24, 5. *Ier.* 2, 24. *al.* vid. Michaelis ad h. l. cf. Bochart. Hieroz. I, 219. לוֹ est dativus commodi indicans, quod quis sibi ipsi ex suo arbitrio et ad suum commodum faciat, ut Iudaei, qui non prophetas et probe de se sentientes consulebant, sed sibi ipsis fidentes studium barbarorum quaerebant. Alii pleonastice positum esse putant, ut Exod. 18, 27. Ies. 31, 8. Am. 2, 13. Comparatio non valere potest de rege Assyriorum, nam imagini onagri nil violentiae, nec crudelitatis nec ferocitatis quid inest; deinde עָלָה אַשּׁוּר ex usu loquendi Hebraeorum non est: *ad regem Assyriae*, sed *in Assyriam ascendere.* Illud sonaret אֶל־אַשּׁוּר cf. 5, 13. עָלָה אַשּׁוּר est i. q. הָלְכוּ אַשּׁוּר

7, 11. Sunt tamen interpretes, qui ita vertant: *ascendunt ad regem Assyriae, qui ferae instar crudelis est.* Eichhorn: „dem nicht zu bändigenden wilden Esel.“ De Wette: „Sie wenden sich zu Assyrien. Doch wie ein Waldesel ist's allein für sich.“

אֶפְרַיִם הִתְנוּ אֲהָבִים. Ephraim collective ponitur pro Ephraimitis cf. 7, 1. *Mercede conduxerunt amores* i. e. *favorem barbarorum*, quod ad historiam Menahemi spectat 2 Reg. 15, 19. Dictum est in maius Israelitarum opprobrium, cf. Ez. 16, 33. Est enim exoletorum scortorum, mercedem dare amasiis ut commercium secum ineant. Eichhorn: „Liebkosungen verspendet Ephraim,“ quam explicationem vis coniug. Hiph. הִתְנָה non patitur. LXX. plane aliud quid habent: ἀνέβησαν εἰς Ἀσσυρίους, ἀνέθαλεν καθ' ἑαυτὸν Ἐφραὶμ, δῶρα ἠγάπησαν: *germinavit apud semet ipsum*, i. e. *sibi ipsi, non Deo crevit Ephraim, munera dilexit*, ut legisse videantur פָּרָא et הִתְנוֹת אֲהָבִים. Hieron.: *ipsi ascenderunt ad Assur imitantes onagrum solitarium, non ut oves pasti a domino, sed male abutentes libertate sua et abducti in captivitatem.*

10. Quae eorum fiduciam in barbaros nunc secutura sint, describit. כִּי iterum ut v. 6. latioris significationis est, causam minime exhibens, sed orationem quasi praecedentem et consequentem coniungens, ut Latinum fere *siquidem*. גַּם כִּי: *siquidem etiam*, vel latinius: *cum autem*, qua ratione Hieronymus nostra verba solvit: *sed et cum*. Al. *etiamsi*, ut Ies. 1, 15. Sed vis oppositionis utrique membro non inesse videtur. יִתְנוּ enim non indicat amores *assequi* sed *mercede oblatâ quaerere*. Itaque v. 10. magis continuatam sententiam praecedentium tali modo indicat, ut poenae comminatio insit. Sens.: *cum autem amores illos mercede data inter barbaros quaerant, equidem ad interitum eos, qui sibi ipsis fidentes tam impio consilio ad Assyrios errant, colligam.* עַתָּה: *nunc* i. e. *brevi tempore*, idem quod postea מְעַט. אֲקַבְּצֵם: *colligam eos* scil. Israelitas, nimirum ad mortem, s. interitum ut 9, 6. et verbum synonymum אָסַף 4, 3., cf. Gen. 25, 8. 35, 29.

VIII, 10.
Ceterum sensus fere idem est sive legatur יִתְּנוּ a נָתַן sive יִתְנוּ a תָּנָה, cuius utriusque lectionis auctoritatem habemus apud de Rossium. Dando enim conducunt barbarorum favorem. Verbum קָבַץ ab interpretibus vario modo explicatum est. Alii putant esse: *colligam eos, ut abducantur in Assyriam ibique dispergantur*, utique vaticinium eventui accommodatum; al. *compellam eos in Samariam aliasque urbes, ut ibi capiantur;* al. *colligam eos tempore redemtionis eorum, ut libertatem et rempublicam eorum restituam;* al. ad barbaros referunt: *colligam ipsas gentes, ad quas Israelitae confugiunt, non ad salutem, sed ad interitum eorum.* Hieron.: *congregabuntur ad pugnam et victi pariter abducentur.* LXX.: διὰ τοῦτο παραδοθήσονται ἐν τοῖς ἔθνεσιν, νῦν εἰςδέξομαι αὐτούς, יִתְּנוּ passive intelligunt.

וַיָּחֵלּוּ מְעַט מִמַּשָּׂא מֶלֶךְ שָׂרִים. Verba admodum vexata per interpretes. Quodsi, ut in multis codd. est וַיָּחֵלוּ (ל sine Dagesch) legitur, cf. Michaelis ad h. l., a חִיל: *parturire, dolere* Ies. 13, 8. 23, 5. derivandum esse apparet, ut sensus sit: *brevi principes dolebunt propter onus regis* i. e. *brevi principes aegre ferent onus a rege Assyriae sibi illatum.* Id optime convenire videtur orationi vatis. Confugerunt Israelitae ad Assyrios, ut eorum opem quaererent, principes favorem eorum conduxerunt gravissimis tributis. Rem ita bene gestam esse plebs et principes existimarunt. Errarunt autem. Tributa soluta erant, sed frustra salutem et faustum rerum eventum sperabant. Plebs brevi prolapsura erat in interitum, principes autem succubituri oneri a rege Assyriorum ipsis illato. Alii ab eadem radice derivantes interpretati sunt: *requiescent paullisper propter onera, quae ipsis reges et principes imponunt, ut pecuniam regi Assyriorum impendant.* Ita Hieron. LXX.: καὶ κοπάσουσι μικρὸν τοῦ χρίειν (ad ungendum מִמְּשֹׁחַ pro מִמַּשָּׂא) βασιλέα καὶ ἄρχοντες. Drusius et Dathe adeo ironice accipiunt: *quiescent paullisper, degent paullisper quiete in terra Assyriaca, nimirum servili conditione.* Al. e lectione יָחֵלּוּ a radice חָלַל, interpretati sunt e locis Iud. 20, 31,

Ez. 9, 6. 2 Chron. 29, 17. *inceperunt*, ut plures Hebraeorum probante Rosenmuellero. Verum haec interpretatio ea difficultate laborat, quod vel more inusitato מְעַט sumatur pro infin. verbi מָעַט *minui*, vel ellipsis difficilis inventu supponatur v. c. *inceperunt premi* s. *gravari*, vid. Rosenmueller ad h. l. Kuinoel et Gesenius hanc difficultatem evitaturi significationem aliam verbi חָלַל quaesiverunt, eamque invenerunt in Arabico verbo حَلَّ: *solvere*, unde h. l. Hiphil: *liberare*. Cf. vers. Kuinoelii: *gentes contra eos congregabo liberabuntque eos paullulum a regibus et principibus, qui iis tanto oneri sunt*. Quos sensum vatis penetrasse vix dixerim, מֶלֶךְ שָׂרִים. Alii, inter quos omnes veteres interpretes, supplent copulam ו, quam etiam plures codd. apud de Rossium et Kennicottum habent, ut utrumque nomen sit genitivus: *regis et principum*; alii recentiorum appellativum esse maiestaticum regis Assyriorum putant: *rex principum*, cf. Drusius, Boeckel, Eichhorn, modo perquam ex arbitrio; nam locus Ies. 10, 8., ad quem provocant, omnino nihil ad rem facit. Non enim credi potest vatem nostrum illum Iesaiae locum imitatum fuisse, quippe qui serioris originis est; si autem imitatus fuisset, ipsi scribendum fuisset מֶלֶךְ מְלָכִים quemadmodum Ez. 26, 7.

XII.

Cap. VIII, 11 — *IX*, 7.

Prout Ephraim altaria auxit, ut peccata sua ibi committeret, ipsa ei peccato sunt. 12. Multas ei scripsi leges, quae tamen tamquam alieni quid ab iis reputantur. 13. De oblationibus mihi debitis gloriantur. Ubique offerunt carnem eaque vescuntur. Nequaquam Iehova talibus sacrificiis delecta-

ri potest. Iam memor erit eorum impietatis, puniet eorum peccata, ipsique in miseriam Aegyptiacam revertentur. 14. Israel quoque obliviscitur creatoris sui, exstruit sibi palatia, augetque Iuda numerum arcium suarum, sed ignem immittam in eius urbes, quo palatia eorum consumentur. IX, 1. Noli laetari Israel, nec exsultare velut gentes. Nam a Iehova defecisti. Amore traheris ad copiam donorum, quibus repletae sunt tuae areae. 2. Areâ et torculari non pascentur, et mustum frustra ibi quaerent. 3. Non enim manebunt in terra Iehovae. Redibit Ephraim in Aegyptum et apud Assyrios immundis cibis vescetur. 4. Non vinum Iehovae libabunt, nec ei grata sacrificia facient. Inter luctum et lacrymas panem suum edent, omnia eorum alimenta inquinata erunt. Cibus ad vitam sustentandam ab iis capietur, nec erit qui inferatur in templum Iehovae. 5. Quid facietis diebus solennibus sacris dicatis? quid temporibus festorum Iehovae? 6. Heu cum effugerint prae devastatione patriae, Aegyptus mortuos eos colliget, Memphis eos sepeliet. Quod autem caras eorum aedes argenteas adtinet, ab urticis occupabuntur, domicilia eorum a spinis. 7. Imminent dies poenarum, imminent dies vindictae; Israel eos sentiet.

Novum fragmentum cf. introd. p. 78 sq. quod vel in posteriora tempora Menahemi, vel in media Pekahi incidere videtur. Sensu omnino recedit a prioribus. Dum enim illic de propensione Israelitarum opem barbarorum quaerendi, hic de superbia populi propter excellentiam cultus sacri, propter splendorem urbium, propter ab-

undantiam fructuum sermo fit. Dum illic de anxietate Israelitas premente exponitur, hic de gaudiis eorum agitur. Praeterea mentio fit Aegyti singulari modo, de qua in praecedentibus ne verbulum quidem occurrit.

11. כִּי. Si quis vellet coniunctionem causalem premere ad copulandum hunc versum cum praecedentibus, res diversi generis coniungeret. Hactenus enim de insano foedere cum Assyriis sermocinatus esset vates, quod Israelitis detrimento futurum sit, nunc copiam altarium et eorum securitatem in cultu licet magnifico tamen impio carpit. Praeterea prorsus novus nexus causalis in verbis nostris reperitur. Coniunctio כִּי h. l. idem valet quod 4, 6., scil. *quia*, *prout*, ita ut secundum Schmidtium ad h. l. apodosis ad particulam causalem demum postea sequatur, verum non ut Schmidt vult in ultimo versu capitis, sed in ultimis verbis versus nostri: הָיוּ־לוֹ מִזְבְּחוֹת לַחֲטֹא h. sensu: *prouti Ephraim altaria auxit, ut ibi flagitia idololatriae suae committeret, altaria ipsa ei peccato sunt.* Israelitae enim aras suas exstruentes duplex peccatum commiserunt: Deus Exod. 20, 4. 5. interdixerat, ne quis sibi faceret simulacrum, illi autem in altaribus idola venerabantur, cf. Lev. 17, 3-7. et Deut. 12, 12. 13.; itidem in uno tantum loco sacra publica fieri iusserat, illi autem in innumeros locos sacrificatum abibant. Itaque vates revera ad vituperationem suam saepius iam obviam redit, hoc sensu: *Vos qui pietatem vestram afferentes altaria in honorem Dei exstructa commemoratis, peccatum commisistis, nam exstructa sunt et contra Dei voluntatem, cui tantum sacrificia altaris a se ipso constituti placent, et peccatorum vestrorum causa, ut nempe simulacra ibi colatis.* Ceterum causam non video, cur, ut quidam interpretes malunt, verbo לַחֲטֹא altera vice alium sensum substituamus quam priore, ut nempe primo loco sit *peccare*, altero *puniri*. LXX.: ἐγένοντο αὐτῷ θυσιαστήρια ἠγαπημένα, *dilecta*, pro quo alii codices ἐπλημμελημένα, *deficientia*.

12. אֶכְתּוֹב futurum h. l. significationem praeteriti habet, ut saepius, cf. Hab. 2, 1. Glass. Phil. S. p. 312.

רִבֵּי, pro quo ex adnotatione Masorethica legendum (תּוֹרָתִי) רֻבֵּי: *multitudines legum mearum*, scil. *per Mosen et prophetas divinitus inspiratos traditarum.* Qui usitatum futuri adhibendi modum in verbo אֶכְתּוֹב vindicare conati fuerunt, supplerunt אִם *si scribam.* Hieron. adeo totum comma prophetiam esse autumavit, ita explicans: *scribam ei multiplices leges quae velut alienae reputatae sunt.* LXX. legisse videntur רוֹב: *καταγράψω αὐτῷ πλῆθος· καὶ τὰ νόμιμα αὐτοῦ εἰς ἀλλότρια ἐλογίσθησαν*, addiderunt praeterea e versu sequenti *θυσιαστήρια τὰ ἠγαπημένα*, ut lectio inde procedat מְאַהֲבֵי pro הַבְהָבַי. Sensus utriusque versus hic est: *auxit Ephraim altaria sua, sed non ut Deo probetur, sed ut peccata ipsius eo ipso facto augeantur. Equidem contra iis auxeram leges, ut iis obediendo plurimae parti sacrificiorum supersederent, mihique magis magisque probarentur* cf. 6, 6. Ies. 1, 11-17. Ps. 40, 7-10. *Verum me non audiunt, leges non curant, sacrificia verum Dei cultum, leges autem alieni quid esse reputant.*

13. זִבְחֵי הַבְהָבַי, nominativi absoluti, cf. 6, 8. 7, 8. al.: *quod attinet ad sacrificia donorum meorum* הַבְהָבִים substant. a rad. יָהַב: *dedit.* Intelligitur id genus sacrificiorum, quod מִנְחָה Lev. 2, 5. vocatur. Praeceptum enim erat, ut immolarent primitias et optimas partes frugum pecorumque a Deo iis benevole datorum Num. 18, 12.-18. Exod. 23, 19. 34, 26. Lev. 2. 23, 10-22. Eae ita sacrificandae erant, ut pars combureretur, pars sacerdotibus stipendio esset Lev. 2, 9. 10. Id autem Israelitae moribus corrupti non amplius curabant, quippe quorum sacrificia lautis epulis et luxurioso commercio occasionem praeberent, cf. 4, 18. Quae innuere videntur sequentia יִזְבְּחוּ בָשָׂר וַיֹּאכֵלוּ: *carnem immolant eâque vescuntur. Iehova autem iis* (sc. sacrificiis) *non delectatur.* Repugnant enim praeceptis eius et propter eorum abusum ipsa peccata sunt. Bene Hieronymus: *Altaria idcirco fecerunt, non ut mihi placerent, sed ut multis hostiis immolatis carnes earum comederent, nec suscipiet eas dominus, quas non illi sed suo ventri immolaverunt et gutturi.* Nonnulli secundum

Kimchium הַבְהָבַי vertunt: *dona, quae ipsi putant se dare mihi, quae tamen non mihi immolant, sed sibi ipsis, ut ea comedant.* Chald.: *sacrificant, quae ex rapina colligunt.* LXX. ad sensum non ad verba: διότι ἐὰν θύσωσι θυσίαν, καὶ φάγωσι κρέα, κύριος οὐ προςδέξεται αὐτά. Cum autem sermo Dei a vate recenseatur, vates, ut saepius cf. 1, 7., a prima in tertiam personam transilit, ita ut eius verba יְהוָה לֹא רָצָם idem valeant ac si dixisset אַתֶּם לֹא רְצִיתִי. Non igitur ad arcanum de verbo Dei h. l. locuturo confugiendum est, ut pii interpretes nonnulli fecerunt. Sens.: *his non delector.* Eandem sententiam in sequentibus gradatim severius exhibet. יִזְכֹּר עֲוֺנָם *memor erit* sc. *Iehova eorum impietatis*, וְיִפְקֹד חַטֹּאתָם: *puniet eorum peccata.* cf. 9, 9.

הֵמָּה מִצְרַיִם יָשׁוּבוּ: *illi ipsi revertentur in Aegyptum*, nimirum in servitutem et miseriam Aegyptiacam. Haec poenae loco recensentur ex antiquo vaticinio Deut. 28, 68. cf. introduct. p. 39. et 79. Quod vulgo viri docti praeeunte Hieronymo verba interpretantur: *convertuntur auxilium quaesituri ad Aegyptios, cum tamen ad Deum redeundum esset*, indeque concludunt, hanc prophetiam ultimis temporibus regis Hoseae editam esse, id admitti nullo modo potest, et quoniam verbum שׁוּב, certe in coniugatione prima, semper reditum aliquem involvit, et quoniam omnis nexus huius particulae plane aliud tempus indicat (cf. introduct. p. 78.), et quoniam oratio versus nostri commemorationem poenarum expositarum continet, denique quoniam interpretatio nostra hoc comma cum 9, 3—7. optime componit. Cum enim utique ex illis versibus c. 9. praesagium futuri exilii Aegyptiaci, quamquam eventu non comprobatum omnino evelli nequeat, non intelligo, cur hoc nostro commate simplicissimam explicationem admittere dubitemus, eam nempe, quae parallelismo sequentium versuum confirmatur. Gradus poenarum sic constituuntur: *Iehova iis non delectatur — memor erit eorum impietatis — animadvertet in eorum peccata — rursus abducet eos in Aegyptum.* Alii metaphorice verba nostra interpretantur, v. c. Rosenmuell., ut Ies.

VIII, 14.

10, 26. בְּדֶרֶךְ מִצְרַיִם, eo sensu: *abducentur in Aegyptum* (cf. Eichhorn: „in ein Aegypten sollen sie von neuem kommen"). Alii, ut Drusius: *redibunt in Aegyptum non hostiliter deportaturi, sed patriae suae vastitatem evitaturi*, uti Ier. 43, 4. al. Utrumque nimis artificiose excogitatum.

14. וַיִּשְׁכַּח יִשְׂרָאֵל אֶת־עֹשֵׂהוּ. Futura cum ו conversivo in prioribus membris vim habent praeteriti s. potius praesentis, in posterioribus praeterita cum eodem ו conversivo vim futuri. Postquam ad *Ephraimum* verba fecerat v. 11., nunc ad *Israelem* sermonem dirigit, qui quidem idem est, verum nomine mutato. Ad quem etiam copula ו spectare videtur: *Israel quoque.* Significare vult vates omnem gentem Iacobiticam prorsus contemtu Iehovae esse infectam. Ex eadem causa in altero huius versus commate *Iudaeorum* fastum reprehendit. Ad fastum Israelitarum in exstruendis non tantum altaribus (cf. v. 11.) sed etiam in palatiis aedificandis pertinet oblivio Iehovae. Nisi enim Dei obliti fuissent, minime fiderent arcibus et castellis, sed auxilio Dei toties promisso totque miraculosis eventibus significato. וַיִּבֶן הֵיכָלוֹת: *aedificat palatia*, cf. Ies. 13, 22. Prov. 30, 28. Hieron.: *delubra*. Verum si de delubris et templis adhibetur, semper fere ponitur הֵיכַל יְהוָה. LXX.: τεμένη, pr. *Deo sacrati agri*, hinc nonnunquam: *delubra*, quemadmodum Hieron. vertit. Sed etiam *Iuda* הִרְבָּה עָרִים בְּצֻרוֹת: *auget urbes suas munitas*, itaque particeps fit eiusdem indignationis divinae. Valent haec optime de temporibus Usiae, quo regnante procul dubio haec prophetia scripta est, de quo 2 Chron. 26, 9. 10. 15. *Construxit turres Hierosolymis, easque munivit, construxit et turres in solitudine multosque puteos cavavit, fecit et Hierosolymis tormenta artificiosa, quibus per turres et pluteos dispositis tela ingentiaque saxa iacerentur.*

וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ בְּעָרָיו. Copula ו habet h. l. significationem adversativam: *sed ignem immittam*, cf. Am. 1, 4. 7. 10. 2, 2. 5. Ita saepius apud poetas sacros ignes legati divini dicuntur, cf. Ps. 104, 4. Non igitur li-

quet, cur interpretes h. l. imaginem poeticam ita prosaice solverint, ut contenderent vatem dicere voluisse: *per hostes s. Assyrios immittam ignem in urbes Israelis.* וְאָכְלָה אַרְמְנֹתֶיהָ: *qui* (scil. ignis, cf. Am. 1, 14.) *devorabit arces eius.* Nomen אֵשׁ plerumque genere foeminino adhibetur, cf. Gesen. ad h. v. Foemininum autem suffixum primos LXX. offendisse videtur, qui propterea verterunt: καὶ καταφάγεται τὰ θεμέλια αὐτῶν scil. τῶν πόλεων. Explicanda est haec varietas generis ex usu poetarum Hebraeorum praesertim Hoseae, nomina propria populorum promiscue masculino et foeminino genere adhibendi. *Illud quidem populi respectu, hoc vero terrae aut synagogae ratione dicitur.* cf. Drusius ad h. l. Similis varietas generum est Am. 2, 2. 3. Thren. 2, 5. Hoc l. aptius etiam masculinum בְּעָרָיו pertinere videtur ad יִשְׂרָאֵל, foemininum אַרְמְנֹתֶיהָ ad יְהוּדָה.

IX, 1. Pergit nunc vates in reprehensione Israelitarum, magnificentiâ urbium et sacrorum superbientium. Addit: *pariter absurdum esse eorum gaudium propter abundantiam musti et frumenti, cum a Deo defecerint, qui ita in eos animadversurus sit, ut illis suavibus patriae donis non modo haud vescantur, sed in iam dudum annunciato exilio 8, 13. inter lacrymas panem edant. Noli laetari Israel* אֶל־גִּיל: *ad exsultationem,* cf. Iob. 3, 22. Ps. 43, 4. Indicatur vehemens gaudium, cui Israelitae sese commiserint, dum bello et tumultibus vix peractis in otio degentes felices temporum et messium vices experirentur. LXX. et Hieron. iterum legerunt אַל גִּיל: μηδὲ εὐφραίνου, *noli exsultare.* Chald.: *neque exsultetis iuxta consuetudinem populorum.* Certe ad sensum utraque lectio idem valet. Schmidt vertit e loco Dan. 1, 10.: *super similitudine* i. e. *super simulacro s. super vitulis tuis idololatricis, quasi res optime gesta et Deus tibi propitius sit.* כָּעַמִּים: *ut barbari,* cf. 7, 8. S. V. Rosenmueller ex Abarbanele suadet legi בָּעַמִּים i. e. *cum barbaris,* quod nonnulli codd. apud de Rossium et Kennicottum habent. Verum res non tanti est, ut a vulgari codd. et verss. lectione recedamus. כִּי זָנִיתָ מֵעַל אֱלֹהֶיךָ: *scortaris con-*

IX, 1. 2.

tra Iehovam, i. e. ut 1, 2. al. *idola revereris.* De praepositione composita מֵעַל idem valet quod de מֵאַחֲרֵי 1, 2., מִבֵּין 2, 4., מִתַּחַת 4, 12., scil. praepositione praefixa מִן contrarium alterius indicari. עַל est *versus, ad*, ergo מֵעַל: *contra.* Latini hanc praepositionum compositionem non habent; sens. est: *nam a Iehova defecisti.* אָהַבְתָּ אֶתְנָן: *diligis mercedem meretriciam*, i. q. אֶתְנָה 2, 14. cf. Deut. 23, 19. Ies. 23, 17. Sens.: *illa mercede delectaris.* Loquitur nimirum vates ex errore impio Israelitarum dona terrestria ab idolis sibi data esse reputantium, quod plane respondet orationi 2, 9. 14. Alii propriam nominis significationem tenentes ita vertunt: *mercedem tuam meretriciam idolis tuis offerre amas in altaribus, quae iuxta aream tuam constituisti.* Verum de talibus altaribus nusquam in SSa aliquid legitur. Israel contra semper pingitur mercedem meretriciam ab idolis exspectans. Denique ita vertendo verbis maxima vis infertur. *Merces illa meretricia* עַל כָּל־גָּרְנוֹת דָּגָן: *super omnibus areis frumenti* nil aliud indicat nisi: *fruges fertilissimorum agrorum, quibus areae tuae repletae sunt.* Similiter Hieron.: *mercedem fornicationis tuae areas multas et torcularia reputasti, ut rerum omnium abundantia fruaris: ideo area et torcular triticum et vinum non facient. Legimus enim sub Ahabo et Helia famem gravissimam fuisse in Samaria. Eo tempore iuxta literam area et torcular non pavit eos et in egestate tabuerunt.*

2. גֹּרֶן וָיֶקֶב לֹא יִרְעֵם: *area et torcular eos non pascet.* LXX. legerunt יְדָעָם: ἅλων καὶ ληνὸς οὐκ ἔγνω αὐτούς. וְתִירוֹשׁ יְכַחֶשׁ בָּהּ: *et mustum mentietur in ea* i. e. *in terra Israelitica*, ut nempe referatur ad posterius בְּאֶרֶץ יְהוָה cf. Gesen. Lehrgeb. p. 740. Pro eo verius legisse videntur multi codd. ap. de Rossium et Michaelem et verss. LXX. Syr. Chald. et Hieron.: בָּם: *iis* scil. *Israelitis.* *Mentiri* autem dicitur *mustum*, si *spem fallit, ut nimirum vino ex eo sperato non fruantur*, cf. Habac. 3, 17. Loca parallela ex Horat. Ep. 1, 7, 87. et Od. 3, 1, 30. attulerunt Liveleius et Grotius, cf.

Kuinoel ad h. l. Quomodo autem area, torcular et mustum spem eorum deceptura sint, sequentia exponunt.

3. *Non enim manebunt in terra Iehovae.* Similis descriptio est Am. 5, 11. ארץ יהוה dicitur *Canaan*, quam sibi peculium legisse fertur Iehova Deut. 11, 12. Ier. 2, 7. 16, 18. Ez. 36, 20. v. Michael. ad h. l. ישבו a rad. ישב: *sedebunt, manebunt.* ושב LXX. iterum a rad. ישב derivant: κατῴκησεν Ἐφραὶμ Αἴγυπτον. Rectius: *redibit in Aegyptum* (cf. 8, 13.), nimirum ut ibi pristinam servitutem suscipiat, secundum Deut. 28, 68. Alii nimis anxii in inveniendo vaticinio eventu comprobato locum ita vertunt: *revertetur Ephraim auxilia quaesiturus in Aegyptum, sed frustra; nam in captivitatem abrepti in Assyria ob rerum omnium inopiam et ciborum defectum res immundas, a quibus natura humana alioquin abhorret, comedere cogentur*, vid. Schmidt. Alii v. c. Grotius ita veritatem vaticinii vindicant, ut dicant: *si non omnes, tamen multos e decem tribubus ad primum adventum Salmanasseris in Aegyptum se recepisse*, cf. Ies. 11, 11. vid. v. 6.

ובאשור טמא יאכלו. Vates nimirum sensit Assyrios tunc temporis magis etiam timendos esse, quam Aegyptios. Illi enim iamiam in patriam terroribus regi populoque iniectis irruerant, dum Aegyptiorum arma silebant. Cum autem Moses Deut. 28, 35. etiam locutus fuisset de *gente vobis et maioribus vestris ignota*, ad quam abducerentur *ut ei servirent in rerum omnium penuria, imposito iugo ferreo eorum cervicibus usque ad interitum*, cf. v. 47–50., quid mirum, quod vates illa gente Assyrios indicari suspicatus fuerit? fortasse anceps adhuc utrum ad poenam Israelitis inferendam Assyrii e v. 35, an Aegyptii e v. 68. a Deo sint vocandi, cf. introd. p. 80. Quae porro h. l. breviter dicuntur טמא substantive pr. *sordes, impuritia*, i. e. *cibi lege divina vetiti* (cf. Lev. 11. 17, 4–16. cet.), in illo loco Deut. 28, 53—57., ad quem semper respexisse videtur vates, gravibus coloribus horribili modo pinguntur.

4. *Verum area et torcular non tantum ita spem eorum fallent, ne habeant quo vescantur, sed etiam*

IX, 4.

ita, ne relictum quidem sit unde Iehovae sacra faciant. לֹא־יִסְּכוּ לַיהוָה יַיִן: *non libabunt Deo vinum*, scil. propter inopiam. Erat genus sacrificiorum, de quo Gen. 35, 14. Exod. 29, 40. Lev. 23, 13., ubi ad oblationes frugum, מִנְחָה, libamina vini, נֶסֶךְ, adiiciebantur. Libationes istae iuxta modum et rationem in lege Mosaica stricte definitae erant; cf. Lund. Iüd. Heiligthümer III, 39. 76. cet. Ut igitur utrumque genus sacrificiorum usitatissimum erat et inter se coniunctum, nimirum נֶסֶךְ: Trankopfer et מִנְחָה: *fertum*, Speisopfer, quod posterius, ut vel ab egenis offerretur, e simplicissimis rebus, farina, oleo et thure miscebatur, cf. Lev. 2, 1., ita et h. l. eorum defectus apte recensetur ad designandam inopiam, qua post largas messes et vindemias nihilominus laboraturi essent. זִבְחֵיהֶם, quae inter vinum et panem commemorantur et cum decepta spe arearum et torcularium cohaerent, sine dubio illa *ferta* sunt. Ista autem לֹא יֶעֶרְבוּ לוֹ: *non dulcia ei erunt*, scil. quoniam propter inopiam omnium rerum omnino non offerri poterunt. עָרֵב de sacrificiis *Deo iucundis* saepius occurrit, v. c. Ier. 6, 20. Mal. 3, 4. Describuntur sacrificia in libris Mosis ita, ut vocentur רֵיחַ נִיחֹחַ לַיהוָה: *odor Iehovae suavis* Lev. 1, 17. 2, 9. 3, 5. al., ex quo hanc nostram dictionem aptissime de sacrificiis adhiberi intelligitur. Coniecturae alioqui aptissimae, ut יֶעֶרְבוּ h. l. primariam radicis significationem exhibeat: *non Deo sacrificia miscebunt*, repugnat, ut Rosenmueller monuit, id, quod עָרַב nunquam in prima coniugatione verum unice in Hithpael significet: *miscere*. Nonnulli זִבְחֵיהֶם propter accentuationem ad sequens comma referunt. Verum concinnitas orationis gravius videtur argumentum, cur ad praecedens referamus. Verba in utroque membro ita sonant, ut vix dubitari possit vatem non tantum rei parallelismum, sed verborum etiam in animo habuisse: לֹא יִסְּכוּ לַיהוָה יַיִן et וְלֹא יֶעֶרְבוּ לוֹ זִבְחֵיהֶם. Glass. in Phil. S. sibi contradicit dum p. 625. יֶעֶרְבוּ ad יַיִן et p. 966. ad זִבְחֵיהֶם refert.

כְּלֶחֶם אוֹנִים לָהֶם: *est iis ut panis lugentium*, scil. לַחְמָם: *panis eorum*. Hebraei amant ellipses vocum, quae facile e voce analoga et correlata eruuntur, cf. Glass. Phil. S. p. 629. 637. *Panis lugentium* vel i. q. *panis lacrymarum* Ps. 80, 6. i. e. *panis quo inter lacrymas et luctus vescuntur*, cf. Ps. 102, 10. 42, 4. et *panis angustiae* 1 Reg. 22, 27.; vel *panis qui mortuos lugentibus offerebatur*. Ii enim non suo pane sed ab amicis oblato vescebantur, vid. Lund. Iüd. Heiligthümer 3, 29, 13. cf. er. 16, 7., in quo iterum inesse videtur notio inopiae, ac si vates dicere voluisset: *non ipsi suum panem edent, sed qui iis ab aliis miseria et luctu exulum tactis, ut panis lugentibus, offeretur*. Hieron. in commentario addit notionem inquinationis ita: *non est licitum de sacrificiis lugentium comedere, et si comederit, immundum fiet quod licite oblatum est. Lugentium coenas Graeci νεκροδεῖπνα vocant, et non solum qui obtulerit, sed etiam qui comederit de huiusmodi cibis immundus erit.* Utrumcunque spectaverit vates, semper huiusmodi cibis aliquid abominabile infuisse Israelitis e loco Deut. 26, 14. apparere videtur, quod etiam statim addita verba vatis indicant: *omnes cibi eorum polluti sunt*. Ex omnibus intelligimus hanc descriptionem poeticam miseriae ab Israelitis in poenam fastus ipsorum obeundae esse omni orationi maxime congruam. Plures recentiorum זִבְחֵיהֶם ad praecedens comma referentes nihilominus iterum illud nomen supplendo repetunt, v. c. Eichhorn: „Auch können ihre Opfer ihm nicht wohlgefallen. Jedes Opfermal wär für sie Leichenbrodt.“ Verum nostra ellipsis et sensui vatis, et nexui orationis melius convenire videtur. Diserte enim et antea dixerat *eos vinum libare non posse*, et postea addit *eos panem Deo oblaturos non esse:* לֹא יָבוֹא בֵּית יְהוָה. Itaque verbis nostris nil inesse videtur nisi descriptio alimentorum ab illis miseris capiendorum, quae omnino non ad sacrificandum apta forent.

Omnino nil iis erit, quod possint Deo offerre. Quod ita exprimitur: כִּי־לַחְמָם לְנַפְשָׁם. Alii interpretes vocem לְנַפְשָׁם explicant ita ut נֶפֶשׁ positum sit pro

IX, 4.

nudo pronomine: cf. Ps. 3, 3. 35, 3. Ies. 51, 23. 46, 2. Iob. 9, 21., vel eo significatu, ut sit: *sibi ipsis*, i. e. *solitarie*, quemadmodum לוֹ 8, 9., vel (ut D. Kimchi): *pro se offerunt*. Verum hinc Israelitarum lacrymae, quod non suffecit panis, nec satis purus futurus erat qui Deo offerretur. Alii ad sequens comma referunt: *pro cupiditate animae eorum non poterit intrare templum Iehovae*. Rectius Schmidt: *est animae eorum* i. e. *in usum eorum animae sustentandae*, cui proxime accedit Grotius: *cibus eorum tantum usibus eorum servire poterit*, item Iarchi ad h. l. Quae est simplicissima vocis לְנַפְשָׁם explicatio. נֶפֶשׁ enim saepenumero significare *animam*, *principium vitae*, hinc *vitam ipsam*, notissimum est, cf. Gen. 35, 18. 1 Reg. 17, 21. Am. 2, 14. 15. Ita h. l. לְנַפְשָׁם: *vitae eorum* s. *ad vitam* scil. servandam et sustentandam, quemadmodum nostro ל respondens praep. אֶל in eadem oratione legitur: אֶל־נַפְשׁוֹ 1 Reg. 19, 3. et אֶל־נַפְשָׁם 2 Reg. 7, 7. nec non עַל־נַפְשֶׁךָ Gen. 19, 17. Ut dictio nostra plenior sit, ex Hebraismo aeque notissimo suppleri debet הָיָה: *panis ad vitam sustentandam est*, i. e. *panis quem habebunt tantummodo vitae eorum sustentandae sufficiet, nec restabit unde sacra Iehovae fieri possint*. Sic omnia ad descriptionem inopiae gaudia et opulentiam subsecuturae faciunt. לֹא יָבוֹא בֵּית יְהוָה: *non inferetur in domum Iehovae*, i. q. בְּבֵית יְהוָה cf. Am. 2, 8. Vates procul dubio utramque causam complectitur cur cibi non possint in templum Iehovae inferri, et inopiam et inde ortam malam ciborum conditionem. Deo non nisi optima et purissima quaevis dona offerri fas erat Lev. 22. Cum autem tanta inopia laboraturi essent, ut vitae sustentandae causa ad exiguum alimentorum penum, adeo ad impuros cibos confugiendum esset, non iis futurum erat quod Deo offerrent, si vel templum Dei medios inter ipsos esset. Itaque nullo modo exilium, in quo iis templum Dei procul abfuturum esset, tanquam impedimentum sacrificiorum a vate constituitur.

5. Sed venient dies festi, ubi quilibet pius posterorum Iacobi ad sacrificia properabat Lev. 23. Quid tum facient? Verbis מַה־תַּעֲשׂוּ inest emphatica apostrophe ad Israelitas, quibus instantes miseriae manifestissime ante oculos ponantur. *Nam vos*, dicere vult vates, *vos estis, qui haec omnia brevi patiemini!* יוֹם מוֹעֵד (cf. Num. 10, 10.) *dies stati ubi festa anniversaria a quolibet patrefamilias et ab universa civitate sacris solemnibus dicata celebrabantur*, cf. 2, 13. Iudaei et veteres Christiani interpretes *diem vindictae* s. *excidii* intellexerunt. יוֹם חַג: *gravissima festa cultus divini*, Paschatis, Pentecostes, tabernaculorum, cf. l. l. LXX.: τί ποιήσετε ἐν ἡμέραις πανηγύρεως καὶ ἐν ἡμέρᾳ ἑορτῆς τοῦ Κυρίου;

6. *Morte celebrabunt illa festa.* כִּי־הִנֵּה: exclamatio dolorem et admirationem indicans. Particulam כִּי cum exclamatione coniunctam redundare interpretes statuunt, cf. Glass. Phil. S. p. 537., quemadmodum Zach. 3, 8. 9. eodem modo, sine particula הִנֵּה Ios. 2, 24. 1 Sam. 10, 19. Gesenius in Lex. ad h. v. vim eius particulae in interrogationibus respondere contendit Gallicis: *est ce que?* Cur non in oratione directa omnino respondeat illis: *c'est que*, quae etiam non tantum nexum causalem, sed nexum praecedentium et sequentium liberiori modo efficiunt? Certe sic multae difficultates in eius vi constituenda fugient. Hoc l. eodem modo ut v. 16. significationem obtinet: *cum*, ita propius accedens ad 8, 10. Sens.: *cum abierint prae vastatione* scil. *aedium suarum*.

מִשֹּׁד pr. *prae* i. e. *propter vastationem*. Vastatio enim causa praedicitur cur *e patria* sint *abituri*. Utrum autem coacti an sponte e patria migraturi sint, vates incertum relinquit. Procul dubio quidem illud vaticinium Deut. 28. vi hostili barbarorum impletum iri cogitavit. מִצְרַיִם תְּקַבְּצֵם: *Aegyptus colliget eos mortuos*, cf. 8, 10. Ez. 29, 5. Eichornii interpretationi: „Aegypten wird fest sie halten," et usus verbi קִבֵּץ et parallelismus sequentis membri repugnat. Melius

IX, 6.

Boeckel: „Mizraiim setzt sie bei.“ מֹף תְּקַבְּרֵם: *Memphis eos sepeliet.* Moph, quae נֹף vocatur Ies. 19, 13. Ier. 2, 16., Syris Maphes, Aethiopibus Menuph, Arabibus Misr, Graecis Μέμφις, tunc temporis metropolis Aegypti, aedificata a rege Mene Herod. 2, 15. et 93., quae post antiquiores Thebas et ante recentiorem Alexandriam maxime floruit, in occidentali ripa Nili sita erat ad mediam partem Aegypti pertinens. Erant ibi praestantissima templa Phthais et Serapidis in quibus sacrati tauri Apides alebantur, quos Aegypti symbola divini numinis colebant. Ibi vere suum qui eos decebat locum occupaturi erant Israelitae exules, quippe qui mallent inter barbaros vitulos quam Iehovam cum piis patriae civibus colere. Verum non ut secure viverent, sed ut contemti obirent. Istius olim magnificae et splendidissimae urbis nostris temporibus fere ne ruinae quidem supersunt, cf. Bellermann Handb. d. bibl. Litt. 4. p. 152 sq.

Redit nunc vates ad sortem palatiorum, quorum vastationem, שֹׁד, iam antea indicaverat, ut Israelitarum superbiam frangeret, cf. 8, 14. מַחְמַד לְכַסְפָּם, nominativus absolutus, *quod attinet ad delicias eorum argenteas.* מַחְמָד pr. *desiderium* 1 Reg. 20, 6., hinc: *quod desideratur*, vasa et supellectiles 2 Chron. 36, 19. Ioel. 4, 5. et *quidquid omnino magni pretii aestimatur*, cf. v. 16. Hoc nostro loco de aedificiis intelligi nexus docet; nam eorum loco spinae et urticae crescent. Chald.: *domus desiderabilis argenti eorum.* Hieron.: *desiderabile argentum eorum i. e. villae et omnia ornamenta, quae pretio emuntur argenti.* Aedificia autem argentea non ita intelligi debent ac si omnino ex argento confecta fuissent, pariter atque Ps. 45, 9. et Am. 3, 15. eburneae domus non ebore exstructae. Utrumque est: *aedificia argento et ebore locupletissime luxuriosissimeque decorata.* קִימּוֹשׁ יִירָשֵׁם: *carduus s. urtica hereditabit ea*, i. e. *locum eorum tenebit.* Suffixum plurale indicat quod vates in mente habuit, aedes puta splendidas et argento magnificas. חוֹחַ בְּאָהֳלֵיהֶם scil. יִהְיֶה: *spinae in domiciliis eorum* i. e. in loco domici-

liorum erunt i. e. succrescent 10, 8. cf. Ies. 34, 13. Prov. 24, 31. Chald. pro קִימּוֹשׁ: vertit קַרְסְלִין feles, ferarum genus. LXX. pessime textum lacerarunt: διὰ τοῦτο πορεύονται ἐκ ταλαιπωρίας Αἰγύπτου καὶ ἐκδέξεται αὐτοὺς Μέμφις καὶ θάψει αὐτοὺς Μάχμας· τὸ ἀργύριον αὐτῶν ὄλεθρος κληρονομήσει αὐτό.

7. *Venerunt itaque dies poenarum.* Praeteritum propheticum, ubi futura ita pinguntur quasi iam adsint. *Venerunt dies retributionis.* שִׁלֻּם: *retributio*, ut nempe acciperent, quae fastus et impietas meruerint. יִשְׂרָאֵל, quod aliis locis modo genere masculino, modo foeminino adhibetur, h. l. collective cum plurali verbi numero compositum: *cives regni Israelitici.* יָדַע non modo affectionem animi, sed omnino animadversionem rei sensibus incurrentis indicat Gen. 10, 33. Iud. 13, 21. יֵדְעוּ: *sentient.* Supplendum est vel suffixum ם vel pronomen הֵמָּה scil. *illos dies vindictae et retributionis*, ut saepius, cf. introd. p. 103.

XIII.

Cap. IX, 7—9.

Fatui sunt prophetae et dementes illi ex inspiratione loquentes propter tot vestra peccata tamque nefarias machinationes. 8. Nunc quaerat Ephraim oracula apud Deum meum, prophetae eum undique circumdederunt tendiculis, quibus ut aucupes eum decipiant. Ita impiae machinationes intrant in familiam Dei ipsius. 9. Aeque abiectos et deperditos se praestiterunt ac tempore Gibeae: at memor Iehova eorum impietatis animadvertet in eorum peccata.

IX, 7.

Hoc fragmentum suo loco ponitur, ubi inter versum octavum et nonum sequentis capitis inseritur. Hoc loco neque cum praecedentibus neque cum sequentibus cohaeret. In illis sermo est de superbia Israelitarum, in his de turpissimo cultu Baal-Peoris. Quod autem ad fragmentum nostrum attinet, id in se ipso minime absolutum esse in oculos incurrit. Contra transpositione facta omnia bene se habent. Itaque ad caput sequens respiciendum est, ut oratio horum trium versuum commode capiatur. Vates enim 10, 1 — 8. tempora calamitosa pinxerat, quibus non deerant, qui adhuc felicissimum exitum omnium calamitatum portenderent, quos nostro loco increpat. cf. introduct. p. 82.

7. אֱוִיל הַנָּבִיא. Impii idololatrae aeque suos habebant *prophetas*, cf. Ier. 29, 23. 26. 1 Reg. 18, 19. 2 Reg. 10, 19. Thren. 2, 14. qui vel numine divino afflati loqui falso contendebant Mich. 3, 5. 6. 11., vel a Deo ipso iis immissa errorum inspiratione suos decipiebant 1 Reg. 22, 10-13. 19-23. Vates eos merito reiicit. *Sunt* enim *insipientes* et מְשֻׁגָּע. *Insani* ex quadam exsultatione, sed non ex ea, quam Deus iis excitavit, verum insania et dementia abrepti loquuntur. Vox eodem sensu occurrit 1 Sam. 21, 16. Ier. 29, 26. אִישׁ הָרוּחַ: *vir spiritus*, cf. introd. p. 113., qui versatus est in exstaticis illis artibus et exercitationibus, nimirum divinandi. Haec enim ars, sive a veris sive a falsis prophetis exerceretur, vento s. *afflatui a Deo venienti*, הָרוּחַ, tribuebatur, cf. 1 Reg. 22, 21. 22. 2 Chron. 18, 20—22. Num. 24, 2. 1 Sam. 10, 6. 10. 19, 20. 23. עַל רֹב עֲוֹנְךָ. Sens.: *propter multitudinem peccatorum revera evenire non possunt, quae commoda tibi portendant. Prophetae tibi feliciora tempora annunciant. Verum insaniunt: vel enim non intelligunt, vel intelligere nolunt ordines salutis, regni civibus propositos, nempe tum felices futuros, cum mihi obediant Exod. 20, 5. 6. Deut. 6, 1 — 15. cet. Peccata enim et scelera tua omnem salutem abs te removent et ipse ruis in tuam perniciem.* Eodem sensu etiam sequentia verba וְרַבָּה מַשְׂטֵמָה leguntur: *propter multitudinem tuarum*

nefariarum machinationum scil. *fausta illorum oracula eventu comprobari nequeunt.* Nomen subst. מַשְׂטֵמָה tantummodo in hoc et sequenti versu obvium; ortum est e rad. שָׂטַם: *decipulam ponere*, ad significationem verbi Syriaci, hinc: *infeste aliquem tractare*, vid. Gen. 49, 23. Iob. 16, 9. Quod plerique interpretantur *odium*, id omnino non significationem huius verbi penetrat; mallem: *hostiles machinationes* scil. contra Deum, quoniam omnia peccata rebellio contra Deum habebantur. Non est quod Kuinoel et Boeckel cum aliis עָוֹן et מַשְׂטֵמָה ad Deum transferant, illud *de poena*, hoc *de acerbitate calamitatum* Israelitis imponenda explicantes. Non enim de futura sed de praesenti conditione gentis agitur, nostris autem verbis causa adiicitur, cur prophetae insani habendi sint. Eichhorn: „Mit deiner Sünden Menge muss Hass und Feindschaft wachsen." Hi omnes nostra verba cum praecedentibus ita coniungunt: *ubi venerint dies vindictae, intelliget Israel prophetas suos dementes fuisse.* Verum quomodo postrema verba עַל־מַשְׂטֵמָה cum prioribus cohaereant, quisque suo modo definit. Kuinoel censet, *e poenis intellectum iri prophetas fuisse dementes.* Boeckel verba יֵדְעוּ־הָרוּחַ quasi in parenthesi ponit et postrema: „zur schweren Ahndung und als schweres Strafgericht," amplificationem verborum: *dies visitationis et retributionis* esse censet. Eichhorn eadem postrema verba e nexu cum praecedentibus solvit et sensum in se absolutum iis tribuit. Vides quam ambigua haec omnia sint. Omnis autem ambiguitas abest, ubi novam prophetiam verbis אֱוִיל inceperis. LXX. et Hieron. verba nostro sensu intellexerunt, sed מַשְׂטֵמָה verterunt: *μανίαν* et *amentiam.* Grotius ingeniosius quam verius: *omnia illorum verba nihil aliud quam culpas vestras et odium in bonos accendunt.* Addamus insuper, nonnullos sic locum nostrum interpretari: *veri prophetae tamquam stulti et vesani abs te contemnuntur propter tua peccata cet.*

8. Interpretes huius versus significationem e longinquo quaesiverunt, quae quidem in promtu esse videtur.

IX, 8.
Vati non tantum sufficit dementiam falsorum prophetarum commemorasse, adeo eorum malitiam incusat. Tantas enim illecebras populo struxerunt, ut reverti ad Deum non posset, etiamsi vellet. צֹפֶה אֶפְרַיִם עִם־אֱלֹהָי est nominativus absolutus, e ratione loquendi vati admodum familiari, *quod attinet ad Ephraimum speculantem cum Deo meo* i. e. *oracula et monita Iehovae quaerentem*, uti צָפָה occurrit Ez. 3, 17. Hab. 2, 1. Ps. 5, 4. Sens.: *nunc si Ephraim oracula quaerit*, s. concessive: *fac Ephraimum oracula quaerere, non aliunde, nec, ut pleraque, animo a Deo recedénte, idolis admoto, sed studio eius monitis attento.* Est igitur elegans usus praepositionis עִם, quae etiam aliis locis significat: *apud, penes*, v. c. Ps. 73, 23. cf. Gesen. Lexic. ad h. v., ut indicet probi Ephraimitae studium animo Deo dicato atque cum eo pie coniuncto vaticinia tantum ex eo quaerendi. Pronomen primae personae in אֱלֹהָי facile explicatur ex usu vatis pro lubitu prophetias modo e Dei modo e suo ore proferendi. Est praeterea varians lectio ap. de Rossium אֱלֹהָיו quam attulisse sat est. Eandem fere sententiam Drusii et Leveleii reperio, praeterquam quod uterque צֹפֶה אֶפְרַיִם *verum* esse *prophetam Ephraimiticum* statuit, ubi sermonem de *Ephraimitis in universum* esse censeo, et quoniam, ut eorum interpretatio valeret, vati scribendum fuisset צֹפֶה בְּאֶפְרַיִם s. מֵאֶפְרַיִם, et quoniam imago de laqueis aucupis magis in stolidam plebem (cf. 7, 11.), quam in sapientes Dei prophetas quadrare videtur, qui facile capi non poterant, si autem capiebantur, non veri Dei prophetae erant. Non intelligo, cur S. V. Rosenmüller sententiam Liveleii his verbis improbaverit: *si sententiam hanc vates exprimere voluisset, eum haud dubitamus ita scripsisse:* לְצוֹפֶה אֶפְרַיִם, cum, ut plura taceam, in tertio a nostro versu eandem orationis formam habeamus ab eodem Illustrissimo Viro nulla correctione notatam, vid. v. 11. cf. v. 6.

Interpretatio inter recentiores probatissima haec est, ut עִם sit: *praeter* et צָפָה: *auxilium quaerere*,

ita: *Ephraimitae praeter Deum meum alia auxilia spectant*, Dathe. Verum in toto loco sermo non est de auxilio quaerendo, sed de improbitate et vesania falsorum prophetarum. Eichhorn pro עִם־אֱלֹהָי legisse videtur עַם אֱלֹהָי. Verum his versionem: „Schaut in die Zukunft ein Prophet für Gottes Volk, für Ephraim," non (opinor) excusavit. צָפָה cum accus. est: *aliquem contemplari*, *explorare*, nullo modo autem: *pro aliquo oracula quaerere.* cf. Prov. 15, 3. 31, 27. LXX.: σκοπὸς Ἐφραὶμ μετὰ Θεοῦ. Hieron.: *speculator Ephraim cum Deo meo propheta*, et commentarius eum extorquet sensum: *Deus principes dedit, ut populum corriperent delinquentem et ad rectam viam retraherent. Ergo Hieroboam datus est speculator in populo et quasi propheta cum Deo meo. At ille iuxta 5, 1. etiam nunc populi Israel laqueus vocatur eo, quod omnes in laqueos eius corruant i. e. in vitulum aureum.* Chald.: *prospicit domus Israel, quo permaneat iis cultus idolorum suorum.*

נָבִיא פַּח יָקוֹשׁ עַל־כָּל־דְּרָכָיו: *prophetae* scil. *illi dementes et fatui, ipsi retia tendunt* 5, 1., *ut eum decipiant et superstitione teneant in omnibus viis eius* i. e. *undique, ubicunque ad Deum se vertere vult.* מַשְׂטֵמָה בְּבֵית אֱלֹהָיו: *sic rebellio* s. *inimicitia contra Iehovam intrat in domum Dei ipsius* i. e. *in familiam et populum Deo sacrum*, cf. 8, 1. Pronomen ־ָיו utrobique pertinet ad Ephraimum. De domo Dei pr. sic dicta, templo aliquo Deo sacrato, ut nonnulli interpretes volunt, sermo esse non potest. Nam huiusmodi nonnisi unus fuit בֵּית יְהוָה, nimirum templum Hierosolymitanum, quod procul ab Israelitis abfuit et topico et morali sensu. Ceterum non video, cur secundum Boeckelium מַשְׂטֵמָה h. l. alium sensum habeat quam v. 7., hunc: „eine Grube in dem Hause Gottes." Ita difficultates apud nostrum prophetam sine causa augentur.

9. הֶעְמִיקוּ שִׁחֵתוּ: *profundarunt corruperunt.* Eadem constructio asyndeta, quae 5, 11. cf. Gesen. Lehrgeb. p. 823. i. q. *profunde corruperunt se* i. e. *pecca-*

IX, 9.

verunt. Hieron.: *atrociter peccant.* שִׁחֵת pr. *corrumpere*, saepius habet significationem intransitivam: *se corrumpere*, nimirum peccando Exod. 32, 7. Deut. 9, 12. Sensus: *aeque abiectos et deperditos se praestiterunt ac temporibus Gibeae*, scil. non falsi prophetae qui v. 7. et 8. numero singulari leguntur, sed impii Israelitae antea, nimirum 10, 8. commemorati. Vati tales saltus ab altero orationis subiecto ad alterum non displicere scimus. Historia Iud. 19. et 20. refert: virum quendam Levitam cum concubina ingressum esse Gibeam oppidum Beniaminitarum ut pernoctaret eumque ibi hospitem abductum esse in domum Ephraimitae cuiusdam in eodem oppido degentis; quod cum oppidani animadvertissent obsessa domo hospitis homines illos perditos ostia ita pulsasse et tantopere clamitasse ut postremo Levita concubinam illis stuprandam committere cogeretur, oppidanos autem mulierem istam per totam noctem constupratam et ludibrio habitam, sub ortum aurorae exanimatam reliquisse; hoc quidem facinus non tantum Gibeatitis, sed toti tribui Beniaminiticae Gibeatitas defendenti ita in detrimentum versum esse, ut bello a reliquis tribubus Beniaminitis illato tribus Beniaminitica fere exstirparetur. LXX.: ἐφθάρισαν κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ βουνοῦ. Verterunt ita nomen proprium גִּבְעָה in appellativum βουνοῦ i. e. *collis*. Intelligitur ex hac comparatione a vate prolata, quam deperditi mores Israelitarum tunc temporis fuerint. De tertio comparationis Schmidt: *alii*, ait, *id in nefaria libidine et immisericordia, nos in pertinacia adversationis ponimus, quod sicut Gibeonitae et Beniaminitae pertinaciter adversati sunt reliquis tribubus ad meliorem mentem et pacem eos revocantibus, ut tandem bellum contra ipsos necessarium fuerit, et dominus non potuerit eos non visitare, sic Israelitae horumque prophetae Hoseae temporibus in istis peccatis suis ita obdurati fuerunt, ut nullis prophetarum concionibus revocari potuerint et Iehova eos visitare coactus fuerit, ut sequitur.* Verum dubito, an vates de tam accurata specie criminum utriusque temporis cogitaverit. Notio generalis haec mihi inesse videtur: *Vos estis aeque deperditi et poena digni, atque illi.* Quodsi, ut opinor, hoc nostrum fragmentum ad

10, 8. pertinet, insuper causa, cur Gibeatitarum mentio fiat, deprehenditur ingenio vatis aptissima, nimirum paronomasia vocum גִּבְעוֹת 10, 8. et גִּבְעָה h. l. et 10, 9. cf. introd. p. 122.

Quae sequuntur: *memor* scil. Iehova *eorum impietatis animadvertet in eorum peccata*, iisdem verbis legimus 8, 13. Notanda est tantum copula עַתָּה, qua nonnulli codd. ap. de Rossium posterius membrum cum praecedente coniungunt: *nunc recordabitur Iehova.*

XIV.

Cap. IX, 10—17.

Ut uvas in deserto inveni Israelem, ut praecoces in fico primitias vidi patres vestros. Verum simulac venerant ad Baal-Peorem, pudendo idolo addicti aeque abominabiles fiebant atque illa idola ab iis adamata. 11. Quod nunc ad Ephraimum attinet, velut avis gloria eorum avolabit a partu, ab utero et a conceptu. 12. Cum autem forte filios suos educaverint, eorum sobolem auferam, ne ad provectiorem aetatem perveniat. Vaeh enim, vaeh illis, a quibus discessero. 13. Ut postea vidi Ephraimiticam gentem dilatatis finibus usque ad Tyrum pulchris et amoenis domiciliis plantatam, ita eandem vidi educere filios ad necem. 14. Da iis Iehova, quod ipsa sibi datura est; da iis uterum liberorum expertem et ubera lacte destituta. 15. Iniquitas eorum completa est Gilgale. Ibi enim mihi detestabiles facti sunt propter grandia ipsorum facinora. Expellam eos e domo mea nec

amplius eos diligam. Omnes eorum principes refractarii sunt. 16. Funditus percussus est Ephraim. Iam radix eorum exarescet, fructumque nullum ferent. Vel cum liberos genuerint, desideratissimam eorum sobolem morti dabo. 17. Contemnit eos Deus meus, quoniam non attendunt eius monitis, et neglecti circumvagabuntur inter barbaros.

Habemus novam eamque integram orationem, quae ad turpissimum idololatriae genus spectat, quod et in venereis voluptatibus et in liberorum immolatione versabatur. De illis iam 4, 11–14. sermo fuit, in hanc nunc primum invehitur. Prophetae subinde huius sceleratae consuetudinis mentionem faciunt. A nostro autem vate h. l. vere poetice et elegantissima increpatione corripitur cf. introd. p. 82 sq. Quamquam plures interpretes h. l. novam prophetiam incipiunt, v. c. Dathe, Boeckel, tamen id momentum orationis ab iis ita plane neglectum est, ut de multis aliis cogitarent, neque tamen de illis nefandis infantium mactationibus. Chaldaeus interpres primus viam stravit ad hunc ut videtur unice verum vatis sensum inveniendum, quam nuperrime Eichhorn ingressus est v. 13. 14.

10. Incipit vates eo, ut describat laetam conditionem, qua ab initio gens Iacobitica gavisa fuerit. *Velut uvas in deserto inveni gentem.* יִשְׂרָאֵל h. l. non tantum 10 tribus, ut alias fere semper, sed *omnes posteri Iacobi,* patres olim Deo accepti. בַּמִּדְבָּר מָצָאתִי יִשְׂרָאֵל. Similis locutio Deut. 32, 10. indicat parvula eorum initia, unde Deo iuvante maxima natio excreverunt. Deus invenit eos *velut uvas,* כַּעֲנָבִים. Elegans imago. *Ut in siticulosis et sterilibus regionibus uvae rarissimae sunt, quae ubi inveniuntur, viatori recreationem et voluptatem parant, ita inter homines gentiles a vero cultu Dei ad idololatriam regressos una tantum familia a Deo*

IX, 10.

inveniebatur pia adhuc et fidelis. כְּבִכּוּרָה בִתְאֵנָה בְּרֵאשִׁיתָהּ pr. *quasi praecocem fructum ficus in primitiis eius* (i. e. *quasi praecoces in fico primitias*) *vidi patres vestros.* Ficuum quae in Palaestina maturescunt deliciae a pluribus itinera sua describentibus uno tenore laudantur cf. Kuinoel ad h. l. Drusius e Lucilio ap. Nonnium locum adfert: „Sicuti cum primos ficus propalam recentes Protulit et pretio ingenti dat primitus paucos." Pingit igitur hac imagine vates praestantiam pietatis, qua primi patres Israelitarum Deo placuerint. Sens.: *delectatus sum patribus vestris aeque atque sitiens viator delectatur uvis inopinato inventis et ficis praecocibus.* Itaque vox בַּמִּדְבָּר non ad fatalem gentis peregrinationem nos ablegat, sed omnino ad imaginem pertinet.

הֵמָּה: *illi*, δεικτικῶς, non patres sed degenerati filii. בָּאוּ בַעַל־פְּעוֹר. בַּעַל i. q. לְבַעַל cf. v. 4. 2, 16. al. In historia peregrinationis per desertum variorum generum Baalium primus nominatur *Baal-Peor*, qui peregrinantibus innotuerit cum ad Moabitas et Midianitas pervenissent. Lascivus et libidinosus eius cultus ita illis placuit, ut vel gravissimis poenis ab eo averti non possent, cf. Num. 25. Narrant Baal-Peorem monstruosum fuisse simulacrum, ut Latinorum Priapum, deformibus membris et turpitudine corporis signatum. cf. Drusius ad h. l. Colebatur turpissimis voluptatibus 4, 13. 14. Num. 25, 6—8., obscoenis gestibus et consuetudinibus (vid. loca ap. Seldenum de Dis Syris Synt. I. c. 5. laudata), immolatione infantium (Ps. 106, 28. 37. 38. cf. infra v. 13). Ob tantam proterviam cultus et turpitudinem speciei vocatur etiam בֹּשֶׁת: *pudor, dedecus, pudendum simulacrum*, cf. Ier. 3, 24. 11, 13. וַיִּנָּזְרוּ לַבֹּשֶׁת: *separarunt se ad illud obscoenum simulacrum.* נָזַר innuit simul separationem a cultu veri Dei et clandestina scelera, quae in impio illorum idolorum cultu committebantur, ut פָּרַד 4, 14. et סָר 4, 18. וַיִּהְיוּ שִׁקּוּצִים: *et fuerunt abominationes.* Iterum abstractum pro concreto, ut גָּאוֹן 5, 5., מַחְמַד 9, 6. et in hoc ipso versu בֹּשֶׁת, significat: *abominabiles.* Hoc quoque fuit nomen appellativum idolorum 1 Reg. 11, 5.

IX, 11.
2 Reg. 23, 13. כְּאַהֲבָם: *ut amores eorum.* Infin. loco substantivi. Est autem nostro vati usitatissimum cum illicito amore cultum idolorum comparare, cf. 2, 7. 9. 12. 15. al. Iterum ponitur abstractum pro concreto: *amores* i. e. *res amoris* s. *quae ab iis amantur.* Hieron.: *facti sunt abominabiles sicut ea, quae dilexerunt.* LXX.: καὶ ἐγένοντο οἱ ἐβδελυγμένοι ὡς οἱ ἠγαπημένοι.

11. Omnes figurae inde ab hoc commate adhibitae aptissime spectant ad illud dedecoris genus, quod maxime vates in animo habuit, nimirum ad flagitia cultum Baal-Peoris contaminantia, venereas libidines et immolationes infantium. Utramque insaniam increpatio nostra complectitur cf. introduct. p. 82. Nam et sacratae voluptates, et cum illis coniunctae sobolis mactationes prole eam gentem privarunt, cuius vis in maxima copia posterorum cernebatur. Illae enim corpora enervarunt, hae saevo actu carissima thalami dona e medio sustulerunt. Cum igitur depravatio populi ad tantam insaniam versa esset, ut ipsam gloriam et florem posterorum abiicerent, minatur vates: *Deum ita eorum nequitiam puniturum esse, ut omnino filiis priventur.* אֶפְרַיִם, iterum nominativus absolutus. Quod enim antea dixerat de posteris Iacobi in universum, id nunc in specie ad cives 10 tribuum eidem aeque obscoenae atque crudeli superstitioni prae ceteris deditos dirigit, cf. 2 Reg. 17, 17. Non autem omittendum est, vatem saepius ita orationis fervore abripi, ut paucis tantum verbis ea significet, quae quomodo cum subtili orationis tenore cohaereant, strenua tantum contemplatione omnium imaginum recte capi potest. *Ceu avis eorum gloria avolabit.* כָּבוֹד: *honor, praestantia*, ad omnes res quae laude dignae sunt refertur. Sic Ies. 10, 18. כְּבוֹד יַעְרוֹ, 60, 13. כְּבוֹד הַלְּבָנוֹן. Quae gloria h. l. intelligatur sequentia docent. Avolabit enim מִלֵּדָה: *a pariendo*, cf. 2 Reg. 19, 3. Ies. 37, 3., infin. absol., i. q. *a partu* s. *a liberis dum partu eduntur*, מִבֶּטֶן: *ab utero gravido*, cf. Iob. 3, 11., מֵהֵרָיוֹן: *a conceptu*, cf. Ruth. 4, 14. Sens.: *et miseros et moribundos liberos procreabunt, et spes sobolis destruetur in utero matris, adeo inter conceptum ipsum.* Recentiores interpretes

praepositioni מִן in מִלֵּדָה cet. vim negativam: *ne sit*, inesse statuerunt, v. c. de Wette: „Ephraims Volksmenge wie ein Vogel fliegt sie dahin. Keine Geburt, keine Schwangerschaft, keine Empfängniss ist mehr.“ Eichhorn ingeniose monet in nomine אֶפְרַיִם elegantem esse significationem fertilitatis (von Fruchtbarkeit benannt), quam ipsi sua culpa sustulissent. Copia liberorum inter posteros Iacobi quasi fons salutis publicae habebatur. Cum enim Deus saepius praedixisset: *sobolem iis fore quasi stellas coeli et quasi arenam maris*, cf. 2, 1. Gen. 22, 17. 28, 14. 32, 13., cum omni permixtione cum barbaris gentibus interdicti essent Deut. 7, 2. 3., cum denique semper iis conflictandum esset cum hostibus: vis et gloria rei publicae minime consistere poterat nisi aucto in dies liberorum numero. Hinc apparet *gloriam eorum avolaturam* esse *gloriam puerperii*, *ne ultra ex iis gignerentur liberi uvis in deserto et primitiis ficuum* v. 10. *pares*. Hieronymus hunc locum suo more de abductione in captivitatem adeo Babylonicam intelligit. *Si*, inquit, *legitur: Ephraim quasi avis avolavit, vates avem appellavit, ut velocem in Babyloniam transitum demonstraret. Sin autem legerimus: quasi avis avolavit gloria eorum, hoc dicimus, quod Deus ab iis recesserit et avolaverit auxilium.* LXX.: Ἐφραὶμ ὡς ὄρνεον ἐξεπετάσθη, αἱ δόξαι αὐτῶν ἐκ τόκων καὶ ὠδίνων καὶ συλλήψεων.

12. כִּי אִם i. q. v. 6. 16. כִּי: *cum autem*, quod vulgo vertunt: *licet* יְגַדְּלוּ אֶת־בְּנֵיהֶם: *educaverint filios* 2 Reg. 10, 6. Ies. 1, 2. 49, 21. 51, 18. וְשִׁכַּלְתִּים: *sobolem eorum auferam*. Frequens significatio radicis שָׁכַל est: *liberis orbare*, cf. Gen. 27, 45. 43, 14. hinc Piel: *facere ut liberis orbati sint, liberos auferre* 1 Sam. 15, 33. Ez. 5, 17. 14, 15. Deut. 32, 25. מֵאָדָם i. q. מִהְיוֹת אָדָם: *ne homo fiat*, i. e. *antequam ad virilem aetatem pervenerit*. Quamquam enim אָדָם, ut Drusius et Liveleius bene commemorant, de cuiuslibet aetatis hominibus occurrit, tamen h. l. cum aperte opponatur impuberibus liberis, nil aliud indicare videtur nisi: *homines ad virilem aetatem provectos*. Ita Chald.: *orbos eos faciam*

IX, 12. 13.
ne evadant viri, Kimchi: *non venient ad tempus quo appellantur homines*, item E. Esra. Alii secundum LXX.: ἀτεκνωθήσονται ἐξ ἀνθρώπων, i. e. *sine filiis inter homines erunt.* Grotius: *orbos eos faciam inter homines, liberi eorum in loca Assyrii imperii abducentur*, quae est nimirum acuta interpretatio. Simplicius Eichhorn: „dass es an Menschen fehle." Verum hae explicationes quamquam usitatam significationem verbi אָדָם vindicant, tamen a scopo vatis recedere videntur, qui omnes gradus et temporis rationes, quibus parentes liberis orbandi essent, describere voluit. Schmidt, ut vatem a culpa liberaret praedictae scilicet rei eventu non comprobatae, *non universalis*, addit, *sed particularis haec poena est, alioquin enim ipsis nulla proles tempore Christi superfuisset, quae tamen omnino superfuit.*

Nunc locum communem addit. *Vaeh enim iis a quibus discessero!* Simplicissima est explicatio, cuius auctor Chald. est: *vaeh iis, cum sustulero maiestatem meam ab iis*, et Hieron.: *cum recessero ab iis*, ut בְּשׂוּרִי sit i. q. בְּסוּרִי (quod etiam nonnulli codd. habent ap. de Rossium et Michaelem), cum haec mutatio utriusque consonantis in libris sacris obvia sit cf. 2 Sam. 18, 9. cf. Ies. 4, 7. et 2 Reg. 11, 8. cf. Iob. 10, 22., et verbum סָר saepissime hoc sensu occurrat cf. 1 Sam. 16, 14. 18, 12. 28, 16. cf. Michaelis ad h. l. Praeterea est significatio verbi שׂוּר: *imperium exercere* Iud. 9, 22. quae Gussetio placuit, ita: *me severum in eos imperium et dominium exercente*, et Syro: *si ultionem sumturus sum ab iis.* LXX.: σάρξ μου ἐξ αὐτῶν, ac si scriptum esset בְּשָׂרִי, quos praeferente Hieronymo Theodotion secutus est. Unde Raimundus et Nicol. de Lyra mysterium incarnationis Christi exsculpserunt, vid. Michaelem ad h. l.

13. Procedit vates cum Israelitis e deserto ad tempora diu exspectata dum secure degerent in terra promissa. In deserto impios mores barbarorum degustaverant, at monitis Mosis coërciti amoribus perversis indulgere non poterant. Nunc progressi ad cultiores nationes, videlicet Tyrios et Phoenices, quibuscum re-

ges ipsi foedera icerant, in securis et pulchris aedibus eorum superstitionem receperunt, non amplius moniti a ducibus et principibus, adeo ab iis invitati, quippe qui ipsi refractarii esssent v. 15. אֶפְרַיִם h. l. accusativus. כַּאֲשֶׁר רָאִיתִי: *quemadmodum vidi Ephraimum.* Elegantissime hoc רָאִיתִי ad illud v. 10. respicit, discrimina temporum indicans. לְצוֹר: *usque ad Tyrum.* Sic enim Hebraicis terminis audivit altera metropolis regni Phoenicum, (prima Sidon fuit), ad mare mediterraneum sita, incluta divitiis reipublicae, magnificentia aedificiorum, luxuria et mollitie incolarum, artibus et mercatura ibi florentibus Zach. 9, 3. Ies. 23. Usque ad has Phoenicum regiones dilatatos fuisse fines Iacobiticae gentis videmus e Ios. 19, 28. 29. Cum eorum rege Hiramo Davides amicitiam iniit conducturus ab eo fabros et architectos ad exstruenda palatia 2 Sam. 5, 11. Idem rex Salomonem invitavit ad naves emittendas, quibus immensa auri copia reportata est 1 Reg. 9, 27. 28. 10, 11. Ex quo commercio cum gentili illa natione opulentia et magnificentia regnum Davidis, potissimum Salomonis intravit, verum etiam idololatria et depravatio morum 1 Reg. 11, 5. cf. 2 Reg. 23, 13. Hinc vocatur Ephraim: *finibus dilatatis usque ad Tyrum* לְצוֹר שְׁתוּלָה, pr. *versus Tyrum* s. *in regione Tyri plantata.* In שְׁתוּלָה inest orationis elegantia ad v. 10. spectans. Non amplius Ephraim velut uvae et praecoces fructus in deserto erat dispersa, sed in terra abundantiae non יֹשְׁבָה: *habitans*, sed שְׁתוּלָה: *plantata*, ut amoenissimos fructus omnis generis ferret. Quam elegantiam Eichhorn non assecutus est versione: „wie jenes dicht bebaute Tyrus, so seh' ich Ephraim.“ בְּנָוֶה: *amoenis et pulchris domiciliis*, quae nempe a Tyriis et Phoenicibus exstruere potissimum edocti erant. נָוֶה enim originem duxit a rad. נָוָה Exod. 15, 2. et נָאָה: *pulchrum esse* Cant. 1, 10. Ies. 52, 7. quae Rabbinis frequentissima est, et in SSis quadrilitera occurrit נַאֲוָה Ps. 93, 5. Prov. 17, 7. Hinc נָאוֶה et e contractione נָוֶה: *locus amoenus et iucundus in quo commorari dulce est*, נְאוֹת non tantum *domicilia*,

IX, 13.
sed etiam: *laeta pascua* Ioel. 2, 22. Am. 1, 2. Ut autem Arab. نوى et نأى alternative et *pulchrum esse* et *habitare* significant, ita Hebr. נָוָה utramque significationem obtinuit, cf. Gesen. ad h. v. Temporibus priorum regum Israeliticorum Syri perpetuis irruptionibus regiones illas Phoenicibus finitimas acie occupaverant maxime belli studioso Hasaele rege Syrorum 2 Reg. 9, 14. 15. 10, 32. 33. 12, 18. Verum rebus per Ierobeamum II. restitutis, qui omnes terras a barbaris imperio ereptas usque ad Damascum, Hemath et mare mediterraneum bello receperat 2 Reg. 14, 25. 28., novum commercium cum Tyriis initum est, tam dulce et utile Israelitis quam perniciosum eorum moribus. Fortasse ad hanc meliorem vicem respicit sigillatim vates, dum h. l. certe ad sensum nuncupat: *ut vidi Ephraimum commercio cum splendidissima urbe Tyro ad magnificentiam et luxuriam provectum, ita etiam vidi eum educere filios ad occisorem.* Hoc enim significat posterius huius versus membrum. Copula וְ coniungit alterum membrum cum priori. כַּאֲשֶׁר -- וְ *quemadmodum* -- *ita*, וְאֶפְרַיִם לְהוֹצִיא אֶל־הֹרֵג בָּנָיו: *ita vidi eundem Ephraimum filios suos educere ad occisorem.* Verbum רָאִיתִי e priori commate iterum supplendum est. Praefixum לְ ante infinitivum saepe redundat, praesertim si verbum finitum suppleri debet, cf. Glass. Phil. S. p. 593. Quaeritur de quanam eductione et occisione sermo sit. Cum vates in omni particula iis dictionibus loquatur, quae insanam et superstitiosam crudelitatem obscoenis idolis liberos sacrificio prostituendi indicant, simplex est explicatio הוֹצִיא esse: *ducere ad sacrificium* et הֹרֵג: *sacratum mactatorem* illud pessimum sacrificium perficientem. Quod autem vates non formula solemni de mactandis sacrificiis שָׁחַט usus est, id neminem offendere potest. Est enim convenientissimum sententiosae loquendi rationi vatis nostri, de re contumeliosâ contumeliosa verba adhibere. ~~Fuisse~~ autem Phoenices inter eos, qui homines deastris immolarent notissimum est, quippe qui tam furibunda superstitione in suos saevirent, ut adeo Carthaginienses, qui Phoenicum colonia erant, clade ab Agathocle accepta ad placandos Deos 200 nobi-

lium filios super altaribus immolarent. vid. Alexander ab Alexandro geneal. dier. l. 6. c. 26. Lund. Jüd. Heiligthümer l. 3. c. 34. p. 563. cf. Iustin. Histor. 18, 6. Selden de Dis Syris Synt. I. c. 6, 181 sq. Rosenmüller altes und neues Morgenland II, 205. 206. Ita iam Chald. sensum nostri versus excepit: *peccaverunt illi de domo Ephraimitica occidendo in cultum idolorum filios suos.*

Plerique interpretes in hoc posteriori commate oraculum quaerunt, ita: *quod attinet ad Ephraimum, futurum est ut educantur liberi eius ad hostem, ut ab eo occidantur,* s. cum Dathio: *idem Ephraim cogetur filios suos necandos hostibus educere,* scil. ut Kuinoel addit: *in acie et proeliis committendis.* Sed simplicitas orationis non permittit ut iam in hoc versu vaticinium quaeramus. Exhibitum demum est versu sequenti. Hoc nostro tantum de eo sermo est, quod vidit vates s. Deus. Hieron. locum metaphorice intelligit: *tam pulcher erat et sic Dei vallabatur auxilio, ut Tyrus mari cingitur, vel certe ut scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas et de turbinibus et ventis non curat. Ipse autem i. e. Ephraim s. Tyrus, quae erat fundata in maris pulchritudine, ad captivitatem educet filios suos.* LXX. corruptissimam lectionem exhibuerunt: Ἐφρ. ὃν τρόπον εἶδον εἰς θήραν παρέστησαν τὰ τέκνα αὐτῶν, καὶ Ἐφραὶμ τοῦ ἐξαγαγεῖν εἰς ἀποκέντησιν τὰ τέκνα αὐτοῦ: *Ephraim, sicut vidi, in venationem s. in captionem praebuit filios suos et Ephraim ut educeret ad interfectionem filios suos.* Legerunt pro לְצוֹר — לָצַיִד et pro בָּנֶיהָ — בְּנֵיהֶם.

14. Accedit nunc vates, descriptione depravatorum morum e commercio cum Tyriis ortorum prolata, ad minas perniciei inde oriundae. Tanta est enim indignatio eius, ut ipse Deum invocet, ne impunes e tantis sceleribus evadant. תֶּן־לָהֶם יְהוָה: *da iis Iehova!* מַה־תִּתֵּן scil. לָהּ: *quod sibi datura est,* scil. *Ephraim,* quae in praecedenti versu etiam foeminino genere signata legebatur. תִּתֵּן ex hac nostra interpretatione est 3. foemin. fut. Sequuntur nunc quae sibi datura erat,

IX, 14.

et quae, ut ei det, vates tanto magis Deum invocat. רֶחֶם מַשְׁכִּיל: *uterum liberis orbatum.* וְשָׁדַיִם צֹמְקִים: *et ubera lacte carentia.* Significaverant enim Israelitae et voluptatibus et insana proclivitate liberos immolandi se liberos habere nolle. Nisi enim naturae impetum penitus in animis destruxissent liberosque adamare desivissent, et castitatem thalami servarent et parentes innocentium liberorum misereretur. Sens.: *cum igitur Ephraim liberis destituta esse velit, concede ut votorum compos fiat: fac uterum sterilem, quo minus liberos gignat, et mammas siccas, quominus liberos alere possint.* Eâ quidem diligentiâ qua nos solemus usum generis et numeri non retinuit. Verum quocunque modo verba eius explicantur, generis usus mixtus restat: initio v. 13. habemus foemininum, deinde masculinum singularis, v. 14. masculinum pluralis. Tales saltus interpretem Hoseae ab indagando sensu dissertationum eius haud absterrere debent, cum qualibet pagina occurrant. Id constat, ubi vates loquitur de natione in genere, eum uti modo masculino, modo foeminino singularis, prout orationis pondus alterutrum postulat, si autem de individuis vel civibus imperii, semper adhibere masculinum plurale. Hoc l. si in verbis מַה־תִּתֵּן nationem in universum spectavit, ex sua loquendi ratione foeminino non uti non potuit, quia omnes enunciationes de foeminis tantum valent, quamquam repente ad individua regni prosiluit. Usus particulae מָה nostrae explicationi non repugnat. Habuimus iam particulam, quae alias interrogative occurrit, relative positam עַד־מָתַי 8, 5. et habebimus מִי eadem significatione 14, 10. Eodem modo h. l. מָה. Ubi autem particula interrogationis hac significatione occurrit, quemadmodum מָה hoc nostro loco, Iud. 9, 48. 2 Sam. 18, 22. 23. 29., omissum videtur relativum אֲשֶׁר, quod voci מִי diserte additum est Exod. 32, 33. 2 Sam. 20, 11. et ad vocem מָה in seriori libro Coheleth formula מַה־שֶּׁ indicatur Cohel. 1, 9. 3, 15. 6, 10., unde particulae interrogationis proprie vis demonstrativi inhaesisse videtur secundum usum Arabicum et Aramaeum, de quo docte Gesenius Lehr-

geb. p. 754. Plures etiam interpretes praeeunte Syro מָה h. l. relative acceperunt, ita tamen ut תִּתֵּן secundam masculini esse putarent: *id quod daturus es*, cf. Drusius ad h. l. Plerique autem usitatissimam particulae significationem vindicarunt, ut vates se ipsum interrupisse interrogando et quasi haesitasse videatur: *quid dabis iis?* Verum iterum in partes abeunt; alii praeeunte Hieronymo statuunt vota prophetae: *da iis vulvam sterilem cet.* ad poenam eorum spectare, *ne habeant causas superbiae, ut in quo gloriari soleant, in eo confundantur.* Dathe contra: *sunt verba*, ait, *prophetae ex amore erga populares suos optantis, ut steriles potius sint Israelitae foeminae, quam ut liberi ab iis nati et educati ab hostibus interficiantur.* Qua quidem haesitantia orationis nil frigidius cogitari potest, in poeta tam fervidi ingenii, vid. Eichhorn: „Lass ihnen o Iehova werden! — Was sollst du ihnen werden lassen? — Lass ihnen einen unfruchtbaren Mutterschooss, lass ihnen welke Brüste werden.“

15. Loquitur rursus Iehova quasi respondens vati: *cognita mihi est eorum impietas, detestabiles mihi facti sunt, expellam eos e domo mea, principes refractarii sunt, iam percussus est Ephraim, radix eorum exarescit, nullum fructum ferent, delicias partus eorum morti dabo.* Quis est qui brevissimis et sententiosis his enuntiationibus vim et ardorem poetae non intelligat, cuius animus repletus est pietate et amore patriae?

כָּל־רָעָתָם בַּגִּלְגָּל: *consummatio eorum impietatum est Gilgale.* Legimus iam 4, 15. Gilgalem commemoratam fuisse in locis idololatriae dicatis, nimirum idololatriae Phoenicum, Ammonitarum, Moabitarum. Cultui Apidis Aegyptiaci Dan et Bethel a Ierobeamo sacratae erant. At Salomoni iam placuit illis quoque obscoenis et pessimis idololatriae generibus prope Hierosolymam sacra instituere 1 Reg. 11, 5—7. Quae cum post infaustam separationem utriusque regni in partibus Iudae et Beniaminis essent, sensim regnantibus impiis regibus 10 tribuum, maxime temporibus Ahabi, alia loca prodibant sacris Baalis dicata. Gilgal et propter amoenita-

tem situs et propter memoriam gravissimarum rerum ibi gestarum, adeo propter viciniam Hierosolymae e splendidissimis fuit, cf. 4, 15. Huc nimirum facinora vallis Hinnomi regibus Iudae subiectae, ubi (cf. 2 Chron. 28, 3.) liberi immolabantur, transmigraverant.

כִּי־שָׁם שְׂנֵאתִים: *nam ibi odio eos persequor*, i. e. *ibi mihi detestabiles facti sunt*. Non enim Deus modo tamdiu eos odit, quamdiu Gilgale versabantur, sed commoratio eorum impia in isto loco causa fuit, cur eos semper oderit. Verba ipsa docent id cogitari non posse quod Hieronymus voluit, nimirum Sauli unctionem regis, quae Gilgale acta sit 1 Sam. 11, 14. 15. עַל רֹעַ מַעַלְלֵיהֶם מִבֵּיתִי אֲגָרְשֵׁם: *propter grandia eorum facinora expellam eos e domo mea*. בֵּית יְהוָה quid sit, nimirum *terra sacra quae quasi peculiare Dei domicilium esse existimabatur*, saepius iam vidimus, cf. v. 8. 8, 1., et h. l. eam intelligi e v. 17. apparet, ubi nostrum comma his verbis repetitur: *circumvagabuntur inter gentes*, nimirum eiecti e patrio domicilio. Eiici e terra sacra fuit summa calamitas, quae genti Iacobiticae accidere poterat, cuius omnis salus et gloria harum felicium regionum possessione nitebatur, cf. Deut 28, 63. 64. Omnes autem prophetae orationes sunt poeticae, non ad certum aliquod Israelitarum fatum nos ducentes, ex eodem fonte ortae, e quo minae 8, 13. 9, 3. 6. לֹא אוֹסֵף אַהֲבָתָם: *non addam eorum amorem* i. e. *amorem meum erga eos*. Usus pronominum ap. Hebraeos ita simplex est, ut tantum e contextu definiri possit, utrum ad subiectum an ad obiectum referenda sint, utrum significatio eorum sit activa an passiva. Verbum יָסַף usitato modo s. cum verbo finito 1, 6. s. cum infinitivo coniungitur, ut adverbialiter repetitionem alicuius rei indicet. Hoc l. inusitato modo cum substantivo eodem sensu coniungitur: *non amplius eos amabo*. Ceterum aptissima est Lackemacheri observatio, ap. Rosenmuellerum ad h. l., vatem respexisse h. l. ipsi bene notam imaginem coniugii, de qua 2, 5—15. *Tulit enim Hebraeorum consuetudo, ut foemina, quam uxorem amplius nollent agnoscere, e domo mariti abigeretur, unde ei nomen* גְּרוּשָׁה *inhaere-*

bat. *Quando igitur Deus Israeli expulsionem e domo sua minatur, sane divortium minitatur per metonymiam quandam.* Sequentes versus significationem huius imaginis confirmant, ubi scilicet vates Deum Israelitis amorem ultra denegaturum fore itidem denuntiat.

כָּל־שָׂרֵיהֶם סוֹרְרִים. Breve additamentum, sed ut omnia verba vatis grandioris argumenti; incusat enim principes culpae depravationis, qua populus laborabat, cf. introd. p. 28. 29. Iehova res per Ierobeamum II. restituerat. Itaque a rege isto eiusque successoribus cultus Iehovae debitus restituendus fuerat, ut populo et reipublicae bene consuleretur. Quod si principes, tutores et consiliatores populi, non curarent, quis tandem erat qui ad idololatriam proclivem eius animum in melius converteret? Sed tantum abfuit, ut officii memores essent, ut Ierobeam sacra idolorum aleret. Quin eius successores, principes rebelles imperium usurpantes, bella excitantes et sanguine se maculantes, ut plebem ad facinora sibi conciliarent, libidinibus et superstitionibus eius ipso suo exemplo indulserunt. Hinc *refractarii* erant, *repugnantes consilio Iehovae*, cf. 4, 16. Ies. 1, 23. 30, 1. LXX.: ἀπειθοῦντες, Hieron.: *recedentes.* Ceterum viri docti iam paronomasiam verborum similiter sonantium שָׂרִים et סוֹרְרִים notarunt.

16. Metaphora iterum spectat ad interitum stirpis Israeliticae insanis illis sacrificiis bene meritum. Sumta est ex arboribus, aptissime cohaerens cum illa fructuum in deserto v. 10. plantationisque in terra promissa v. 13. הֻכָּה: *percussus est Ephraim*, nimirum funditus, quoniam non modo frondes sed etiam *radix eorum exarescit*, quod, metaphorâ remotâ, fit, si prole omni destituuntur. Imago saepius in libris sacris obvia Ies. 9, 9. 13. 10, 33. 34. Iob. 18, 16. Am. 2, 9. Matth. 3, 10. Elegans usus temporum. *Iam percussus est Ephraim.* Lethales ictus accepit, et impietate, qua Dei poenam contra se excitavit, et insanis sceleribus, quibus et effoeminata sunt corpora et flos patriae idolis immolatur. Verum fulminis Eichhornii („der Blitz hat sie getroffen“) nihil invenio. Ictus sunt poenae divinae ex eorum insania paratae. — *Nunc exarescet*

IX, 16. 17.

radix eorum, gens ipsa, parentes. Ut enim rami arboribus ex aere succum et vigorem afferunt, his autem deficientibus vel radices exarescunt, ita liberi laetos et fortes reddunt parentes, vis autem vigorque parentum languescit, ubi proles deficit, et robur civitatis cum flore iuventutis interit. — *Nec fructum adhuc ferent,* פְּרִי בְּלִי־יַעֲשׂוּן. Filii generosi sunt excellentissimus fructus populi bene morati. עָשָׂה פְּרִי: *fructus ferre* dicitur arbor Ies. 37, 31. כִּי i. q. כִּי אִם v. 12. *cum.* גַּם כִּי יֵלֵדוּן: *cum etiam* s. *vel cum genuerint* sc. *liberos*, cf. v. 12. ubi idem aliis verbis pronunciatur. וְהֵמַתִּי: *morti dabo.* מַחֲמַדֵּי בִטְנָם: *desideria ventri eorum* (cf. v. 6.), *carissimas eorum soboles.* Drusius: *satis,* addit, *erat* d e s i d e r i a i p s o r u m, *ut apud Ciceronem, valete desideria mea, valete: sed adiecit* v e n t r i i p s o r u m, *quia liberi dicuntur fructus uteri.* LXX.: τὰ ἐπιθυμήματα κοιλίας αὐτῶν. In primo membro huius versus sensum male exhibuerunt: ἐπόνεσεν Ἐφραίμ, τὰς ῥίζας αὐτοῦ ἐξηράνθη. Quod Hieronymus ex alia interpunctione vertit: *Doluit Ephraim radices suas, arefactus est.*

17. Absolvit vates hanc gravem et affectus plenam particulam loco communi, ut nempe iterum designet, unde ventura sit suorum calamitas et unde medicina petenda, nimirum divinorum monitorum obedientia et reditu ad veram pietatem. *Aspernabitur eos Deus meus; nam non audiunt eum*, i. e. *non attendunt eius monitis, non obtemperant eius legibus.* Ita saepius verbum שָׁמַע occurrit, cf. Gen. 39, 10. Exod. 24, 7. וְיִהְיוּ נֹדְדִים בַּגּוֹיִם: *vagantes* s. *exules erunt inter gentes*, cf. v. 15. נָדַד *errare*, de hominibus nusquam domicilium habentibus legitur Ies. 16, 3. Ier. 49, 5.

XV.

Cap. X, 1 — 15.

Israel vitis est luxuriose se expandens fructumque fundit ipsi similem. Ut copiosissimi autem

eius erant fructus, ita maxima erat altarium copia, utque laetissima erat terrae eius ubertas, ita uberrimus simulacrorum eorum ornatus. 2. Id demulcet eorum cor, sed brevi sontes declarabuntur. Ipse Iehova eorum altaria confringet devastabitque eorum simulacra. 3. Iam quidem dicent: rege caremus, Deum non timuimus, ecquid rex nobis prodesse potest? 4. Vana loquuntur dum eiulant, vana dum foedera paugunt. Succrescet vero meum iudicium velut absynthium in sulcis agrorum. 5. Ad vitulum Bethavenis peregrinetur incola Samariae, siquidem illum populus eius lugebit. Exultent eius flamines super eo utpote super eius gloria, siquidem ab eo auferetur. 6. Quin et ipse in Assyriam abducetur, munus regi Iareb. Pudor corripiet Ephraimum et erubescet Israel propter perversa sua consilia. 7. Excisa est regina Samaria, sicut spuma in superficie aquae. 8. Deleta sunt sublimia impiae vanitatis sacella, scelus Israelitarum, spinae et cardui succrescent in aris eorum. Tum acclamabunt montibus: operite nos, et collibus: cadite in nos.

IX, 7. Fatui sunt prophetae et dementes illi ex inspiratione loquentes, propter tot vestra peccata tamque nefarias machinationes. 8. Nunc quaerat Ephraim oracula apud Deum meum, prophetae eum undique circumdederunt tendiculis, quibus ceu aucupes eum decipiant. Ita impiae machinationes intrant in familiam Dei eius. — 9. Aeque abiectos et deperditos se praestiterunt, ac tempore Gibeae, at memor Iehova eorum impietatis animadvertet in eorum peccata.

9. Gravius etiam peccavisti Israel, quam temporibus Gibeae peccatum est. Tunc adhuc stabant incolumes, bello, quod Gibeae contra nequissimos homines gerebatur, intacti. 10. Nunc mihi placet ut eos simul iungam ad idem onus trahendum, utque barbari contra eos congregentur. Sic iungentur pari iugo, ob pares utriusque gentis iniquitates. 11. Quippe Ephraim vitula est apprime edocta, amans quidem triturare. Sed ipse iugum imponam pulchro eius collo, faciam ut vehat Ephraim, arabit Iuda, Iacobus sulcos sibi confringet. 12. Spargite vobis semina, quae ferant probitatem, et colligite vobis fruges, ut ad quaevis bona paratiores evadatis. Novum agrum vobis praeparate; tunc tempus erit animum admovendi Iehovae ut tandem veniat vobisque veram pietatem depluat. 13. Nunc autem quoniam impietatem colitis, scelera metitis et fallacibus frugibus vescimini. Siquidem fiduciam in perversis tuis moribus et in multis tuis heroibus collocas, 14. fac, quaeso, tumultum tribubus tuis iniici, tum munimentorum tuorum copia devastabitur pari devastatione quam a Salmane tempore belli sustinuit Betharbel, ubi mater unà cum filiis collisa fuit. 15. Sic remuneratur vos Bethel ob extremam vestram impietatem. Ut aurora interit, ita exscindetur rex Israelitarum.

Hoc nostrum poëma, ad quod illud fragmentum 9, 7—9. pertinet, confectum fuisse temporibus maxime calamitosis, ubi regnum Israeliticum prope abfuerit ab interitu, expositum est introd. p. 85. et explicatio singulorum membrorum uberius demonstrabit.

X, 1.

1. E primo et secundo versu apparet temporibus illis bellorum vehementiâ turbatis terrae ubertatem minime interruptam fuisse. Describitur enim eius fertilitas, quae quidem auxit Israelitarum peccata. Dona enim divina, quibus animi Deo reconciliari debuerant, impendebantur in simulacra, cf. 4, 7. גֶּפֶן בּוֹקֵק יִשְׂרָאֵל: *Israel vitis est luxuriose se expandens.* Haec est significatio verbi בָּקַק, in qua interpretes admodum haesitarunt. Proprie est: *evacuare*, *vas evacuare*, hinc: *terram evacuare* Ies. 24, 1. Nah. 2, 3., h. l. habet significationem intransitivam: *se evacuare*, *se effundere*, sc. *omnem succum et ubertatem effundere ut plurimi palmites et racemi pullulent*, secundum Arab. بقّ, vid. Gesen. ad h. l. LXX.: εὐκληματοῦσα, quod idem est atque Hieronymi: *vitis frondosa bonas habens propagines et flagella fructifera.* Hieronymus insuper versionem Aquilae adfert: ἔνυδρον, *aquosam*, i. e. *quae vini perdidit saporem*, et Symmachi: ὑλομενοῦσαν, *quae tota in frondibus crevit, non amputata a vinitore, et humorem, quem debuerat in vina mutare, vana frondium et foliorum ambitione disperdens. Talis*, addit, *fuit Israel, crescens in multitudine populorum et non reddens fructus agricolae Deo.* Ex eadem etymologia, quae LXX., transitive et cum sequenti commate coniunctum vertit Drusius: *Israel vitis est, quae fructum, quem Deus ei ponit, penitus evacuat.* Rosenmueller e Schmidtio: *vitis evacuans fructum dum hic maturescere incipit, ut pereat nec cultori prosit.* Lutherus: „ein verwüsteter Weinstock." Eichhorn: „ein Weinstock blatt- und rankenreich, mit Früchten reich behangen." Ita certe pronomen לוֹ sequentis commatis prorsus neglexit.

פְּרִי יְשַׁוֶּה־לּוֹ: *fructus similis est ei*, idem ac si scripsisset: פִּרְיוֹ כִּפְרִי גֶּפֶן, *fructum fundit similem illi*, i. e. *fructus eius sc Israelis similes sunt fructibus vitis* s. *ita amoeni et dulces ut fructus vitis.* Quod optime respondet descriptionibus de vi et praestantia, qua Deus gentem sibi carissimam instruxisse dicitur 4, 7. 9, 10. 11, 1. cf. Ies. 5, 1—3. 41, 8—11.

X, 1. 2.

Fructus autem Israelitarum non tantum eorum liberi esse videntur 9, 16., sed sine dubio etiam eorum res gestae, gloria abundantiaque inde partae, quod sequens comma probat. Nam addit כְּרֹב לְפִרְיוֹ: *ut multitudo est in fructibus eius, ita multiplicant altaria;* כְּטוֹב לְאַרְצוֹ: *ut pulchritudo in terris eius, ita pulchras faciunt statuas idolorum.* In utroque membro inest primum laus praestantiae, qua gens Israelitica hucusque a Deo insignita fuerit, deinde vituperatio nefariae proterviae, qua largisssimis Dei donis abusa sit, oppositione elegantissima et concinna verborum sententiarumque כְּרֹב לְפִרְיוֹ הִרְבָּה לַמִּזְבְּחוֹת et כְּטוֹב לְאַרְצוֹ הֵטִיבוּ מַצֵּבוֹת. Quam elegantiam Hebraicae dictionis Hieronymus ita reddidit: *secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, iuxta ubertatem terrae suae exuberavit simulacris.* Ceterum coniugatio Piel שִׁוָּה propriam significationem e coniugatione prima שָׁוָה: *similem esse* Prov. 26, 4. Ies. 40, 25. retinuit, ut sit: *similem facere* Ps. 18, 34. Alii interpretes aliam significationem verbi praeferentes vertunt: *ponit sibi fructus,* „setzt für sich Früchte an," *sibi non Deo.* Alii a שָׁוְא: *vanitas* derivant, ut sit: *fructus eius vani sunt.* Plura vid. ap. Rosenmuellerum et Tarnovium. LXX.: ὁ καρπὸς εὐθηνῶν (*abundans*) αὐτῆς. מַצֵּבוֹת vertunt: στήλας, *columnas,* quod fere idem est ac *statuas,* nec necessarium eos legisse נְצִיבוֹת ut nonnulli voluerunt.

2. חָלַק לִבָּם pr. *molle est,* signif. inchoativâ: *mulcetur eorum cor,* scil. illa felici conditione qua fruuntur, cf. Ps. 55, 12., quod versione latina disertius exhibere studui: *id demulcet eorum cor.* Schmidt: *id adblanditur ipsis.* לֵב saepissime est circumscriptio pronominis, ut Latinorum *cor,* Ennius ap. Gell. 7, 2., et nostrum *Herz,* cf. Gesen. ad h. v. חָלַק pr. *laevum esse.* Metaphorica huius verbi significatio maxime e coniug. Hiphil intelligitur: הֶחֱלִיק enim saepissime indicat: *demulcere* Prov. 2, 16. 7, 21. 29, 5. Ps. 5, 10. 36, 3. *ver-*

bis dulcibus blandiri. Hinc significatio primae coniugationis *mollem esse*, *mulceri* sponte sequitu Alii usitatiorem significationem verbi חָלַק h. l. torquent, ut nempe vel intransitive sumatur: *divisit se* (sic Hieron.: *cor eorum divisum est*), vel subintelligatur: *Deus divisit cor eorum;* utracunque sententia probetur, confugiendum est vel ad Hieronymi fabulam (populum Hosea regnante cum rege isto ultimo disceptasse: cum enim ille minus impius fuisset quam eius antecessores, et cultum Dei in templo Hierosolymitano suis commendasset, populum contradixisse, hinc autem discordiam internam ortam esse, cuius finis externa captivitas fuisset), vel ad aliam ellipsin, v. c. Eichhornii: „getheilten Herzens sind sie zwischen Gott und Göttern," et Chaldaei: *cor eorum divisum est a lege.* Dathe maiori etiam violentia verbum nostrum ita tractavit, ut esset: *Israelitae sunt ambigui.* Sed vates: *fac*, pergit, *haec omnia eos demulcere*, *dulce videatur ipsorum animis confugere ad simulacra superstitiosoque cultu terrae ubertatem sibi expetere*, *brevi culpa eorum in lucem prodibit.* עַתָּה: *iam*, *in eo est ut.* יֶאְשָׁמוּ: *sontes declarabuntur*, nimirum luendo poenas peccatorum, cf. Ps. 34, 22. 23. Ies. 24, 6. Ioel. 1, 18. Est enim verbum usitatissimum de culpa quam quis ex lege divina sibi contrahit, cf. 13, 1. 14, 1. Nostro loco et in reliquis laudatis non sermo est de contractione novae culpae, sed de pronunciatione iam contractae per poenas divinas. הוּא, δεικτικῶς pronomen adhibetur, ubi transitus fit ab alio subiecto ad aliud, cf. 9, 10. 11, 2. 10. Hebraei nomen omittere amant, quod per se intelligitur. Nemo enim poterat altaria et templa destruere, praeter Deum. יַעֲרֹף: *cervicem frangere* s. *iugulare*, cf. Exod. 13, 13. 34, 20. Ies. 66, 3., omnino de hostiis et de bestiis, h. l. metaphorice: *confringere*, *destruere.* LXX.: κατασκάψει, Chald.: *confringet cervicem altarium eorum.* Glassius in Phil. S. p. 1125.: *habebant*, ait, *illa altaria quaedam superius imposita capitella* s. *cornua*, *ea quando demuntur in destructione*, *ipsum caput et cervix quasi praescinditur.* יְשֹׁדֵד pr. *vastabit.* Hieron.: *depopulabitur* i. e. *ornatu et divitiis priva-*

X, 3.
bit. Rectius fortasse: *vi perdet*, quae huius radicis significatio in coniug. Kal et Piel occurrit Ps. 17, 9. Prov. 19, 26. 24, 15.

3. Exhibentur nunc lamentationes, quae gaudia secuturae sint. Antea ubertas terrae animos mulcebat, nunc desperati casum lacrymabunt. כִּי repetitum adverbium עַתָּה gravius designans, ut כִּי אִם, כִּי הִנֵּה: *siquidem* v. 5. 13. 13, 15. quod ex ingenio nostrarum linguarum fere abundat. Sic in altero commate iterum ponitur, ut gravitatem orationis promoveat. אֵין מֶלֶךְ לָנוּ. Aptissime Drusius haec et sequentia verba ita interpretatur: *perinde est ac si non esset nobis rex, nam is, quem habemus, nobis nihil prodesse potest, cum habeamus Deum adversarium.* Ita respondet vaticinio 3, 4. *Israelitas aliquamdiu mansuros esse sine rege.* Nam illi, quos depositâ reverentiâ erga Deum, inobedientes eius monitis ut redirent ad Davidem regem suum 3, 5. cf. 2, 2., sibi elegerant, nihil iis prodesse poterant. Intelligitur ex his, in quo defectus timoris Dei, לֹא יָרֵאנוּ אֶת־יְהוָה, positus fuerit, nempe *in eo quod semper reges ex arbitrio sibi elegerint* cf. 8, 4. עָשָׂה cum לְ dativi: *prodesse, benefacere alicui*, vid. Exod. 13, 8. Deut. 11, 5. Formulae illae lamentationum aptissime ex animis desperatorum hominum sunt desumtae. In summa enim miseria sensus culpae vel pessimis hominibus redit eorum infortunium augens. Ita Lutherus ad h. l.: *impios etiam cogit quandoque ira et poenarum sensus, ut αὐτοκατάκριτοι, ut Paulus appellat, damnent se et studia sua et tamen sic impii maneant.* Alii interpretes prius comma interrogative ita intelligunt ac si verba essent populi: *nonne habemus regem, qui nos tueri possit?* et posterius quasi prophetae respondentis: *si Deum non timemus, quid rex ille nimirum Assyriorum in salutem nostram poterit efficere?* Sic Dathe et Kuinoel. Verum nimium artificiose et plane contra simplicitatem vatis. Hieron. expressum vaticinium captivitatis Assyriacae h. l. invenit: *quando sentient Osee ultimum regem a se esse sublatum, ideo dicent: rex nobis ablatus est, quia non timuimus Deum verum regem. Homo enim*

rex prodesse quid poterat? Eichhorn his verbis significationem non animi desperantis sed protervi inesse putat, qui nec regem nec Iehovam curet, sed utrumque conviciis lacessat. Verum nostra interpretatio sensui vatis accommodatior esse videtur. Nam irruente patriae destructione tempus quidem est desperandi non autem superbiendi.

4. Hic versus cum praecedentibus ita coniungendus est: *sed etiam in his supra modum iactatis eorum lamentationibus iis non credendum est; omnes enim falsi et fraudulenti sunt.* דִּבְּרוּ דְבָרִים ut Latinorum *verba dant* i. q. *inania loquuntur*, cf. Ies. 58, 13. אָלוֹת: *exsecrabili modo eiulare*, cf. Ioel. 1, 8. אָלָה cf. 4, 2. primariam significationem habet: *Dei nomine et sacratis formulis uti*, quod fiebat et in exsecrationibus et in iuramentis. Hinc *se exsecrari* et ita *flebili modo lamentari*, quod optime convenit superioribus lamentationibus. Alterum membrum est: שָׁוְא כָּרֹת בְּרִית, ad quod supplendum e priori דִּבְּרוּ: *vana loquuntur etiam dum foedera pangunt.* Opponitur haec sanctio foederum illis exsecrationibus, ita ut hinc levitas et inconstantia animorum iudicetur. Modo eiulant ac si culpam pie sentiant, modo foedera pangunt. Sed in utroque mentiuntur s. fides iis non habenda est, quod historiâ 2 Reg. 17, 3. 4. luculentissime comprobatur. Vix enim regi Assyriorum se subiecerant, cum iidem legatos in Aegyptum mitterent ad nova pacta componenda. Interpretes שָׁוְא ad אָלוֹת trahentes, ita: vorba dant peierando in pangendis foederibus, vituperationem quidem fraudis in ineundis et iuramento sanciendis pactis cum Assyriis et Aegyptiis vindicant, quae utique et aliis locis et nostro ipsi inest, sed et nexum eius cum antecedentibus tollunt, qui nostra explicatione aptissime constituitur, et vatis orationem iusto verbosiorem describunt, plane contra sententiosam eius brevitatem. Hieron. a textu recedens vertit: *loquimini verba visionis inutilis et ferietis foedus et germinabit quasi amaritudo super sulcos agri.* LXX. componunt hunc versum ita cum praecedenti: ὁ δὲ βασιλεὺς τί ποιήσει ὑμῖν λαλῶν ῥή-

X, 4. 5.

ματα προφάσεις ψευδεῖς; διαθήσεται διαθήκην, ἀνατελεῖ ὡς ἄγρωστις κρῖμα, κ. τ. λ.

וּפָרַח מִשְׁפָּט כָּרֹאשׁ: *iudicium* (i. e. *poena a Deo iudice vobis iniungenda* 1 Reg. 20, 40. Ier. 48, 21. 39, 5. 51, 9.) *succrescet ceu absynthium.* Hebraei רֹאשׁ pr. dicunt esse: *amaritudinem, herbam amaram*, cf. Iarchi ad h. l., unde sigillatim: *absynthium*, cf. Kimchi. Componitur saepius cum לַעֲנָה eandem herbam significante, cf. Deut. 29, 17. Thren. 3, 19., vel cum ea commutatur, Am. 5, 7. cf. 6, 12. Prodit ita aptissima imago: *poenae amarae erunt sicut absynthium.* Alii putant esse: *cicutam, herbam venenatam*, cf. Gesen. ad h. v. Cels. Hierobot. 2, 46. Sic indicaret imago perfectam perniciem penitus impios perdentem. LXX.: ἄγρωστις, herbae species *quae* secundum Hieron. *deficiente sedula cultura totos agros replet eosque veprium similes facit.* Hieron. ipse propriam nominis significationem retinet, ut *iudicium quasi amaritudo* sit: *amaritudinis iudicium, iudicium quod gaudia vertat in lacrymas et luctus.* Plures codd. ap. de Rossium legunt בְּרֹאשׁ: *in capite.* עַל תַּלְמֵי שָׂדָי: *super sulcos agri.* Sens.: *ut absynthium in sulcis agri hordei et tritici loco succrescit, ita succrescent poenae loco exspectatorum bonorum.* Vates hanc imaginem aptissime addidit respectu ad vers. 1., ubi de ubertate terrae locutus erat. *Non amplius gloriamini de hac ubertate; terra enim vestra vobis porro feret absynthium meorum iudiciorum.* שָׂדָי secundum observationem grammaticorum (vid. Glass. Phil. S. p. 129. et Gesen. Lexicon ad h. v.) est forma poetica pro שָׂדֶה ut Ioel 2, 22. Ps. 96, 12. al. Al. מִשְׁפָּט ita intelligunt: *ius et iudicium in summam iniustitiam a vobis conversum est*, vid. Michaelis et Liveleius. Alii, ut Lutherus: *illa eorum fraudulenta consilia inutilia et perniciosa erunt*, quemadmodum מִשְׁפָּט *consilium* significat Deut. 29, 17.

5. לְעֶגְלוֹת: *ad vitulas.* לְ est nota loci, ut לְצוֹר 9, 13. Hoc uno loco idolum Aegyptiacum foeminino genere ponitur, ut interpretes putant, contemtus causa, cf. Drusius ad h. l. et Bochart. in Hieroz. I, 369. Pro

plurali habent LXX. singularem τῷ μόσχῳ, qui melius convenit et historiae de uno vitulo Bethelis 1 Reg. 12, 28. 29. et sequentibus verbis versus nostri, ubi vates singulari numero et masculino quidem genere de eo loquitur. Dathe lectionem לְעֶגְלַת in textum recipi vult, quod Syriaca versione et 4. codicibus (vid. Rosenm. ad h. l.) comprobari videtur. Sed ita altera difficultas non tollitur, quod nempe suffixum in sequentibus verbis semper masculini generis est. Alii interpretes (cf. Drusius ad h. l.) contendunt esse enallagen numeri, Schmidt addit etiam enallagen generis, qua vates nomen Dei אֱלֹהִים aeque plurale sed masculinum respiciens, cum indignatione quadam usus fuerit. Sententia certe satis ingeniosa. Quae cum spernenda nullo modo videatur, difficilem huius versus orationem ita expediamus ut statuamus: vatem per contemtum inusitatissima forma לְעֶגְלוֹת usum, sed statim missa illa forma ita de plebis idolo locutum esse, ut omnibus notum erat, nimirum quasi ante עֵגֶל scripsisset, quemadmodum etiam אֱלֹהִים, quamquam forma pluralis, semper fere cum singulari construitur. יָגוּרוּ: *peregrinantur*, *conveniunt ad peregrinum aliquod.* Ita LXX.: παροικήσουσι τῷ μόσχῳ. Usitato modo construitur cum praep. עַל 7, 14. Ps. 59, 4. pro qua h. l. praefixum לְ saepe eandem cum praep. עַל vim habens ponitur. Futurum autem concessive ponitur pro coniunctivo praesentis: *peregrinetur incola Samariae ad vitulum Bethavenis.* Eodem modo, certe quoad sensum Eichhorn vertit: „bei Beth-Avens Rindern werden Schutz Samariens Bewohner suchen.“ Plerique interpretes יָגוּרוּ ex altera significatione radicis גּוּר derivant, ubi est: *timere*, vid. Schmidt et Lutherus; *anxii sunt ob sortem vitulae.* Hieron.: *vaccas Bethavenis coluerunt incolae Samariae*, eo modo uti Ps. 22, 24. De utroque vid. Rosenmueller ad h. l. Utroque interpretandi modo elegans parallelismus amborum commatum huius versus tollitur. Est enim ex nostra interpretatione in priori membro utriusque commatis significatio reverentiae erga idolum Bethelis, in posteriori autem commemoratio instantis vicis, quam vi-

X, 5.
tulus experturus sit. Est praeterea paronomasia in verbis עֶגְלוֹת, יָגוּרוּ, אָבַל, יָגִילוּ, גָּלָה, unde intelligitur omnia membra orationis pari vi inter sese cohaerere. *Peregrinentur incolae Samariae ad suum vitulum — mox eum lugebit populus eius: exsultent eius flamines super eius gloria — brevi ab eo abducetur.* Coniunctio כִּי utrobiquae eodem sensu legitur quo v. 3., gaudium breve futurum esse cum quadam orationis gravitate significans, ut Lat. *siquidem.* אָבַל עָלָיו praeteritum instantem eventum indicans, quemadmodum postea גָּלָה. עַמּוֹ. Gravis significatio inest huic verbo. Non enim amplius gens Israelitica vocabitur עַמִּי, cf. 2, 25. A Deo recessit dum illis idolis se dedit. Sic factum, ut non solum לֹא עַמִּי sed adeo עַמּוֹ: *gens idolorum* appellaretur. Iuxta concinnitatem orationis indicat etiam accentus gravis in עַמּוֹ et minor in כְּמָרָיו, illud ad prius hoc ad posterius comma esse referendum.

In hoc altero commate verba וּכְמָרָיו עָלָיו יָגִילוּ iterum concessive accipiantur. גִּיל: *exsultare*, saepius cum ב, h. l. ut Zeph. 3, 17. cum praep. עַל. כְּמָרִים: *flamines deastrorum*, cf. 2 Reg. 23, 5. Zeph. 1, 4. Unde derivatum sit hoc nomen, incertum est. Gesen. in Lex. e Syriaco repetit: *qui tristis, ater procedit*, hinc *sacerdotes, quia nigri s. pullis vestibus ex ritu superstitioso incedebant, unde interpretes vertunt: atrati*, cf. Ioh. Schmid ad h. l. Alii (cf. Rosenmueller ad h. l.) deducunt ab Hebraeo כָּמַר: *incendit, ussit*, quia continuo idolis thus et suffitum incendant, vel quia nimio ardore in pravam religionem flagrent. Elias Levita repetit hoc nomen ex ea significatione verbi כָּמַר, qua sit: *contrahi s. coniungi*, quod *in certa collegia sint iuncti et claustris inclusi, quasi in papatu monachi*, cf. Ioh. Schmidt ad h. l. Eos hoc nomine contemtus causa a vate appellatos esse apparet. Israelitis enim fuisse כֹּהֲנִים vidimus 4, 4. 9. 5, 1. עַל־כְּבוֹדוֹ designat causam gaudii illorum sacrificulorum. Idola enim muneribus et ornamentis locupletissime aucta erant v. 1. 8, 4. גָּלָה מִמֶּנּוּ: *migrabit ab eo* i. e. *auferetur s. ab-*

duoetur gloria ab eo scil. *idolo.* מִמֶּנּוּ h. l. non *a nobis* sed *ab eo*, et quoniam vates in omnibus dictionibus sedulo cavit, ne aliquid commercii inter se atque idolum innueretur, et quoniam idolum ipsum abductum iri, adiecta particula גַּם: *etiam*, demum v. 6. commemoratur. Hieron. ut demonstret, cur lugente plebe flamines exsultent, fabulam narrat, nimirum: *pro vitulis aureis a sacerdotibus furto sublatis repositos fuisse aeneos et deauratos; iam propterea exsultavisse sacerdotes, quod idola illa a rege Assyriae abducta essent, antequam fraus ipsorum posset argui et deprehendi.* LXX. de Cemarim nihil habent, vertunt eorum loco: *καθὼς παρεπίκραναν αὐτὸν: quemadmodum irritaverunt illum, ἐπιχαροῦνται ἐπὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ ὅτι μετῳκίσθη ἀπ᾽ αὐτοῦ.* Quid sibi voluerint non liquet, certe pro כְּמָרָיו legerunt כְּמֹרָיו.

Recentiores interpretes, qui יָגִילוּ verterunt: *anxii sunt propter idolum suum* sed parallelismum in utroque membro aeque probaverunt, confugerunt ad inusitatissimam significationem rad. גִּיל: *in orbem prae dolore volvi.* cf. Dathe ad h. l. et Gesenius in Lex. ad h. v. Certe locus in favorem huius significationis laudatus Ps. 2, 11. eam non confirmare videtur. Eichhorn verba vatis nimium violenter confudisse, elegantiam parallelismi neglexisse, et prioris commatis particulae כִּי prorsus alienam significationem substituisse videtur, scil. *usque dum* — „bis sein Volk und seine Priester, die über ihre Glorie frohlocken, ihrentwegen werden trauren müssen; denn entrissen wird sie ihnen."

6. *Non tantum finis est gloriae, sed finis erit vituli ipsius, quippe qui in Assyriam abducatur.* אוֹתוֹ non est accusativus, sed praep. אֵת ut nominativum designet, saepius, maxime in antiquioribus libris sacris, cum passivo iungitur, cf. Gen. 4, 18. 17, 5. Gesen. Lehrgeb. p. 682—84. יוּבָל fut. Hoph. a rad. יָבַל: *ire*, cf. 12, 2. Ies. 18, 7. Ps. 45, 15. 16. *abducetur.* Iam enim ad tantam miseriam res Israelitarum perductae

X, 6. 7.
erant, ut patria sempiternis irruptionibus Assyriorum exhausta 2 Reg. 15, 19. 29. 17, 3. fere nil haberet, unde exactionibus Assyriorum satisfaceret, praeter aurea sacra et idola. מִנְחָה: *donum.* Hoc nomine tributa in terra Israelitica ab Assyriis exigebantur, praesertim sub Hosea rege, qui auxilium sibi ab Assyriis oblatum magno auri et argenti pondere remunerari coactus erat, cf. 2 Reg. 17, 3. וַיָּשֶׁב לוֹ מִנְחָה, vid. introd. pag. 88. לְמֶלֶךְ יָרֵב: *regi Iareb.* Nomen symbolicum regis Assyriorum. Pr. *rex dimicabit*, duplicem habens sensum, quoniam ultor vocatus oppressor venerat, cf. 5, 13. Tunc demum *pudor corripiet Ephraimum et Israel erubescet.* בּוֹשׁ: *pudore affici*, nimirum propter spem frustratam cf. 4, 19. Ioel. 2, 26. 27. מֵעֲצָתוֹ *propter consilia sua* scil. *tam perversa et perniciosa*, *quod* scil. *spem posuerat in idolis quae semet ipsa a contumeliosissima abductione tueri non poterant.* Hieronymus inhaerens fabulae deauratorum idolorum vatem praedixisse putat: Israelitas maxima contumelia affectum iri, ubi rex Assyriae fraudem flaminum senserit. *Offendunt enim*, addit, *eos quibus munera miserant, aestimantes non furto sacerdotum, sed fraude regum et consilio hoc esse perfectum.* Vix intelligitur quomodo tam severus tamque prudens interpres in tanta re illis nugis acquiescere potuerit. LXX. textum corruptum habuisse videntur. Non minus enim obscura est eorum versio: καὶ αὐτὸν εἰς Ἀσσυρίους δήσαντες ἀπήνεγκαν ξένια τῷ βασιλεῖ Ἰαρείμ. ἐν δόματι Ἐφραὶμ δέξεται, quam Hieronymi interpretatio: *et ipsum in Assyrios ligantes tulerunt munera regi Iarib in domo: Ephraim suscipiet confusionem.*

7. Augentur poenae. Gradatim enim poeta procedit. Prima evertenda erant altaria et simulacra מַצֵּבוֹת v. 2., post haec vitulus aureus גְּאוֹן־יִשְׂרָאֵל omni sua gloria privandus v. 5.. adeoque abducendus in Assyriam v. 6.; nunc ipsa regia urbs Samaria est devastanda v. 7., omnia sacra destruenda v. 8. Eodem modo sensus doloris augentur. Reverentiâ erga regem positâ v. 3. restitit adhuc fiducia in illo vitulo, imperii, ut opina-

bantur, palladio et ornatu v. 5., quo destitutos probrum contumeliaque correptura erat v. 6. Denique et regiâ et omnibus sacris orbati rebus prorsus desperatis flebili planctu vociferabuntur: *montes operite nos, et colles cadite in nos* v. 8. Descriptio sublime vatis ingenium gravissime significans.

שֹׁמְרוֹן מַלְכָּהּ *Samaria regina.* Elegantissimo modo metropoli regni epitheton illud regium apponitur. Fortasse verbum masculinum נִדְמָה impedivit interpretes, quominus hanc simplicem amborum verborum significationem viderent. Verum usus iste generis masculini cum substantivo alterius generis saepissime obvius est 14, 1. 1 Sam. 25, 27. 2 Reg. 3, 26. ubi verbum impersonaliter accipi debet: „Es wird zerstört Samaria die Königliche," cf. Gesen. Lehrgeb. p. 716. Verba ita composita rem magis extollunt: *quamquam regia sit, tamen destruetur.* מַלְכָּה *regina* vid. Esth. 1, 9. 7, 1. 1 Reg. 10, 1. Simili modo dicitur Ies. 23, 6. צֹר הַמַּעֲטִירָה *Tyrus coronam tribuens.* Hoc autem nostro loco מַלְכָּה poni pro הַמַּלְכָּה neminem offendet, poetis enim usitatissimus est defectus ה articuli. Interpretes notae pronominis foeminini הּ inhaerentes, vertunt vel: *Samaria et rex eius*, ubi in textu copula ו desideratur, vel: *quod attinet Samariam, rex eius*, ubi nominativus absolutus e consuetudine vatis initio commatis quaerendus esset. *Ceu spuma in superficie maris.* קֶצֶף pr. *spuma*, hinc: *ira spumans*, quo sensu saepius occurrit, v. c. Ies. 60, 10. Ps. 38, 2. h. l. primariam significationem obtinet. Imago est aptissima. Nam secundum Hieronymum: *sicut spuma, quae super aquam est, cito dissolvitur, ita regnum 10 tribuum velociter finietur.* Gesenius, Kuinoel et alii explicationem LXX. (qui vertunt: φρύγανον: *virgultum aridum* cf. Wahl in clav. N. T. ad h. v.) probantes in Arabica analogia קֶצֶב docuerunt esse: *fragmen ligni.* Sed praeter naturalem verbi significationem, quam inter Hebraeos quoque Iarchi et Kimchi exhibent, natura imaginis hanc interpretationem dissuadet. Fragmentum ligni in superficie aquae non destruitur, sed diu incolume servatur. Cete-

rum alias interpretationes verbi נִדְמָה, ut sit vel: *silentium imponitur Samariae*, vel: *similis factus est spumae*, cum Rosenmuellero ad h. l., illam propter imaginem, utramque propter parallelismum sequentis versus reiiciendas duximus.

8. Sicuti regiae Samariae, ita sacris et altaribus eadem nuntiatur eversio. נִשְׁמְדוּ quemadmodum נִדְמָה v. 7. *destruentur*, *subvertentur*. בָּמוֹת אָוֶן *sublimia impiae vanitatis sacella* i. e. *altaria et sacella vanis dolis in excelsis locis exstructa*. Nam אָוֶן pr. abstractum: *vanitas*, de vanis idolis intelligitur. Sic בֵּית אָוֶן v. 15. cet. Legitur in historia sacra, Israelitas, ut olim iam universum populum Iacobiticum, montes et colles implevisse altaribus et sacellis idolorum, quod lex Mosaica stricte vetuerat. Deo enim uno tantum loco, in templo Hierosolymitano, sacra fieri iussum erat, cf. 4, 13. 12, 12. 2 Reg. 17, 9—11. 1 Reg, 11, 7. 12, 31. cf. Am. 7, 9. חַטַּאת יִשְׂרָאֵל. Saepius a nostro Israelitis vitio vertitur et tamquam fons reliquorum flagitiorum describitur, quod superstitioso illi cultui se dedissent, 5, 2. 8, 11. 9, 10., hinc peculiari modo ille apparatus superstitiosus vocatur: *peccatum Israelis*. LXX. iterum אָוֶן vertunt: ὤν, quod Hieron. reddit: *inutile*. Haec autem sacella ita destruentur, ut *spina* et *carduus*, קוֹץ וְדַרְדַּר, eorum loco *crescat*: יַעֲלֶה עַל־מִזְבְּחוֹתָם, i. e. *in iis locis ubi nunc arae idolis sacratae reperiuntur*. Imago destructionis, quam habuimus 9, 6. cf. Ies. 32, 13. 34, 13. 14. At montes collesque, olim refugium impiorum Israelitarum, cum isti se frustra fiduciam in iis posuisse intelligent, ut certe contumeliam tegant et finem faciant vitae et malorum, implorabuntur. Inest igitur verbis: *dicent montibus operite nos, et collibus cadite in nos* apta allusio ad ea loca ubi sacra fecerant. Repetuntur haec verba ad significandam summam miseriam, qua sola morte liberari possunt, Luc. 23, 30. Apoc. 6, 16.

9. Inde ab hoc versu aut nova constituenda est prophetia, aut lacuna inter 8. et 9. versum explenda fragmento aliquo vel amisso vel in alium locum trans-

lato. Est autem tale fragmentum in promtu; nimirum illud quod 9, 7—9. sensu prorsus alienum esse a reliquis duabus particulis capitis noni vidimus, cui hic suum locum vindicamus, cum eius ope omnia in nostro capite optime cohaereant. Particulam autem, quae nunc sequitur v. 9—15. vere pertinere ad initium nostri capitis, eius rei verba v. 15. omnem dubitationem tollunt. Redit vates in fine totius poematis et ad vitulum Bethavenis v. 5. et ad eiulationem populi v. 3., moniturus quomodo illud idolum, de quo tantopere gloriati essent, suos remuneretur, et quam prope instet interitus regis, quem tamquam amissum iam deploravissent. Quis autem versibus illis suo loco positis nexus orationis sit, in introductione pag. 86. 87. uberius docuimus. Restat ut singula exponamus.

מִימֵי הַגִּבְעָה vel: *inde a temporibus Gibeae*, vel: *gravius quam temporibus Gibeae.* Utraque significatio respondet verbis Hebraicis, posterior quidem vel severiorem facit correctionem. Habemus enim elegantem amplificationem imaginis a Gibeatitis desumtae 9, 9. Non tantum referunt Gibeatitas sed gravius peccarunt, sine dubio quod flagitia praetextu religiosi cultus infucabant et ita cum malefactis atrocissimam impietatem erga Deum miscebant. Imago Gibeatitarum vati orta est e paronomasia illorum גְּבָעוֹת, quibus in honorem simulacrorum Israelitae delectabantur. Vates 9, 9. et h. l. ita in oratione processisse videtur: *Vos qui* בַּגְּבָעוֹת et בַּבָּמוֹת *simulacra colitis, in his* גְּבָעוֹת *ita peccavistis, ut illi* בַּגִּבְעָה, *quos a patribus vestris oppressos adhuc detestamini, vel gravius etiam. Nec est quod ultra eos crimineminii, pares iis estis peccando, pares iis eritis poenas luendo.* Tunc temporis non Israelitae peccaverant, sed Beniaminitae. Ex omni orationis nexu apparere videtur, Israelitas diu, vel adhuc temporibus vatis nostri superbiisse, quod tanti flagitii non consortes fuissent, idque in causis fuisse, cur alteram partem posterorum Iacobi, 2 tribus, quarum una Beniaminitica fuit, contemnerent: Propterea addit vates: שָׁם עָמָדוּ: *tum adhuc stabant,* scil. Israeliticae tribus; שָׁם et de loco et de tempore ponitur, cf. 2, 17. עָמַד: *stare, in-*

X, 9. 10.

columem esse; cf. Ps. 33, 11. 102, 27. Esth. 3, 4. ut Latinorum *stare*, quod item de politica et de morali incolumitate intelligi potest. לֹא־תַשִּׂיגֵם בַּגִּבְעָה מִלְחָמָה: *non attingebat eos bellum Gibeae gestum.* Ex historia enim Iud. 19. et 20. novimus, illud bellum tantummodo in tribu Beniaminitica circa oppidum Gibeam gestum, occupatione illius oppidi compositum esse, omnes igitur regiones reliquarum tribuum, praesertim 10 tribuum, intactas bello fuisse. עַל־בְּנֵי עַלְוָה: *contra filios improbitatis.* עַלְוָה e transpositione literarum ל et ו ortum i. q. עַוְלָה, quod etiam in pluribus Codd. ap. de Rossium et Kennicottum legitur. בְּנֵי עַוְלָה eodem sensu occurrunt 2 Sam. 3, 34. Notissimus est Hebraismus (cf. introd. p. 113.) significans: *homines nequissimos* sc. *Gibeatitas.* LXX.: τὰ τέκνα ἀδικίας, ut saepius in N. T. De bello ipso vid. 9, 9., plura autem de interpretum nugis, praesertim ad enucleandum tertium comparationis inter Gibeatitas et Israelitas, vid. ap. Rosenmuell. ad h. l. et de variis huius versus explicationibus Tarnovium ad h. l. Non autem ommittenda est LXX. sententia, si omnino aliquid senserunt, a Dathio recepta, quam certe ex Dathii interpretatione commendarem, nisi fragmento 9, 7-9. melius etiam v. 8. et 9. coniungerentur. LXX.: ἀφ' οὗ οἱ βουνοί, ἥμαρτον Ἰσρ. ἐκεῖ ἔστησαν. οὐ μὴ καταλάβῃ αὐτοὺς ἐν τῷ βουνῷ πόλεμος ἐπὶ τὰ τ. ἀ. quod posterius comma Dathe ita emendavit: *nonne bellum eos in his ipsis collibus opprimet?* i. e. *ideo utique bellum eos opprimet.* Hieron. Chald. Syrus et omnes antiquae versiones locum de Gibeatitis, non de collibus intelligunt. Nec meliori negotio difficultates sequentis versus tolluntur, quam ita, ut vatem illam antiquam historiam respexisse existimemus.

10. *At transit gloria tribuum, quas illud bellum non tetigit. Quemadmodum nunc non solum pares sunt Gibeatitis sed gravius etiam peccaverunt, ita non amplius stabunt, sed coniungentur cum iis ad parem sortem ferendam ob par utriusque peccatum.* Hic sensus est totius versus. בְּאַוָּתִי: *in beneplacito meo*, pro quo 2 Codd. ap. Kennic. כְּאַוָּתִי: *iuxta bene placitum m.*, a

rad. אָוָה, quae respondet radici חָפֵץ: *placuit*. Deut. 12, 20. 14, 26. 1 Reg. 11, 37. Substantivum Hebraicum nostra loquendi ratione ita resolvi potest: *mihi placet, ut* —. Indicatur ita voluntas Dei eam sortem hominibus tribuendi, quam mores eorum promereantur. וְאֶסֳּרֵם. Duplex ו in verbis subsequentibus eodem modo ponitur, ut latinum et — et Ios. 7, 24. Ps. 76, 7. al.: *et iungam eos* scil. *invicem ad idem onus trahendum*. Sens.: *Israelitas pares faciam Gibeatitis, ut eandem poenam luant*. Est formatio futuri plane ex regula pro אֶאֱסֹר contractis duobus א in unum, sequente Dagesch et mutato ֹ in ֵ, cf. Drusius ad h. l. אָסַר autem de iungendis iumentis in curru formula est usu comprobata, cf. 1 Sam. 6, 7. 10. 1 Reg. 17, 44. 2 Reg. 9, 21. Gen. 46, 29., quam vatem in mente habuisse versus sequens luce clarius significat. וְאֻסְּפוּ עֲלֵיהֶם עַמִּים: *et congregabuntur super eos gentes. Ut enim olim contra Gibeatitas Beniaminitasque eorum defensores undecim tribus convocabantur, quae congregatis copiis oppugnabant et expugnatum vastabant oppidum, ita nunc barbari in Israelitarum perniciem congregabuntur, ut exscindantur et deleantur qui hucusque incolumes steterint*. Gibea funditus diruta est. Iud. 20, 40. Idem fatum regnum Israeliticum manet. Vates sortem oppidi notissimam supponit ex suo more, quo omnia ex historia desumta paucissimis tangit, cf. v. 14. 5, 10. 6, 7. 9, 8. 12, 4. 5. 13., reliqua autem supplenda lectoribus committit. Unde omnino in iis locis obscurior fit, praesertim ubi historiam non ita novimus, ut h. l. historiam Gibeatitarum. Si autem in his comparationem non tantum peccati sed etiam sortis Israelitarum cum peccatis et sorte Gibeatitarum tenuerimus, habebimus elegantissimum nexum huius versus cum versu 7. et 8. Illic vaticinatus erat propheta: *exscindetur Samaria, delebuntur excelsa*. Hic pergit: *tempus erat, ubi stabatis incolumes et bellum vos non attigerat. Postquam autem peccavistis ut Gibeatitae, placet mihi, ut congregentur barbari, qui vobis bellum inferant, exscindant urbes, deleant sacraria*.

X, 10.

בְּאָסְרָם לִשְׁתֵּי עוֹנֹתָם pr. *in iungendo eos propter utramque eorum iniquitatem.* Repetitio eiusdem verbi אָסַר in eodem versu eà, quam habemus, connexione indicat etiam significationem eius utrobique eandem esse. Certe vel esset inepta paronomasia vel inexcusabilis negligentia, si vates per idem verbum h. l. diversa significare voluisset, cuius non est quod eum arguamus. Nam simplex explicatio, quae statim in oculos incurrit, est etiam aptissima. Verba ex strictissima omnium significatione ita cohaerent: *in meo*, inquit Deus, *beneplacito* s. *secundum id, quod mihi nunc placet, iungam eos*, scil. Israelitas et illos improbos Gibeatitas, *sub uno iugo, et dum eos propter utramque eorum nequitiam ita iunxero, congregabuntur super eos barbari.* Ita in priori commate inest consilium Dei paribus eos poenis adficiendi, in altero causa, cur ad parem poenam iungendi sint, scil. quod pares sint peccando. Lectio textus e Masorethica emendatione adiectis vocalibus ita est constituenda: עֲוֺנֹתָם: *peccata eorum*, quod LXX. Syrus, Arabs, Hieronymus, Lutherus et plerique veterum recentiorumque fecerunt. Altera punctatio est עֹנֹתָם, secundum Chald. *sulcos*, secundum alios *habitationem* indicans. Cthib denique: עֵינֹתָם vel: *fontes*, vel: *oculi.* Quae quidem omnia sensum vatis non expediunt, sed torquent. Auctoritatem autem lectionis עונתם praeter Masorethas plures insuper codd. ap. de Rossium confirmant.

שְׁתֵּי foeminin. quemadmodum masculinum שְׁנֵי Gen. 2, 25. 3, 7. al. non tantum *duo*, sed: *ambo*, *uterque.* Sic h. l.: *propter utrumque eorum peccatum*, quod Gibeatitae commiserunt, et quod vos committitis. לְ pro עַל: *propter*, saepius obvium est, v. Gesen. in Lex. ad hoc praefixum n. 10. Imago aptissima. *Ambo peccaverunt, ambo subiguntur iugo, iunguntur currui* s. *vomeri, ut ademta gloria et libertate miseria laborent.* Sic vates sibi praeparavit imaginem sequentis versus.

Verum interpretes in admodum alienas partes abierunt. LXX. addunt initium nostri versus praecedenti-

bus, vid. ad v. 9. παιδεῦσαι αὐτούς· καὶ συναχθήσονται ἐπ' αὐτοὺς λαοὶ ἐν τῷ παιδεύεσθαι αὐτοὺς ἐν ταῖς δυσὶν ἀδικίαις αὐτῶν [22]. Ita omittunt בְּאַוָּתִי et quae verba nos ab אסר illi a יָסַר derivant, quod certe in posteriori e regulis grammaticis nullo modo locum habere potest. Chald.: *in verbo meo adduxi super eos correptiones et congregavi adversus eos populos; et dominium exercuerunt in eos, in modum, quo ligantur iuga boum ad duos sulcos.* Hieron.: *iuxta desiderium meum corripiam eos, congregabuntur super eos populi, cum corripientur super duas iniquitates suas.* Item errans in derivando וְאֶסֳּרֵם et בְּאָסְרָם a יָסַר. Duas autem Israelitas iniquitates commisisse statuit, vel *vindicando hominem et Dei sui iniuriam negligendo;* vel *quia primum peccaverunt in idolum Michae Iud. 17, 3., secundo in vitulos Samariae; vel quia 2 vitulos in Dan et Bethel habuerunt;* vel *ob dictum Ieremiae 2, 13.: duo pessima fecit populus meus.* Alterutram harum interpretationem plerique recentiorum interpretum secuti sunt, ita tamen, ut quamquam prius וְאֶסֳּרֵם a יָסַר, tamen posterius בְּאָסְרָם ab אָסַר deducerent, et in שְׁתֵּי עֹנֹתָם suum quisque ingenium consulerent. Est, quantum scio, nova coniectura Eichhornii pro עֹנֹתָם legi debere עֲבֹתֵיהֶם vel עֲבֹתוֹתָם, quod utrumque quomodo in nostram lectionem transierit, vix cogitari potest. Vertit: „Fremde Völker sollen gegen sie versammelt werden, sie an der Rinder beide Seile anzubinden." De Wette: „ich führe sie gefangen um ihrer zwiefachen Vergehung willen." Plura vid. ap. Rosenmuellerum in Scholl. et Schultensium in Animadverss. philolog. ad h. l.

---

22) In cod. quidem Alexandrino verba sunt: ἐπὶ τὰ τέκνα ἀδικίας ἦλθε παιδεῦσαι αὐτούς. Legerunt igitur fortasse בָּאתִי ita ut ἦλθον ex errore librariorum corruptum sit in ἦλθεν cf. Drusius ad h. l.; in aliis Codd. post παιδεῦσαι αὐτούς legitur κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν μου.

11. Vates imaginem iumenti obtinens, quoniam dixerat Israelitas iungendos esse ad par onus cum illis nefariis hominibus trahendum, nunc misericordia commotus subactionem eorum sub iugum committit Deo labores eorum et onera ita versuro, ut copia inde iis detur revertendi ad sanam mentem; nova quidem annexa imagine agri, quem Ephraim, Iuda et omnes posteri Iacobi multas molestias ferendo ita praeparaturi essent, ut denique spargerent semina pietatis, colligerentque fruges, quibus rursus admoti ad Deum semper gaudere possent. Hic naturalis et simplicissimus huius et sequentis versus sensus esse videtur.

וְאֶפְרַיִם עֶגְלָה מְלֻמָּדָה: *Ephraim non est impatiens iugi, quod sibi subinde imponere passa est*, idque superstitiosis doctrinis et falsis prophetiis, cf. 5, 11. 9, 8. Vocatur igitur: *vitula apprime edocta* scil. h. l. ad iugum ferendum, quemadmodum עֵגֶל לֹא לֻמָּד eodem sensu occurrit Ier. 31, 18. et sine metaphora מְלֻמָּדָה Ies. 29, 13. Copula וְ initio posita designat transitum ad novam sententiam, ad modum copulae כִּי, h. l. *quippe, quin immo*, allerdings, ja ohnehin. Vitula est edocta, verum ita, ut levi labore et cogitatione fructus capere velit. *Amat* enim *triturare*. אֹהַבְתִּי particip. foemin. cum י paragogico. לָדוּשׁ. Hic in operibus agriculturae, quibus boves adhibebantur, labor erat facillimus. Positus erat secundum Hieronymum ad h. l. in eo, *ut ferrei orbes super acervos segetum traherentur, quibus palea a tritico separaretur, ubi (cf. Deut. 25, 4.) liberum bobus erat de frugibus subinde arripere, quia lege cautum erat, ne os iis ligaretur, unde huic operi incumbentes mirum in modum pinguescebant.* vid. Bochart. Hieroz. c. 31. p. 306. Convenit haec imago moribus et studiis Israelitarum, qui levi et luxurioso cultu idolorum omnibus bonis terrestribus abundare vellent 2, 7. 9, 1. 2. וַאֲנִי עָבַרְתִּי עַל־טוּב צַוָּארָהּ: *equidem autem superveniam pulchrum eius collum*, nimirum pinguefactum granis, quibus abunde vescebatur triturando. Verbum עָבַר in simili oratione semper malo sensu obvium, v. c.

Num. 5, 14. Deut. 24, 5. Iob. 13, 13. Ies. 8, 8., h. l. nil aliud esse potest nisi: *iugum collo imponam*, nam in collo iugum ferebant boves, cf. Ies. 10, 27. 14, 25. Kuinoel ad h. l. Hiphil הִרְכִּיב h. l. insitato modo ponitur. Pr. est *vehere aliquem curru vel equo* v. c. Gen. 41, 43. 1 Reg. 1, 33. Sic Deus dicitur *vento vehere Iobum* Iob. 30, 22. Sed h. l. Deus non fingitur Ephraimum vehens, sed iugo collo imposito Ephraimum ipsum vehere oportet. Itaque sensus vocis אַרְכִּיב non esse potest; *veham Ephraimum*, sed; *faciam ut vehat Ephraim.* Cum autem de laboribus boum sermo sit, quorum in subsequentibus opera agriculturae diserte commemorantur, nostrum quoque אַרְכִּיב ad ea pertinet. Sic Eichhorn: „ich liess ziehen Ephraim." Boeckel: „zum Fahren soll Ephraim dienen." Dathe: *tradam Ephraimum vectori.* Sens.: *Non equidem Ephraimum leviter tractabo, ut hucusque tractari solitus erat, sed severiori cultui meo adstringam. Sed non unus Ephraim ita tractabitur, verum etiam Iuda*, cives duarum tribuum. יַחֲרוֹשׁ יְהוּדָה: *Iuda arabit*; et sic *omnis Iacob* i. e. omnis natio posterorum Iacobi יְשַׂדֶּד: *occabit, sulcos confringet* Ies. 28, 24. Iob. 39, 10. לוֹ: *sibi*, dat. commodi ut 8, 9., לָהֶם 9, 4. et לָכֶם v. 12. *Omnes a me edocti et ad gravius studium mei cultus et obsequii instigati sibi i. e. in suum commodum laborabunt.* Quale autem hoc commodum sit, docent sequentia, ut nempe *spargant semina, quae ferant iustitiam.* LXX. de negotiis agriculturae nil scire volunt. Vertunt enim in priori membro: δεδιδαγμένη ἀγαπᾶν νεῖκος, i. e. contentionem, et in altero: ἐπιβιβῶ Ἐφραίμ, παρασιωπήσομαι Ἰούδαν, ἐνισχύσει αὐτῷ Ἰακώβ, *reticebo Iudam, corroborabitur sibi Iacob.* Chald. beneficiorum a Deo Iudaeis collatorum recensionem in hoc nostro commate quaerit. Simili modo Eichhorn. Alii contra nil nisi poenas divinas, nimirum proximum exilium et servitutem indicari volunt, cf. Lutherus.

12. *Quodsi graviore studio praeparati eritis laborando, arando, occando, curatote ne frustra ea omnia facta sint, sed, quod Iacobus sibi*, לוֹ, *occavit, id se-*

X, 12.

dulo colitote, ut bonos fructus ferat; illud לִי igitur gravissimi momenti mihi esse videtur, nam illustrat transitum ad novam imaginem. Quamvis imagines vere tam laxe cohaereant, ut vates repente a laboribus boum ad labores hominum prosiliat, permanet tamen in agricultura, modum, quo cives ad meliorem frugem redeant, metaphora ex illa depromta pingens. זִרְעוּ לָכֶם: *spargite vobis semina* לִצְדָקָה: *ad iustitiam* i. e. *quae ferant probitatem.* צְדָקָה et צֶדֶק: *quod iustum, verum est,* ordini, consilio et legi suae consentaneum, a צָדַק, Arab. صدق *rigidum esse*, quod non flecti potest nec remitti. Hinc potissimum de iudice qui non declinat a lege, de statera quae in aequilibrio pendet Lev. 19, 36., de sacrificiis quae secundum legem offeruntur Deut. 33, 19., de pluvia quae quantum satis est arvis effunditur Ioel. 2, 23., de felicitate quae digno contingit Ies. 45, 8. 24. 46, 13. 51, 5. Ier. 33, 16. Ps. 132, 9. Eodem modo orta est significatio *innocentiae, virtutis, non fucatae probitatis, verae pietatis,* quae quidem semper in accurate observanda divina lege cernitur. Sic h. l. et Ez. 3, 20. 18, 26. Ps. 7, 9. 18, 21. Prov. 12, 28. 16, 9. cet. Praep. לְ non redundat, nam iustitia h. l. non pingitur quasi semen, sed quasi *fructus operum et molestiarum ex Dei voluntate subeundarum.* Nec potest esse, ut Schmidtio placuit: *secundum normam et regulam iustitiae in SSa comprehensam*, nec, ut Drusius vult: *largiter et copiose ut fas est:* nam ita non responderet alteri membro huic parallelo. LXX. bene εἰς δικαιοσύνην. קִצְרוּ scil. לָכֶם *metite, colligite vobis fructus.* לְפִי־חֶסֶד: *ad pietatem et benignitatem* (utrumque enim significat חֶסֶד, cf. 4, 1. 6, 4.) i. e. ut in dies promtiores et paratiores evadatis ad pietatem benignitatemque exhibendam. לְפִי pro sola praepositione לְ ponitur, ut Ex. 12, 4. Num. 9, 17. LXX. legisse videntur לִפְרִי חַיִּים, vertunt enim εἰς καρπὸν ζωῆς. Male vertunt, qui זִרְעוּ לָכֶם לִצְדָקָה *sementem iustitiae,* קִצְרוּ לְפִי־חֶסֶד *messem benevolentiae divinae* indicare putant. Membra sunt parallela, exhortationem continentia, ut in omnibus laboribus, seminando, metendo,

recolendo terram; nil spectent nisi צְדָקָה et חֶסֶד. Nam de alio fructu sermo non est, quod postrema versus nostri verba clarissime docent, ubi vates illud unum praemium a Iehova quaerendum affert, *ut iis* צֶדֶק *probitatem instillet.* Eichhorn adeo novi quid in textum infert, ut scil. sit repetitio pristinarum legum divinarum: „Säet — sprach ich — Gutes, so erntet ihr auch Gutes, brecht euren wilden Acker auf; denn noch ist's Zeit Jehova aufzusuchen, damit er kommt und Segen auf euch träufelt."

Quae sequuntur נִירוּ לָכֶם נִיר: *novum agrum vobis colitote*, innuere mihi videntur assiduitatem laboris, cui incumbere debeant in emendando animo: *ne quiescitote neve contenti estote si quem pietatis fructum tuleritis, sed ut agricola agro culto non contentus incultam humum nova exercitatione temperat, ita vos rudem animum in dies magis exercitote ad bene faciendum.* Hanc esse verbi נִיר significationem e Ier. 4, 3. apparet. Hieron. vertit: *novellate vobis novale*, quae apud Latinos tantum de vineis dicuntur. LXX.: φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως. Est enim alia significatio vocis נִיר s. נֵר: *lucerna.* — Perseverat vates in metaphora. Nam addit: וְעֵת: *tunc demum, si ita agrum praeparaveritis, tempus erit Iehovam invocandi*, לִדְרוֹשׁ אֶת־יְהוָֹה: *quaerendi eum precibus*, cf. Ies. 55, 6. 7. Am. 5, 6. Ps. 9, 11. 14, 2. עַד־יָבוֹא: *donec veniat* i. e. *ut tandem veniat*, וְיֹרֶה צֶדֶק לָכֶם: *et depluat* s. *iniiciat vobis iustitiam, quemadmodum pluvia effundit ubertatem campis. Nisi enim sic assidui in studio mores vestros emendandi fueritis, pietas vestra semper incerta manebit, nec Dei auxilium ad vestram in melius restitutionem sperare poteritis.* צֶדֶק i. q. צְדָקָה, vid. supra. Plures interpretes posterius comma respectu non habito copulae ו ita intelligunt quasi nunc omni metaphora remota initium sit novae orationis: *tempus est, ut Iehovam serio adeatis, ut veniat et ipse vos doceat iustitiam*, cf. Dathe ad h. l., item Hieronymus. LXX.: ἕως τοῦ ἐλθεῖν γεννήματα δικαιοσύνης, accommodatius sensui quam verbis.

X, 13.

13. Sed redit vates iterum ad mores suorum perversos, de quibus antea locutus erat. *Nondum enim tempus illud adest, hucusque enim coluistis quidem, non autem agrum ad bonos fructus ferendum,* immo חֲרַשְׁתֶּם רֶשַׁע: *coluistis impietatem.* חָרַשׁ pr. est: *tractare, elaborare,* quod, si de metallis et lignis adhibetur, est: *fabricari, machinari,* de agro: *colere,* et quoniam primarium negotium agriculturae est *arare,* id ipsum significat. Hoc l. sibi vindicat primariam significationem. Nam *impietatem arare,* quid hoc sibi vult? Quod sententes interpretes explicant vel: *improbitatem seminastis,* ut Dathe, vel: *improbitatem arando intulistis* — ihr ackert ein, — alterum ex arbitrio alterum artificiosius. עַוְלָתָה קְצַרְתֶּם: *scelera metitis.* Sens.: *studiosi estis impietatum, ita magis magisque vobis inhaerent.* אֲכַלְתֶּם פְּרִי־כַחַשׁ: *vescimini fructibus mendacii* i. e. *fructibus qui spem vestram fallent,* cf. 9, 2. Simili modo שֶׁקֶר Ps. 7, 15. Qui enim spem ponit in rebus malitia et sceleribus acquisitis, is pessime decipietur, cf. Ps. 1, 4—6. 12, 10. Iob. 15, 20—33. Hieron.: *comedetis frugem mendacii, et in cunctis, quae proposuistis, spes vos vana decepit.*

Sequitur nunc in quanam re spem posuerint, et quomodo fraudem experturi sint. Unde nonnulli interpretes v. c. Dathe, Kuinoel, Eichhorn al. hic novi versus initium quaerunt, mutatâ lectione vulgari בְדַרְכְּךָ in בְּרִכְבְּךָ, innisi auctoritate LXX. qui secundum Cod. Alexandr. et ap. Hieronymum vertunt: ἐν τοῖς ἅρμασί σου. Sed Cod. Vatican. habet ἐν τοῖς ἁμαρτήμασί σου, praeterea saepius iam vidimus, quam incerta eorum auctoritas sit. Subsistamus in lectione vulgari a Syro, Chald. Hieron. exhibitâ et intelligamus voce בְדַרְכְּךָ: *perversos mores Israelitarum,* uti 12, 3. Ies. 57, 10. Ier. 2, 23. 33. 1 Reg. 15, 34. 2 Reg. 16, 3. i. q. עֵצָה v. 6. Melius etiam legere videntur nonnulli codd. ap. de Rossium בדרכיך: *in viis tuis.* Sens.: *Fisus es perversae tuae idololatriae, idola tibi auxilium latura esse somnians.*

Pertinet hoc ad falsa promissa, quibus prophetae deceptum populum tenebant 9, 8. cf. 8, 5. al. בְּרֹב גִּבּוֹרֶיךָ: *multitudini heroum.* גִּבּוֹר a גָּבַר, quemadmodum גֶּבֶר: *fortis, fortis vir, heros,* cf. Ios. 1, 14. Cant. 3, 7. 4, 4. כִּי non causam praecedentis perversitatis, sed quod eam secuturum sit indicans: *si quidem.* Cohaerere autem haec posteriora verba cum sequentibus v. 14. mutatum genus e 2. pluralis in 2. singularis significat.

14. וְקָאם שָׁאוֹן בְּעַמֶּיךָ: *sed oriatur,* i. q. *fac existere tumultum,* praeteritum significatione concessiva ut 4, 10. 18. Describit rem futuram quasi iam ortam. קָאם habet א epentheticum pro קָם, cf. Rosenm. ad h. l. שָׁאוֹן: *tumultus,* ut Hieronymus monet: *sonus et fremitus ululantis exercitus,* cf. Am. 2, 2. Ier. 25, 31. בְּעַמֶּיךָ i. e. *in tribubus tuis.* Pluralis pro singulari, uti Lev. 21, 1. 4. 14. cet. Non igitur opus est variante lectione בְּעַמְּךָ, quam Kuinoel et alii e veteribus versionibus enuclearunt. וְכָל־מִבְצָרֶיךָ יוּשַּׁד: *et multitudo munitionum tuarum devastabitur.* Singularis verbi pertinet ad כָּל, nec iterum opus est variante lectione מִבְצָרְךָ a de Rossio inventa et commendata. כְּשֹׁד: *secundum vastare,* i. q. כַּאֲשֶׁר שָׁדַד: *quemadmodum vastavit.* שַׁלְמַן nomen corruptum Salmanasseris. Solent sacri scriptores in nominibus propriis priorem et posteriorem partem omissis reliquis ponere, cf. Glass. Phil. S. p. 680. 81. idque potissimum in compositis, quorum est nomen שַׁלְמַן־אֶסֶר, cf. ingeniosam et probabilem coniecturam Gesenii in Lex. ad h. v., e Persico Scherman-Aser, ortum esse: *plenus sanctae reverentiae ignis.* Similium corruptionum exempla Liveleius etiam e Graecis et Latinis scriptoribus attulit. בֵּית אַרְבֵאל fortasse illud oppidum Galilaeae in superiori parte tribus Naphthali, quod 1 Macc. 9, 2. et Ioseph. antiquitt. 12, 18. Ἄρβηλα vocatur. Certe finibus Assyriae proximum erat pugnae aptum, siquidem e Iosepho l. c. videmus Bacchidem, quem Demetrius Soter rex Syriae ad oppugnandos Iudaeos miserat, castra ibi posuisse. Gesenius in Lex.

X, 14.
ad v. בֵּית intelligi censet aliud oppidum Assyriae eiusdem nominis, inter Lycum et Tigridem situm, ingenti clade ab Alexandro Magno Dario regi illata notissimum. Verum non est, quod ad locum remotum eumque barbarum abeamus, cum habeamus vati nostro et orationis sensu et patria propinquiorem. In sacris libris praeterea non occurrit, nec propter inopiam monumentorum historicorum aliquid certi de eo definiri potest. Veritati proxima videtur sententia reputantium h. l. indicari aliquod gestum belli illius Assyriaci, de quo brevissime agatur 2 Reg. 17, 3. quodque Hoseas suo more levissimis lineolis tetigerit. Huius oppidi muniti exemplo vates, qualis vastatio immineat imperio, describit. Verum longe aliud quid habent LXX.: ὡς ἄρχων Σαλαμὰν ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ Ἱεροβοὰμ (pro quo quidem exhibuisse videntur secundum Hieronymum et magis convenienter textui: Ἱεροβαὰλ) ἐν ἡμέραις πολέμου μητέρα ἐπὶ τέκνοις ἠδάφισαν, et Hieron.: *sicut vastatus est Salmana a domo eius qui vindicavit Baal.* Verum utraque versio rem et lectionem textus vel incertiorem reddit. Hieron. quidem ita disserit: *Omnes tuae munitiones devastabuntur, quomodo vastatus est et contritus Salmana* (Zalmuna princeps Midianitarum Iud. 8, 5. cet.) *a Gideone, qui destruxit fanum Baalis lucumque succîdit, et ille se vindicare non potuit, unde Ierobaal cognominatus est,* i. e. *ulciscatur se Baal* Iud. 7, 1. Quod autem addit legi *in libro Iudicum verba Gideonis ad principem Midian: quomodo absque liberis fecit gladius tuus multas matres, ita sine filiis erit inter mulieres mater tua,* de eo in libro Iudd. nil legitur. Sunt autem verba Samuelis ad Agagum regem Amalekitarum. Chald. utrumque nomen proprium pro appellativo sumsit, prius a שָׁלֵם alterum ab אָרַב derivans, ita: *omnes munitiones tuae depraedabuntur, sicut depraedatur pacificus per insidias tempore belli. Mater super filios occisa est.* Kimchi adfert expositionem patris specie probabilitatis non destitutam quid quod usui vatis symbolica nomina exhibendi maxime convenientem: שַׁלְמַן *esse Salmanasserem* et בֵּית אַרְבֵאל *Samariam, domum, cui insidiatus sit Deus, et quam ob iniquitatem suam ceperit.* Plura alia artificia ad expediendum locum sem-

per obscurum vid. ap. Rosenmuellerum ad h. l. אֵם עַל־בָּנִים רֻטָּשָׁה, deest relativum אֲשֶׁר בּוֹ: *ubi mater super liberis collisa est.* Similis descriptio crudelitatis bellicae vid. 14, 1. cf. Ps. 137, 9. Ies. 13, 16. Am. 1, 13.

15. Finit vates iterum ut 9, 17. loco communi, paucis vanitatem fiduciae designans quae et vitulis cultis v. 5 — 7. et falsis prophetis auditis 9, 8. et perversis consiliis captis v. 6. 13. et heroibus in auxilium vocatis v. 13. eos deceptura sit. עָשָׂה לָכֶם: *faciet vobis;* quod v. 3. bono sensu legimus, nunc malo habemus, cf. Gen. 22, 12. 27, 45. Exod. 14, 11. Ps. 56, 5. בֵּית־אֵל locus ille idololatriae a Ierobeamo sacratus, qui alias nomine *Bethaven* apud vatem nostrum occurrit. Est metonymia loci pro gestis in loco. Sens.: *Sic vos remuneratur flagitiosus ille cultus, quem Bethele exercetis.* Eodem modo Hieron. et Chaldaeus. LXX. iterum alio modo vertunt: *οὕτως ποιήσω ὑμῖν οἶκος τοῦ Ἰσραήλ.* Schmidt ita: *sic vobis facit,* scil. *Salman, o Bethelitae* מִפְּנֵי רָעַת רָעַתְכֶם: *propter extremam malitiam vestram.* Repetitio eiusdem nominis auget gravitatem significationis, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 671. בַּשַּׁחַר i. q. כַּשַּׁחַר, quod exhibuit Hieronymus, et quod plerique Codd. ap. de Rossium et Kennicott. habent. כ et ב in libris sacris saepissime propter similitudinem permutantur. Glass. Phil. S. p. 564. Ita aptissimum est expositioni vatis. Sed apud Glass. Phil. S. p. 1052. cf. Dathe ad h. l. verba non bene ita explicantur: *in ipsis regni sui initiis.* cf. Eichhorn: Nam post octo, vel secundum 2 Reg. 15, 30. demum post sedecim annos imperii rex Hoseas de quo h. l. sermonem esse fere omnes consentiunt, in captivitatem abductus est. Qui propriae significationi vocis בַּשַּׁחַר inhaerent, melius vertunt: *tempore pacis allucescente,* uti Ies. 8, 20. Tum sensus esset: *affulgentibus melioribus temporibus propter societatem cum rege Assyriae exspectatis et magno pretio emtis.* Iuxta nostram sententiam *ceu aurora* est i. q. *tam cito ut aurora transit,* vid. similem imaginem 6, 4. נִדְמֹה נִדְמָה מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל: *interibit rex,* scil. Hoseas ultimus Israeli-

tarum. Indicat igitur vates propter perversitatem Israelitarum id accuratissime eventu comprobatum iri, de quo v. 3. eiulaverant: se regem non habere. Ceterum LXX. et Hieron. a verbo בַּשַּׁחַר novum caput incipiunt. Hieronymus autem hoc vaticinium vatis: *sicut mane transiit, pertransit rex Israel: quia puer Israel et dilexi eum*, in bonam partem sumsisse videtur, quasi initium melioris aevi. Ita enim disserit: *Sicut enim ortus aurorae et diluculum et principium diei, quod appellatur mane inter noctis solisque viciniam transit celeriter, ita ut finiatur nox et clarescat dies, sic rex Israel* i. e. *decem tribuum velociter transibit. Transire enim haereticos instar diluculi et regem eorum diabolum vel haeresiarcham intelligimus.*

XVI.

Cap. XI, 1—11.

Dum Israel puer erat et amavi eum et ex Aegypto arcessivi filium meum. 2. A quibus autem vocabantur, ab iis animum avertebant. Sacrificia ferebant Baalibus et suffimenta accendebant idolis. 3. Pedes Ephraimo movi, illosque super brachiis meis prehendi. Verum non intelligebant, me eorum infirmitati mederi. 4. Funibus humanis eos traxi, funibus amoris. Tanta cura eos amplexus sum quasi qui iugum maxillis eorum impositum allevarem. Coelitus demisi ad eos escam. 5. Non redierunt quidem in terram Aegyptiacam, sed nunc Assur eorum rebus potitus est, quoniam redire ad meliorem frugem noluerunt. 6. Propter tam perversa eorum consilia ensis per Ephraimi urbes grassatus abstulit vectes portarum, immo illas

consumsit. 7. Nihilominus gens mea inhaeret defectui a me. Quamquam coelitus vocatur, tamen sese uno animo non effert. Quomodo te tractem Ephraim? Utrum clypeo te tuear Israel? an te tractem sicut Adama, parique modo te prostituam ut Zeboim? Animus meus intime movetur, unâ exardescunt benevolentiae meae scintillae. 9. Non emittam furorem indignationis meae, non revertar ad perdendum Ephraimum. Nam Deus sum, non homo; sanctus tibi semper propitius. Non quidem in tua oppida ingrediar. 10. Sequantur modo Iehovam, qui ut leo rugit; quo rugiente trepidabunt incolae orientis, 11. trepidabunt velut avis, qui sunt e terra Aegyptiaca, velut columba, qui sunt e terra Assyriaca. — At secure illos habitare faciam in suis domiciliis, inquit Iehova.

Gratior, mitiorque fluit huius vaticinii oratio tantis difficultatibus haud obstructa quantis praecedens et sequens. Directa videtur ad meliores cives depravationem populi sentientes deque salute desperantes. Quos consolari studet et memoria praeteritorum temporum, et exhortatione, ut tandem Deo semper ad sanandum et restituendum populum parato se advertant. Iterum exhibita videtur tempore Hoseae ultimi regis, cf. introd. pag. 88.

1. In memoriam revocat vates pristina tempora, ipsa initia rerum Israeliticarum, non ita ut laudet eorum atavos, quemadmodum 9, 10., sed ut designet vestigia favoris divini, quibus repleta sit antiquissima posterorum Iacobi historia. Notio causalitatis, quae particulae כִּי tribuitur, h. l. optime ita vindicari potest: *amavi Israelem quia puer erat, nondum depravatus*

XI, 1. 2.
malis moribus et nondum praeceptorum meorum impatiens. Omnes imagines desumtae sunt a patre filium dum sui adhuc impotens est amante, cf. Tremellius et Clarius ad h. l. Itaque כִּי h. l. ut 7, 6. vertatur: *dum.* Respicit vates tempus commorationis in Aegypto, ubi populus primam iuventutem degisse fingitur Ez. 23, 3. coll. uberiore descriptione infantiae Ez. 16, 4 — 7. מִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי: *ex Aegypto arcessivi filium meum* i. e. *populum, quem meum esse ex omnibus terrae nationibus legeram*, cf. Ies. 42, 1. 43, 1. 44, 1. 2. Exod. 4, 22. 23. Deut. 4, 37. 10, 15. קָרָא cum praep. לְ indicat: *ad se vocare, arcessere*, Lev. 9, 1. Esth. 5, 12. In N. T. Matthaeus 2, 15. hoc loco quasi typo de Christo usus est e textu Hebraico, verum non ut bonus interpres: ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου pro τῷ υἱῷ μου. Interpretes his verbis vaticinium de Christo exhibitum scrutati, ac si Christus in lumbis illorum patrum Iacobiticorum vocatus esset, invenerunt lumbos Nahossonis, in quibus mundi redemtor tunc temporis cum reliquo populo ex Aegypto exivisset. Matth. 1, 4. Num. 1, 7. cf. Guertler in Theol. prophet. p. 380. Revera vates dicere vult: *ex Aegypto ad me vocavi filium meum, ut meus esset, mihi semper amore filii in terra a me promissa, ubi non aliis nisi meis legibus subiectum volui, deditus.* Hieronymus bene de ea re ita disserit: *superest ut illud dicamus, quod ea, quae τυπικῶς praecedunt in aliis, iuxta veritatem et adimpletionem referantur ad Christum. Quod enim scriptum est: populus Israel, et dilexi eum, ex Aegypto vocavi filium meum, dicitur quidem de populo Israel, sed perfecte refertur ad Christum. Qui ex parte typi fuerunt domini salvatoris, non omnia, quae fecisse narrantur, in typo eius fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat. Quodsi totum praecedat in typo, iam non typus sed historiae veritas appellanda est.* LXX. iterum male: ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ.

2. Versus iste quasi parenthesin facit, nam interrumpit orationem de benevolentia Dei erga Israelem puerum vituperatione huius pueri. *Vocati non ad Deum accedebant, sed iam in deserto impium simulacrorum*

cultum amplexi sunt. קָרְאוּ לָהֶם. Supplenda est copula כ, scil. כְּקָרְאוּ. *Quemadmodum iis* scil. meo nomine *vocarunt*, i. e. *eos ad me invitarunt.* Subiectum nomine Dei Israelitas arcessens facile intelligi potest: *prophetae a Deo missi.* כֵּן הָלְכוּ מִפְּנֵיהֶם: *ita ab iis abierunt.* Integra oratio כ — כֵּן: *quemadmodum — ita* occurrit 4, 7., alias modo כ modo כֵּן deest, cf. introduct. p. 102. In versione Latina vatis sententiam ope relativi simplicissimo modo ita exhibendam putavi: *a quibus vocabantur, ab iis animum avertebant.* הָלְכוּ מִפְּנֵיהֶם: *deseruerunt eos, ab iis defecerunt*, uti Ier. 7, 24. יִהְיוּ לֹא לְפָנִים. Nomine פְּנֵי redundante sensus idem est ac si legatur מֵהֶם, cf. מִפְּנֵי eadem significatione Num. 20, 6. Ier. 41, 18. Ps. 3, 1. Vates praepositionem מִן in huiusmodi compositionibus amat, cf. 1, 2. 4, 2. 9, 1. Res plana est et simplicissima, nec est quod confugiamus ad variantem lectionem לִפְנֵיהֶם: *coram facie eorum*, quam de Rossi adfert, nec ad mutationem textus ex auctoritate LXX. quam I. D. Michaelis probat in Oriental. Bibl. Tom. 19. p. 188. מִפְּנֵי הֵם: καθὼς μετεκάλεσα αὐτούς, οὕτως ἀπῴχοντο ἐκ προσώπου μου. αὐτοὶ τοῖς Βααλεὶμ ἔθυον. Magis etiam recedit Eichhorn a simplicitate orationis deastros immiscens: „Sobald es Götter riefen, verliess es meine Seite.“ לַבְּעָלִים יְזַבֵּחוּ: *Baalibus sacra faciebant.* De Baale iam inde a deserto variis nominibus ab Abrahami posteris culto vid. 2, 10. cf. Ps. 106, 28—38.

3. Redit nunc vates ad descriptionem divini amoris erga hanc gentem, maxime ineunte eius aetate. תִּרְגַּלְתִּי לְאֶפְרַיִם. Verbum formatum e substantivo רֶגֶל, Aramaea formatione, secundum Gesen. ad h. v., vel Arabica, secundum Michaelem ad h. l. Pari modo formatur אֲמַגֶּנְךָ v. 8. Cum in altero membro dicatur Deus super brachiis prehendisse Ephraimum, si vires eum defecissent, qui mos est patribus vires infantium exercituris, illud nostrum verbum de eadem paterna exerci-

XI, 3.
tatione interpretandum esse videtur, nimirum *pedes eorum direxi, ut ire discerent.* Germ.: „gängeln." Ita respondet significationi coniugationis Hiphil a verbo usitato רָגַל: *circumgredi*, Hiph.: *circumgredi facere* Ios. 14, 7. 2 Sam. 10, 3. Gen. 42, 9. Fortasse etiam antiquitus scriptum fuit הִרְגַּלְתִּי. Construitur autem cum ל personae. Nam accus. ap. rad. רָגַל indicat locum, ubi circumgrediuntur, vel quem circumeundo explorant. Lutherus: „auf die Füsse helfen, gleich wie die kleinen Kinder bei der Hand geleitet werden auf dass sie lernen die Füsse setzen und gehen." LXX.: συνεπόδισα, *complicavi, colligavi.* Videntur inconsiderate verbo Hebraico a רֶגֶל derivato verbum Graecum a ποῦς derivatum substituisse. Hieron. eorum partes egit ita: *illis immolantibus Baalim et me vocante fugientibus a facie mea, ego clementissimus dominus ligabam pedes Ephraim, ne a me longius fugerent.* Ipse autem locum non e verbis sed ex historia illustrat: *Narrat Deus, quo Israel amore dilexerit Deut. 1, 31. 32, 11. Ego, inquit, qui pater eram, nutricius factus sum et parvulum meum in ulnis ita portabam, ne laederetur in solitudine.* Itaque vertit: *ego quasi nutricius Ephraim.* Verbum igitur תִּרְגַּלְתִּי pro nomine habuisse videtur ad formam תִּפְאֶרֶת, ut quidam Hebraei, vid. ap. Kimchium ad h. l. In quam alienas partes abierint interpretes vid. ap. Rosenm. ad h. l.

קָחָם עַל־זְרוֹעֹתָיו: Difficilia verba! קָחָם procul dubio est infinitivus constructus ad formam verborum פן confectus (cf. Gesen. Lehrgeb. p. 356.) cuius usum, quamquam h. l. statum infinitivi absolutum exspectavissemus, tamen aliorum similium verborum exempla (vid. ibid. p. 784.) excusant, eodem modo ut Ez. 17, 5. Quae nostrum verbum explicandi ratio optime convenit et versioni et lectioni antiquissimorum interpretum. Soluto enim infinitivo, *prehendendo*, in primam praeteriti personam lectio antiqua זְרוֹעֹתַי prorsus suo loco est. Vertunt igitur LXX.: ἀνέλαβον αὐτὸν ἐπὶ τὸν βραχίονά μου, Hieron.: *portabam eos super brachiis meis*, eodem mo-

do Syrus, ad quos accedunt codd. a de Rossio commemorati. Verum Hebraei infinitivo offensi et קָחָם e modo orationis grammaticis probatiori tertiam praet. esse autumantes vocem זְרוֹעֹתַי in זְרוֹעֹתָיו mutandam esse apte censuerunt. Hinc, opinor, lectio nostra originem duxit, quam nonnulli recentiorum consuetudine vatis ab altera ad alteram personam transiliendi defenderunt, ita vertentes: *immo* (Deus qui antea in prima persona de se locutus erat) *prehendit eos super brachiis suis*, v. c. Piscator ap. Tarnovium ad h. l. cf. Ewald kritische Grammatik der Hebr. Sprache pag. 461. Cum autem h. l. saltus nimium vehemens esset et omnis elegantiae expers, vel etiam duplex, nam suffixo quoque ־ָם mutatur singularis אֶפְרַיִם in pluralem, Dathe, Boeckel, Eichhorn aliique interpretes antiquissimam lectionem restituere maluerunt קָחָם עַל־זְרוֹעֹתָי, quo nil melius fieri posse censeo. Sens. est: *pedes eius ita direxi, ut super brachiis meis viribus exhaustos susciperem.* Sunt qui קָחָם infinitivum vel participium loco primae praet. positum esse statuant, nihilominus autem lectionem זְרוֹעֹתָיו servare malint. Ii sic verba expediunt: *prehendi Ephraimum brachiis suis*, v. c. Kuinoel, verum prorsus repugnante praepositione עַל. Quamquam enim significat: *ad, apud*, adeoque solum dativum, tamen semper hoc ita fit, ut primaria significatio *super* emergat. Hoc autem l. si ad liberos referretur, significatio esset plane contraria, nimirum: *subter*, nam infantium brachia non *superne* sed *infra* prehenduntur a patribus eos in ambulando levaturis. Alii vel particulam comparativam כ supplent, ita: *ac si quis suscepisset eos super brachia sua* (cf. Schmidt: *Videtur*, inquit, *esse comparativa locutio, in qua se Deus comparat cum viro, qui paterne ducat puerum adeo aegre incedentem, ut etiam super brachia sua eum suscipiat*), vel ut Tremellius Ephraimum orationis subiectum esse putant, ita: *suscepit Ephraim idola super brachia sua.* Chald. suffixum prorsus omisit: *portavi eos quasi super brachiis.*

וְלֹא יָדְעוּ כִּי רְפָאתִים: *sed illi non agnoscebant, me eos sanasse.* Vel enim contumaciter recusabant, quae

XI, 3. 4.
coram oculis eorum erant, cf. 2, 10. Ies. 1, 3., vel erant stolidi, quos mens deficeret 7, 11. *Sanare* omnino indicat: *auxilium alicui ferre in infirmitatibus corporis*, a nomine רָפָא: *infirmus*, *aeger* Ps. 60, 4. Ies. 57, 18. De restitutione pristini status sermo esse non potest, quia tantum de initiis rerum Israeliticarum agitur. Verti igitur debet: *non intelligebant me eorum infirmitati mederi.* Hoc posterius comma parallelismum exhibet versus secundi et pari ratione ut ille in parenthesi ponendum est.

4. Descriptio amoris divini nunc continuatur iterum metaphorice, imagine de infantibus sumta. בְּחַבְלֵי אָדָם: *funibus humanis* i. e. non uti bestiae aguntur, sed uti infantes ingenuornm hominum ducuntur. Herder (Geist der Hebr. Poës. Tom. II, p. 73. edit. Iusti): „I c h g ä n g e l t e a m L e i t b a n d i h n , m i t K i n d e s b a n d e n l e i t e t e i c h s i e." Similis locutio 2 Sam. 7, 14. אֶמְשְׁכֵם: *traxi* i. e. *duxi eos*. Chald.: *tractu filiorum dilectorum traxi eos*. Hieron.: *in funiculis Adam traham eos*, quod ita explicat: *funiculis, quibus Abraham, Isaac et Iacob mihi adstrinxeram.* LXX.: ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων ἐξέτεινα αὐτοὺς, ἐν δεσμοῖς ἀγαπήσεώς μου. בַּעֲבֹתוֹת אַהֲבָה: *funiculis amoris.* His verbis inest amplificatio priorum: *funibus humanis.* Sens.: *amor meus vinculum erat, quo illos per omnes angustias et per omnia pericula ducerem.*

וָאֶהְיֶה לָהֶם כִּמְרִימֵי עֹל עַל לְחֵיהֶם. Sens.: *levavi iis iugum a me praeceptis meis paternis iis impositum, quemadmodum agricolae manibus attollunt iugum, ubi vident iuvencum onere eius in labore gravari.* Pro plurali Chald. Syr. Hieron. habent singularem כְּמֵרִים: *quasi exaltans*, item LXX. quamquam plane alio sensu. Elegans et subtilis est forma orationis. Cum enim vates de sorte infantium imaginem petierit, non addit, ut minus accurate potuisset, *levavi iis iugum super maxillis eorum*, quae de bobus valuissent, sed: *fui erga eos, meos liberos, ita mitis, ut agricolae, qui iuvencae amatae iugum imponere coacti*

id sedulo manibus levant, ne collum tenerum laedatur. Quae verbis aliquantum a textu recedentibus concinnitatis causa in versione ita exhibui: *tanta cura eos amplexus sum, quasi qui iugum maxillis eorum impositum allevarem.* Iugum autem sibi esse impositum, quamquam liberi ab exosa servitute Aegyptiaca, per desertum migrantes nihilominus inter molestias itineris senserunt. Ideo iterum iterumque contra Deum murmurarunt Exod. 15, 24. 17, 3. 16, 2. 3. Num. 11, 4—16. Praeterea nexus orationis docet h. l. de iugo Aegyptiaco cogitari non posse; id enim Deus prorsus ab iis absterserat. Sermo est de rebus post exitum ex Aegypto gestis, unde ad Iehovam vocati erant vid. v. 1. Tunc Deus ut bonus pater educando, castigando, leges ferendo, ad incommoda adsuefaciendo iis quidem onus molestiarum et obseqnii imposuit, sed idem iis levavit. Porro velut bonus pater erga infantes se Deus praestitit cibum porrigendo. וְאַט אֵלָיו אוֹכִיל׃ *declinavi ad eum cibum,* Exod. 16, 12—15. 17, 6. Verbum נָטָה in Kal et Hiph. saepius habet significationem activam: *declinare* Ps. 17, 6. 119, 36. 112. Gen. 24, 14. Ier. 7, 24. 62. Notanda est iterum mutatio pronominis pluralis in singularem אֵלָיו. אַט apocop. fut. Hiph. e contracto אַטֶּה pro אַנְטֶה, אַנְטִיה. *Demisi iis,* nimirum *coelitus,* אוֹכִיל׃ *cibum,* ut foemininum אֲכִילָה 1 Reg. 19, 8. et אֹכֶל Gen. 41, 35. 42, 7. 10. Multiplicibus formis hoc substantivum a rad. אָכַל formatur, vid. Buxtorf. in Lex. ad h. v. Ita inter antiquos Chald. Syrus, Symmachus ap. Hieron. et plures recentiorum, Lutherus, Drusius, Kuinoel. Reliqui admodum differunt in constituenda significatione vocis אוֹכִיל. Sic v. c. putant esse futurum Hiphil constructione asyndeta (ut 5, 11.): *leniter me demittens ad eum, cibavi eum,* cf. Gusset, Rosenmueller et Eichhorn; nec alio modo Hieron.: *declinavi me ad eum, ut vesceretur.* Lud. de Dieu poenam praedici putat, verbum nostrum secundum cognatas formas יוֹסִף Ies. 29, 14. et תּוֹמִיךְ Ps. 16, 5. participium Kal esse autumans: *inclinabo ad eos comestorem,* cf. Michael. ad h. l. Alii denique LXX. secuti deducunt a יָכֹל׃

XI, 4. 5.

potuit, sustinuit. Legunt autem אוּכַל ut sensus sit: *inclinabo me respiciens ad ipsum, ut eum sustineam,* s. e significatione prorsus contraria: *ut ei praevaleam, eum vincam* 12, 5. Gen. 32, 26. LXX. posteriorem partem versus nostri ita vertunt: καὶ ἔσομαι αὐτοῖς ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπος ἐπὶ τὰς σιαγόνας αὐτοῦ. καὶ ἐπιβλέψομαι πρὸς αὐτὸν, δυνήσομαι αὐτῷ, i. e. secundum Hieron.: *ero iis quasi dans alapas homo super maxillas eius et respiciam ad eum praevalens ei.* In qua versione id memoratu dignissimum est quod initio sequentis versus legerunt לוֹ pro לֹא idque addiderunt huic nostro. Ita sane multum caliginis evanesceret e versu sequenti, nam illud לֹא interpretes torquet. Verum quamquam Dathe ea de causa lectionem LXX. in textum recipere non dubitavit et Boeckel cum Eichhornio eum secutus est, tamen quomodo difficilis adeo ac plerisque obscura lectio לֹא e facillima לוֹ orta sit, non facile intelligitur. Nullus denique codd. lectionem לוֹ habet. Plures contra codd. legunt אוֹבִיל: *reducam,* v. de Rossium ad h. l. Quae quidem lectio, ubi pronomen quoque deest, sensum plane alienum, *reductionis,* infert.

5. Difficultas huius versus e sententioso vatis loquendi modo nascitur. Quae enim in animo habuit, levibus modo lineolis designare solitus est. Nostrum autem est sententiam verborum ex ingenio vatis eruere. Iam in eo erat, ut fata posterorum Isaaci in deserto describeret. Senserunt isti iugum periculosissimae migrationis, murmurarunt contra Iehovam et a Mose reditum ad ollas carnium Aegypti extorquere studuerunt Num. 14, 2. 3. cf. 11, 4—6. Exod. 16, 3. 17, 3. Verum benefactis et miraculoso auxilio, praesertim cibo coelitus demisso, iterum iterumque Iehova eorum impatientiae respondit, ita ut animi sedarentur et plurima pars populi in migratione ad terram promissam sedulo perseveraret. Attamen non sufficiebat non rediisse populum in Aegyptum: convertendus erat ad Iehovam. Quod cum noluerit, imperio Assyriorum subiectus est. Paronomasia et inde orta difficultas est in verbo שׁוּב quod adiecta praep. אֶל est: *reverti ad aliquem locum,*

sine additamento: *convertere se ad meliorem frugem* cf. Ies. 1, 27. Ier. 5, 3. 8, 4. 5. 2 Chron. 6, 24. al. Initium igitur huius versus continet descriptionem fatorum gestorumque in deserto. *Saturati miraculosa esca Israelitae quidem non reversi sunt in terram Aegyptiacam.* Quemadmodum autem v. 2. et 3. descriptioni beneficiorum divinorum vates addiderat impietatem populi, sic nunc itidem addit: מֵאֲנוּ לָשׁוּב, commemoratâ simul vel potius praemissâ miseriâ ab ipsis contractâ: וְאַשּׁוּר הוּא מַלְכּוֹ. Itaque sensus posterioris membri aptissimus hic est: *sed nunc Assur ille eorum rex est* i. e. *eorum rebus potitus est quasi vere rex eorum esset, quia reverti ad meliorem frugem recusarunt.* Respicit vates procul dubio illa tempora, ubi imperium usurpans Hoseas, ut auxilio regis Assyriaci frueretur, omnia ex ipsius consilio et arbitrio gesserat cf. introd. p. 88. Haec explicatio verborum nil in textu desiderat, praeter transpositionem accentus gravis Athnach a verbo מַלְכּוֹ ad verbum מִצְרַיִם. Futurum verbi יָשׁוּב est tempus historicum, stricte cohaerens cum futuris versus quarti. cf. Gesen. Lehrgeb. p. 767. Copula וְ est adversativa *sed* et הוּא δεικτικῶς, ut saepius apud nostrum ponitur 9, 10. 12, 2. al. LXX. verbum יָשׁוּב initio versus nostri ponunt. Boeckel idem faciens sic vertit: „er wendet wiederum sich nach Mizraiim." Item Eichhorn: „er soll nun wieder nach Aegyptenland," et de Wette: „ins Land Aegypten sollen sie kehren und der Assyrer König seyn, weil sie nicht wollen sich bekehren." Verum sic diversa componuntur. In Aegypto enim Assyrius eorum rex esse non poterat. Nec unquam Assyrii rebus Aegyptiacis ita potiti sunt, ut vel in Aegyptum profugi illis subditi fuissent, cf. Beckers Weltgesch. Tom. I. p. 31. et 36. LXX. autem quasi textus haberet יֵשֵׁב vertunt: κατῴκησεν Ἐφραὶμ ἐν Αἰγύπτῳ.

Plerique interpretes propriam vim temporis futuri vindicantes, prius comma intelligunt de eventu illo historico 2 Reg. 17, 4. ubi legitur, regem Hoseam misisse in Aeygptum ad auxilium regis So implorandum, quo

XI, 5. 6.

quidem nimium sero venerit, ita: *non revertatur ultra, ut nuper fecit Ephraim, in terram Aegyptiorum ad auxilia petenda.* Sic Hieronymus. Alii contra לֹא esse autumant i. q. הֲלֹא hoc sensu: *nonne in Aegyptum revertetur?* i. e. *utique revertetur!* Alii v. c. Lutherus לֹא vertunt: *ne*, et cum versu 4. ita coniungunt: *Deus demisit iis coelitus escam, ne in Aegyptum revertantur.* Sed omnes fere interpretes לָשׁוּב in posteriore commate de reditu ad Iehovam s. ad meliorem frugem intelligunt.

6. Vates nunc in memoriam revocat clades a rege illo Assyriorum suis illatas. חָלָה 3 foemin. a rad. חוּל: *in gyrum torquere* (secundum analogiam Arabici حَالَ cf. Gesen. ad h. v.), quod plerumque intransitive obvium est (v. c. significatu *parturire*, *dolores parturientis sentire*, deinde: *terrore concuti* Exod. 15, 14. Deut. 2, 25. Ioel. 2, 6.), ponitur saepe etiam transitive, v. c. 2 Sam. 3, 29. Ier. 23, 19. 30, 23. Sic h. l. servata significatione tremoris: *ensis grassatus est, irruit in eorum urbes.* De Wette primam radicis significationem curans apte vertit: „es kreiset das Schwerdt durch ihre Städte." חֶרֶב poetice pro *bello*, ut v. c. Gen. 31, 26. Ies. 1, 20. al. Pronomina Hebraici textus modo singularia modo pluralia prouti vates aut de Ephraimo aut de civibus cogitavit, in versione, ut oratio melius contineretur, paullo liberius reddenda putavi. וְכִלְּתָה בַדָּיו: *consumsit* i. e. *abstulit vectes eorum.* בַּדִּים: *vectes, repagula.* Sic Lutherus, Lackemacher, Michaelis et plures eos secuti. Occurrit Exod. 25, 13. 14. 27, 6. al. de *vectibus, quibus tugurium sanctum portabatur*, sicuti tropice de *validissimis corporis membris* Iob. 18, 13. 41, 4. Hinc optime de repagulis portarum h. l. intelligitur. Sunt enim per synecdochen partis pro toto: *munitiones urbium*, ut in illis locis Iobi: *totum corpus.* Significatio est Chaldaica, a Chaldaeo quoque interprete quamquam tropice prolata: גִּבָּרוֹהִי: *fortes viri.* Quae vocis etymologia, cum h. l. sermo sit de vi furore belli

urbibus illata, commodissimum sensum exhibet. Praeter illam Chaldaei tropicam explicationem alii, v. c. Dathius, vertunt: *mendaces*, a rad. בָּדָא; Hieron.: *electos eius*. Eodem modo Boeckel et Eichhorn. וְאָכְלָה: *devoravit, absumsit*, nimirum urbes, quae initio versus ita commemorantur, ut commodissime in fine suppleri possint. מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם; *prae consiliis eorum* scil. *perversis*, quod nempe noluerunt ad Deum se convertere, fiduciâ et in idolis et in auxiliis barbarorum positâ. Eodem sensu Ps. 5, 11. 81, 13. Prov. 1, 31. Hieron. hoc verbo designari voluit: *capita quae consilia habeant*, ita: *comedet capita eorum, i. e. ut non possint aliquod invenire praesidium: tum plebs miserabilis, quae ad me reverti noluit, sero aget poenitentiam hostibus cuncta vastantibus.* LXX.: καὶ ἠσθένησεν ἐν ῥομφαίᾳ (pro quibus in edit. Plantin. legitur et ab Hieron. vertitur ῥομφαία) ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτοῦ καὶ κατέπαυσεν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ. καὶ φάγονται ἐκ τῶν διαβουλίων αὐτῶν, ut nempe בְּיָדָיו pro בַּדָּיו et אָכְלוּ pro אָכְלָה *legerint*. Eodem modo Syrus in lectione variasse videtur. Ceterum fere omnes interpretes in hoc loco vaticinium quaesiverunt. Verum errasse videntur. Nam inde ab initio huius capitis tantum descriptio status pristini et praesentis Iacobi posterorum, antea beneficiis Dei ornatorum, tunc temporis autem iam miseriis propter immorigerum et impium ipsorum animum oppressorum, exhibetur. Vaticinium tantum sequitur v. 8. idque tam expressis verbis tamque solenni modo nunciatum, ut dubitari non possit inde ab illo versu alteram partem eamque propheticam poematis inchoari. Denique aut vis temporum Hebraeorum omnino nihil valet, aut praeterita huius versus etiam praeteritum tempus designant. Versu 4. et 5. tempore futuro fata populi longius remota per desertum migrantis historice describuntur. Nunc praeterita ob copulam ו cum nudo praeterito מֵאֲנוּ v. 5. coniuncta eventu expleta omnibusque notissima commemorant. Posthaec futura inde a v. 8. suo ordine de futuris temporibus adhibentur. Sic omnia elegantissime cohaerent. Designat vates Dei benignitatem inde a primis quidem temporibus spretam et neglectam. Quae negligentia id

XI, 7.

calamitatis attulit, ut iam Assyrio subiecti gravissimos belli terrores experti sint. Fortasse miseria eos correxit? Minime!

7. Nihilominus populus meus defectui a me inhaeret. תְּלוּאִים uti תְּלוּיִם Ios. 10, 26. et תְּלֻאִים Deut. 28, 66. partic. Pahul a תָּלָה: *infigere ut pendeat*, cf. 2 Sam. 18, 10. Ez. 27, 10. 11. Hinc: *suspendere ligno* Deut. 21, 22. Gen. 40, 19. genus supplicii, quo adficiebantur capitis damnati. Hinc h. l. tropice: *populus meus fixus impendet defectui a me.* Suffixum in מְשׁוּבָתִי passive accipiendum est. תָּלָה autem modo construitur cum praep. בְּ 2 Sam. 18, 10., modo cum praep. עַל Deut. 21, 22., modo cum לְ Deut. 28, 26. Alii vertunt: *penduli sunt, inter dubitationes fluctuant*, quod placeret, nisi adderetur לִמְשׁוּבָתִי. Hoc substantivum semper malo sensu occurrit, vid. 14, 5. Constructio notissima vocis cum praef. מִ, vid. introd. p. 112. Latinorum *avertere*, Graecorum ἀποστρέφειν. וְאֶל־עַל יִקְרָאֻהוּ: *et ad supra vocarunt eum* i. e. *populum meum* (עַמִּי, vid. initium versus) scil. *divinae voluntatis interpretes, prophetae.* Est alia quidem verborum constructio sed eadem significatio quae v. 2. עַל h. l. iterum quemadmodum 7, 16. *sursum, coelitus* i. e. h. l. *ad Iehovam excelsissimum omnium rerum.* Sic sequens comma aptissimam oppositionem efficit. יַחַד לֹא יְרוֹמֵם *uno animo se non effert.* Deficiente copula sensus fervidae orationis ita constituendus esse videtur: *quamquam coelitus vocatur, tamen uno animo sese non effert.* Coniug. Piel יְרוֹמֵם habet h. l. passivam s. intransitivam significationem, nisi vates ipse legi voluerit יְרוֹמַם 3. fut. Püal, quemadmodum Ps. 75, 11. Nehem. 9, 5. Sic Chald.: *non ambulant erecta statura*, Lutherus et alii. Ceterum Lutherus hunc locum difficillimum V. T. esse censuit, verba in margine addens: „Diesen Vers soll niemand verstehen, auch im Hebräischen nicht.“ vid. Tarnov. ad h. l. Qui propriam i. e. activam significationem coniug. Piel vindicare student, supplent

pronomen אִתִּי: *non unà me extollit.* Hieron. pro עַל legit עֹול, ita pessime vertens: *populus pendebit ad reditum meum. Iugum autem imponetur iis, quod non auferetur.* LXX. integrum versum sic vertunt: *καὶ ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐπικρεμάμενος ἐκ τῆς κατοικίας αὐτοῦ, καὶ ὁ θεὸς ἐπὶ τὰ τίμια αὐτοῦ θυμωθήσεται, καὶ οὐ μὴ ὑψώσῃ αὐτόν.* Prorsus a nostro textu declinante lectione pro לִמְשׁוּבָתִי exhibuerunt לִמְשֹׁבָתוֹ, a rad. יָשַׁב, et in altero membro secundum Dathium וְאֵל עַל יְקָרָיו יַחַד וְלֹא יְרִימֵם. Eichhorn nimium frigide sensum quidem, verum non verba poetica reddidit sic: „und ruft man es zu edlerem Benehmen, so wird doch keiner besser."

8. Iam Hoseas vere poetica inversione attingit fata, quae suos mansura sint. Quasi Deum dubium sistit, qua sorte tractandus sit Israel. Meriti sunt quidem, ut punirentur quemadmodum Adama et Zeboim, at intimam eius benignitatem eorum miseret, superat denique misericordia. אֵיךְ אֶתֶּנְךָ: *quomodo dabo te* i. e. *quomodo tractem te? נָתַן Hebraeis saepe denotat aliquem in statu s. bono s. malo constituere Ez. 5, 14. 26, 21. 35, 9.* Schmidt ad h. l. אֲמַגֶּנְךָ radix a substantivo מָגֵן formata: *clypeum tibi apponam* s. *clypeo te tuear?* Sic LXX.: *ὑπερασπιῶ σου Ἰσρ.* et Hieron.: *protegam te Israel?* Idem adfert Aquilae versionem: *ὅπλῳ κυκλώσω σε, scuto circumdabo te?* Quae explicatio, ut orationi vatis aptissima est et elegantissima in describenda anxietate qua Deus in sorte illorum constituenda fingitur, ita probatur simili formatione verbi תִּרְגַּלְתִּי v. 3., unde apparet vati tales formationes, certe huius poematis tempore, non displicuisse. Occurrit bis praeterea Prov. 4, 9., ubi usus tropicus a nostro proprio desumtus esse videtur, et Gen. 14, 20., ubi iterum, quamquam duriore tropo, positum est: *hostes sub clypeo ponere* i. e. *tradere.* Quam significationem *tradendi* quasi propriam verbo nostro urserunt recentiores interpretes ita: *tradamne te* scil. *hostibus* s. *perniciei?* cf. Symmachus ap. Hieron.: *ἐκδώσω σε,* et Chald.: *exterminabo te.* Verum multo elegantior et verbo nostro accommodatior

XI, 8.
oppositio in utroque membro inesse videtur: *num tuear te? — an perdam te?*

Iterum poetico modo vates repetit interrogationem: אֵיךְ אֶתֶּנְךָ. Addit autem כְּאַדְמָה: *an tractem te ut Adama?* Sodoma, Gomorra, Adama et Zeboim oppida temporibus Abrahami tam terribili terrae incendio unâ cum omni regione funditus absumta ut nunc nil nisi mare mortuum in memoriam illius eventus reperiatur. Res satis nota legitur Gen. 19. et describitur tanquam poena incolis illorum oppidorum nefariis illata ignisque vocatur coelitus delapsus, quod sine dubio ita intelligendum est: vehementia fulgura solum illarum regionum sulphure et bitumine infertum incendisse. Quae eversio in libris sacris saepius quasi luculentissimum divinarum poenarum nunquam non expletarum exemplum describitur, cf. Deut. 29, 22. Ies. 1, 9. Ier. 49, 18. Matth. 10, 15. Luc. 10, 12. אֲשִׂימְךָ כִּצְבֹאִים: *constituam s. reddam te* (Gen. 32, 13. 1 Reg. 19, 2. Ier. 6, 8.) *ut Zeboim?* נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי: *versum est cor meum.* עָלַי pr. *supra me*, de affectibus animi hominem supervenientibus formula ut videtur propria, cf. Ps. 42, 5. 6. 7. 12. 43, 5. al. h. l. *de motu misericordiae* intelligatur. Eodem modo dicitur נֶהְפַּךְ לִבִּי: *de summo dolore* Thren. 1, 20. *Unâ simul* נִכְמְרוּ: *exardescunt.* Iterum formula de affectibus animi, maxime benevolentiae, usitatissima, cf. 1 Reg. 3, 26. Gen. 43, 30. Thren. 5, 10. נִחוּמָי: *misericordiae meae*, a rad. נחם: *dolorem sentire*, maxime misericordiae Iud. 21, 6. Ier. 15, 6. Ps. 90, 13. et poenitentiae Exod. 13, 17. Gen. 6, 6. 7. LXX.: μετεστράφη ἡ καρδία μου ἐν τῷ αὐτῷ συνεταράχθη ἡ μεταμέλειά μου. Hieron.: *conversum est in me cor meum, pariter conturbata est poenitudo mea. Rursus*, addit, *ut clementissimus pater dicit se suam mutare sententiam et poenitere, quod talia sit locutus, ut illos quoque ad conversionem et poenitentiam provocet.* Verum de poenitentia sermo esse non potest, quia nondum aliquid mali constituisse Deus fingitur.

9. Iam consilium cepit Deus idque benevolentissimum. לֹא אֶעֱשֶׂה חֲרוֹן אַפִּי: *non emittam furorem indignationis meae.* עָשָׂה dicitur de animi motuum significatione, v. c. עָשָׂה חֶסֶד Gen. 24, 12. 40, 14. לֹא אָשׁוּב לְשַׁחֵת: *non revertar ad perdendum Ephraimum* scil. ut olim exii ad perdenda Sodoma, Adama et Zeboim Gen. 19, 25. 29. cf. 18, 21. כִּי אֵל אָנֹכִי וְלֹא־אִישׁ: *nam Deus sum non homo.* Num. 23, 19. *Non velut homo in fervore irae acturus sum. Memor promissorum meorum semper paratus ero ad beneficia conferenda.*

Sequitur nunc elegans et sublimis descriptio divinae providentiae et maiestatis, quam cur non omnes mente ceperint interpretes, profecto non intelligo. *Sanctus sum, semper vobis propitius celsissimus Iehova, non in urbe vel in aliquo terrae loco me inclusurus, ut vobis ibi tantum succurrere possim, quemadmodum de idolis vestris statuitis. Ubivis vobis adsum, modo me sequamini. Prae maiestate mea, ubi eam iis significavero, trepidabunt omnes gentes, quemadmodum avis et columba trepidant, ubi leo rugit.* בְּקִרְבְּךָ קָדוֹשׁ: *ego sanctus, celsissimus Iehova in medio tuo sum* i. e. *tibi semper propitius adsum.* בְּקִרְבְּךָ eâdem signif. occurrit Ies. 12, 6. Ioel. 2, 27., in N. T. ἐν μέσῳ Matth. 18, 20. i. q. Hebr. בְּתוֹךְ Exod. 29, 45. קָדוֹשׁ est nomen maiestaticum Dei celsitudinem et praestantiam designans, cf. 2 Reg. 19, 22. Ies. 1, 4. 40, 25. Iob. 6, 10. וְלֹא אָבוֹא בְּעִיר: *non autem intrabo urbem ut ibi includar,* cf. 1 Reg. 8, 27. 2 Chron. 6, 18. Copula ו significationem habet adversativam: *quamquam in medio vestro sum, tamen in urbem non intrabo.* Verba בְּקִרְבְּךָ et לֹא אָבוֹא respiciunt ad praecedens לֹא אָשׁוּב. Vates dicere vult: *non est quod Iehova ad vos redeat, quoniam semper sanctus et omnipotens vobis adest. Homo vel urbi opem laturus vel eam praedaturus in muros eius intrat. Deus vero celsissimus humano modo vos non adit. Vestrum modo est obsequio et precibus*

eum prosequi, tunc, ubicunque eritis, eum habetis ad salvos et securos vos constituendos paratum. Barbari idolorum opem implorantes eorumque cultui dediti eundem habebunt iratum trepidique poenarum terrores, praesentiae eius signa, sentient. Schmidt eandem sententiam ita exposuit: *Deus sum sanctissimus in medio Israelis, ubicunque fuerit, etiam in extremo exilio. Nec coarctor in una civitate Hierosolyma vel alia et terra ipsi coniuncta, ut Dei tutelares gentium, singulis paene locis illigati, quia infinitus sum et nullibi terrarum a salvando impeditus.* Hieron. ita: *non sum unus de his, qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur iustitiam. Mea autem lex meaque iustitia est salvare correctos.* Verum sententia vatis vel multo sublimior esse videtur, cf. Lowth de sacra poesi Hebr. Prael. 19. ap. Rosenm. ad h. l. Alii sic interpretantur: *non intrabo urbem Samariam, exardescentiam irae meae contra eam versurus eamque deleturus,* ut עִיר: *ira* substantivum sit ab עוּר s. עִיר: *fervere.* cf. Dathe et Eichhorn: „Ich bin ein Heiliger und handle nicht im Grimm." Unus cod. ap. de Rossium legit בְּעִיר quam lectionem iam I. D. Michaelis Bibl. Oriental. 19, p. 190. ita exhibuit ut ex analogia Arab. nominis بعير: *iratus,* vertat: *non iratus veniam.* Lutherus hunc locum parallelum esse loco Luc. 14, 24. Deumque promittere censet: se semper promtum esse paratumque ad misericordiam populo deperdito significandam, ita tamen ut nunquam urbibus illis instituta, sacra et cultus Mosaicus, quibus hucusque cum Deo coniuncti fuissent, restituerentur. Alii ut Drusius: *non veniam contra urbem, nempe hostili modo.* Alii: *in nullam aliam urbem ingrediar, quam ubi nomen meum sanctificetur.* Chald. adeo de urbe Hierosolyma cogitavit: *non permutabo amplius Hierosolymam pro alia civitate.* Eodem modo Hebraei interpretes.

10. Cohaeret hic versus arctissime cum praecedenti. Amplificat etiam descriptionem maiestatis divinae ubique efficacis. *Quaeritote eum modo, ut eum eiusque benevolentiae erga vos signa ubique inveniatis!* cf. 1 Chron. 28, 6. 7. Prov. 8, 17. 34. 35. Ies. 55, 6. Ier. 29,

13. 14. אַחֲרֵי יְהֹוָה יֵלְכוּ: *sequantur Deum*, cf. 1 Reg. 14, 8. Eodem modo בִּקֵּשׁ אֶת־יְהֹוָה 3, 5. 5, 15.: *quaerere Deum*. Utrumque indicat, et *attendere signa eius favoris ac providentiae*, et *studere ut eius favoris participes fiant eiusque vim efficacem sentiant*, quod tantummodo vera reverentia et pietate erga eum fieri potest. Futurum modo imperativo s. exhortativo ponitur. כְּאַרְיֵה יִשְׁאַג. Imaginem leonis de Iehova adhibere vati nostro in promtu est, 5, 14. 15. 13, 7. cf. Am. 1, 2. Hoc l. eo sensu adhibetur, ut pingatur vis et efficacia Dei quae non inclusa sit in urbe. Ut leo in terra circumvagatur et fremitu se notum facit, quamquam non conspicitur, ita Iehova se notum facit iudiciis et terroribus ex ipso exeuntibus. Supplendum est relativum אֲשֶׁר: *qui ut leo rugit*. Sequentia verba: *quodsi ille rugit*, כִּי הוּא יִשְׁאַג, in 6 codd. Kennicotti et de Rossii desunt, et probe abesse possunt. Si autem servantur, ex notissimo Hebraismo ita explicari debent: *ubi autem rugit* i. e. *iudicia sua emittit, tunc trepidabunt* בָּנִים מִיָּם: *filii a mari*, vel uti LXX. mutatis vocalibus transtulerunt: τέκνα ὑδάτων, בָּנִים מַיִם: *filii maris* cf. Hieron.: *homines versus Occidentem habitantes*. Nostra quidem lectio praeferenda videtur, et quoniam substantivum in statu absoluto non facile genitivum secum habet, et quoniam constructio praepositionis מִן in sequenti versu servata est, et quoniam non מַיִם sed יָם de regionibus occidentalibus legitur, cf. Gen. 12, 8. 28, 14. Ios. 8, 9. 12. Exod. 26, 22. Versus occidentem Palaestinensibus mare situm erat, nimirum mare mediterraneum. בָּנִים autem de nationibus ita adhibetur ut incolae sint alicuius regionis, v. c. Ioel. 4, 6. Am. 9, 7. Inusitata quidem est formatio huius formulae cum praepositione מִן, cum alias ita legatur: בְּנֵי כִשְׁיִם, בְּנֵי צִיּוֹן. Verum in ea studium vatis accurate dicendi invenio. Si enim regio indicatur occidentalis, tum nunquam יָם nude sed מִיָּם s. יָמָּה scribitur cf. ll. ll. בְּנֵי־יָם autem *incolae maris* ancipitem sensum exhibuissent. Sunt igitur בָּנִים מִיָּם i. q. בְּנֵי

XI, 10. 11.

אֶרֶץ מִיָּם. Alii interpretes fortasse in illius inusitatioris formationis gratiam explicant בָּנִים vel: *filios Iovae*, vel: *filios Israelitarum*, quae explicatio mihi incommoda videtur. Etenim ellipsis esset durior et sensus ab omni commendatione vatis alienus. Dicit enim: *Deum penitus commotum esse misericordia, ut minime perdat Israelem, verum propitius in medio eius esse malit. Contra eum rugitum editurum, ut trepident barbari.* Nec est quod a simplici significatione verbi חָרַד abeamus ad plane aliam: *cum trepidatione accurrere.* Locus enim 3, 5. non est parallelus; nam ibi legitur פָּחַד plane alio et nexu et constructione.

11. *Trepidabunt autem ceu avis.* צִפּוֹר et יוֹנָה leoni rugienti oppositae magis descriptionem divinae maiestatis amplificant. Illi enim Assyrii et Aegyptii, quorum eximium robur vos conterere minatur, trepidabunt ut avis et columba Deo interveniente. מֵאֶרֶץ אַשּׁוּר et מִמִּצְרַיִם. Suppleri debet vel pron. הֵם vel בָּנִים e v. 10. Posterius ita, ut in favorem illius constructionis מִיָּם etiam nunc vates praep. מִן servaverit.

וְהוֹשַׁבְתִּים עַל־בָּתֵּיהֶם: *sed secure eos habitare faciam in domibus suis.* LXX.: καὶ ἀποκαταστήσω αὐτοὺς εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν. Convertit se vates in hoc postremo commate iterum ad Israelitas. הוֹשַׁבְתִּי non est: *reducam eos* s. *reddam iis*, quemadmodum nonnulli v. c. Dathe et Kuinoel vertunt. Radix est יָשַׁב: *habitare*, Hiph.: *habitare fecit, fecit ut tranquille habitarent.* cf. Ier. 32, 37. De reductione sermo non est; nam nondum abducti erant in exilium. Contra promiserat Iehova, vim Assyriorum Israelitas non perducturam esse eo ut intereant quemadmodum Adama et Zeboim, sed auxilio se ita eos circundaturum ut trepident barbari, illi autem quamquam vehementer vexati per Assyrios in urbibus nondum gladio illorum destructis (v. 6.) tandem tranquille vivant. cf. introd. p. 89. Fac etiam hanc promissionem eventu non comprobatam esse, hoc nihil auctoritatis vati adimit. Nam pietas erga Deum,

cura eum quaerendi, quae semper conditio eorum salutis prolata erat, v. 10., minime ab iis servata est. — Praeterea his posterioribus verbis inest saltus ad novum subiectum orationis idque primae personae, qui apud nostrum neminem offendere potest. Oratio illa, ubi in 3. persona de Deo locutus erat, אַחֲרֵי-אֲשֶׁר, quasi in parenthesi posita erat. Nunc redit ad priorem orationis formam, quam usque ad finem v. 9. tenuerat, ita quoque ut pronomen affixum יהם eosdem Israelitas significet quos versu 6. נְאֻם יְהוָֹה, formula prophetis usitatissima promissionis quasi sigillum, cf. 1, 24. Ps. 33, 4. Num. 23, 19. al. Chald.: *et verbum meum erit in patrocinio eorum, ait dominus.*

XVII.

Cap. XII, 1—15.

Circumdederunt me dolis Ephraim, et fraudibus domus Israelis. Iuda quoque constanter litigat cum Deo, cumque piis eius cultoribus. 2. Ephraim pascit ventum et sectatur Eurum. Fraudes et impetus in dies augent, foedus cum Assyriis pangunt et oleum ferunt Aegyptiis. 3. Iehovae quoque lis est cum Iuda agenda. Cum puniturus inviserit familiam Iacobi, pro moribus eius, pro factis eius ei rependet. 4. In utero matris Iacobus fratri insidiatus, adultus aetate cum numinibus luctatus est. 5. Superans divini imperii ministrum praevaluit; sed lacrymis ipsi supplicavit. Bethele eum invenit, cum eoque collocutus est, 6. Cuius nomen memorabile Iehova, Deus illorum agminum. 7. Ita tu quoque ad Deum tuum redi! benevolentiam et probitatem serva! fiduciam

firmiter colloca in tuo Deo! 8. Cananaeus est, in cuius manu sunt bilances fraudulentae, qui item ad spoliandos alios omni fertur cogitatione. 9. Ephraim quoque: agedum, ait, opulentus sum, contigerunt mihi divitiae, omnes meae divitiae non contrahent mihi culpam, ac si peccatum commisissem. 10. Per me, per me Iehovam, qui Deus fui inde a temporibus Aegyptiacis, etiam nunc secure habitabis in tutis domiciliis quasi solennibus diebus. 11. Monita mea super prophetas effudi, visiones largiter edidi, et per prophetas similitudinibus locutus sum. 12. Profecto in Gileaditica regione inani, immo mendaci studio Gilgale incumbunt, ubi boves immolant, ubi adeo altaria multitudine aequa sunt acervis in sulcis agrorum. 13. Iacobus fugit in regiones Syriacas, Israel per mulierem servitio subactus, perque mulierem ad custodiendum perductus est. 14. Per prophetam autem eduxit Iehova Israelem ex Aegypto, et per prophetam ipse custoditus est. 15. Nunc Ephraim excitavit acerbissimam Dei iram. Sanguinem, quo contaminatus est, ipsi relinquet et contumeliose facta ei rependet dominus eius Iehova.

Accedimus ad difficillimam partem prophetiarum vatis nostri. Unde difficultas orta sit, exposuimus in introductione p. 90 sq., nimirum ex effigie per totum caput porrecta. Dum enim atavum Iacobum exemplo sistit posteris, ita sententiosus fit, ut capi paene nequeat. Quae sententiosa brevitas etiam in iis commatibus mansit, ubi sigillatim de Iacobo nil commemoratur. Temporis momentum, quo haec prophetia edita

est, in annos priores regis Hoseae incidisse videtur. Continet autem gravissimam increpationem impietatis utriusque regni, maxime Israelitarum.

1. Priores 3 versus huius impietatis descriptionem in universum exhibent. סְבָבֻנִי בְכַחַשׁ: *circumdederunt me dolis.* כַּחַשׁ pr. *mendacium*, h. l. synonymum sequentis מִרְמָה, est i. q. *dolus*, cf. 7, 3. 10, 13. Dolus autem et fraus omnino in eo cernebantur, quod se Iehovam colere iactabant, cum idolis sacra facerent, cf. Eichhorn ad h. l., et quod omissis eius praeceptis cultum sibi fingebant libidinibus suis consentaneum. אֶפְרַיִם et postea בֵּית יִשְׂרָאֵל designant 10 tribus regni Israelitici, vid. 5, 1. 6, 10. al.

וִיהוּדָה עֹד רָד עִם־אֵל. His verbis nos non habere verum textum docet varietas omnium antiquarum versionum. LXX.: *ἐκύκλωσέ με ἐν ψεύδει Ἐφραὶμ καὶ ἐν ἀσεβείαις οἶκος Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδα. νῦν ἔγνω αὐτοὺς ὁ θεὸς καὶ ὁ λαὸς ἅγιος κεκλήσεται θεοῦ.* Fac etiam eos saepissime ex ingenio vertisse, tamen יְדָעָם pro רָד עִם, וְעַם pro וְעִם, et נִאֲמַר pro נֶאֱמָן lectum esse apparet. Syrus et Chald. legerunt utrobique עַם pro עִם, Hieron. עֵד pro עֹד. Pariter dissentiunt in derivatione verbi רָד, quod Hieron. et Syrus a יָרַד: *descendere*, Aquila a רָדָה: *dominari*, Chald a רוּד: *firmum, validum esse*, deducunt. Inter recentiores repetunt nonnulli (ut de Dieu, Cocceius al.) significationem huius verbi ab Arabico راد: *velle, constanter inhaerere.* Schroeder in Observv. ad Origg. Hebr. 1, 11. idem verbum Arabicum contrario sensu accipit, nimirum: *huc et illuc agitari*, cf. Ier. 2, 31. Ps. 55, 3. Gen. 27, 40. Saepius enim in V. T. non legitur. Quae posterior interpretatio, si nempe lectio certa est, omnibus reliquis praeferenda videtur. Id enim e v. 3. intelligitur, vatem omnino Iudaeos non in laude habuisse, contra eos implicitos in Israelitarum fraudes designavisse, unde Dathe: *atque etiam Iudaei vagi aberrant a Deo*, et Eichhorn: „gegen Gott beträgt sich Iuda unaufhörlich wankelmü-

XII, 1.
thig." Modo ne significatio praepositionis עִם repugnaret, quem quidem nodum S. V. Gesenius in lex. ad v. רוּד ita solvere studet, ut pro מֵעִם positam habeat. Haud scio an genius linguae Hebraicae hanc sententiam non probet. Exempla eius rem admodum incertam relinquunt [23]) et viam sternunt, ut multum ex arbitrario in textum sacrum inferatur. Omnes antiquiores interpretes in verbis nostris honorificam significationem Iudaeorum invenerunt, ut sensus sit vel cum Schmidtio et Hebraeis: *dominatus est adhuc cum Deo*, vel cum Hieron.: *testis descendit cum Deo*, vel cum Chald.: *validi erant in cultu Dei*, vel cum Cocceio: *constanter perseveravit penes Deum.* Boeckel aliam coniecturam profert, nempe רָד esse i. q. רָדַע *contendit*, sane probabilem, modo hoc verbum obvium esset in V. T. Cum omnia a coniecturis pendeant, et meam qualemcunque afferam. Equidem legerim רָב, cf. Iud. 11, 25. Ies. 45, 9. Mutatio enim utriusque consonantis ב et ד erat facillima, vel ut scriba aliquid neglexerit, vel ut parvula lineola palluerit. Lectio ista respondet optime versui tertio; praepos. עִם hoc verbum quasi postulare videtur, cum constructio רִיב עִם perpetuo recurrat; denique significatio reliquorum verborum sponte sequitur, quae, utcunque alio modo verbum nostrum vexatum interpreteris, obscura est. Quid enim est וְעִם קְדוֹשִׁים נֶאֱמָן? Dathe e Schroedero, Kimchio et e Ios. 24, 19. קְדוֹשִׁים nomen esse Dei putat in plurali maiestatico positum et נֶאֱמָן adiectivum singularis numeri, quemadmodum ad אֱלֹהִים apponi soleat, ita: *a Deo, sancto illo fido et constanti.* Qui verba in laudem Iudaeorum vertunt, ita posterius comma intelligendum esse censent: *cum probis hominibus vel cum*

23) Locus Ps. 94, 16. a Kuinoelio laudatus ut עִם etiam: *erga*, *contra* valere demonstretur, item nihil illustrat. Nam ibi sermo est de contentione cum improbis, ubi utique עִם formula est characteristica.

Deo ipso constans est. Ex nostra sententia: *Iuda constans* s. *constanter* i. e. *perpetuo litigat cum Deo cumque piis eius cultoribus.* קְדוֹשִׁים enim de piis hominibus Deo dilectis adhiberi notissimum est, cf. Ps. 16, 3. 89, 6. Prov. 9, 10. Ies. 4, 3. Eichhorn in vers. supra laudata eandem significationem vocis נֶאֱמָן probavit, eamque esse huius participii frequentatissimam vid. Gesenius in Lex. ad h. v. Litigare autem cum Deo est: *Deo adversari*, cf. 4, 4. Iud. 11, 25. 1 Sam. 2, 10. Hanc meam lectionem in versionem recipere ausus sum. Videant Viri Docti, quid de ea statuendum sit.

2. אֶפְרַיִם רֹעֶה רוּחַ. Imago desumta a pastore gregem, unde se suosque sustentet, *in pascuis studiose curante.* Id confirmat comma sequens huic parallelum וְרֹדֵף קָדִים et locus Ps. 37, 3. ubi legitur: רְעֵה אֱמוּנָה: *veritatis studiosus esto*, cf. Prov. 15, 14. Ier. 22, 22. *Ephraim pascit ventum* i. e. *Ephraim curat vana et spem suam fallentia.* Itaque Schmidt: *describitur aucta et obdurata malitia Ephraimi, qua multum sibi de cultibus suis pollicitus est.* Alii verbum passive vertunt: *pascuntur vento*, quasi comedant ventum, sicut famelica bestia avide depascit herbas, vid. Michaelis ad h. l. Sensus semper redit ad descriptionem vanae fiduciae. *Sectatur Eurum.* רָדַף 2, 7. 9. *desiderio alicuius affici.* קָדִים: *ventus ab Oriente flans*, vid. 13, 15. Hieron.: *aestus*, LXX.: καύσωνα ἐδίωξε. Iterum imago rei inanis adeoque perniciosae quaesitae. Est autem Eurus in Oriente ventus calidissimus fervente halitu et agris et hominibus perniciosissimus Gen. 41, 6. 23. Ez. 17, 10. 19, 12. Ion. 4, 8. Chald. respiciens ad 8, 7.: *similes sunt ei qui ventum seminat et metit turbinem.* — *Quotidie mendacium et impetum auget.* שֹׁד: vis, violentia Ies. 22, 4. Prov. 21, 7. 24, 2. LXX.: κενὰ καὶ μάταια ἐπλήθυνε. — Inter scelera Israelitarum etiam referuntur foedera cum Assyriis et cum Aegyptiis. Cautum erat lege Mosaica, ne amicitiam inirent cum nationibus barbaris Deut. 7, 2. 3. Exod. 34, 12. 15. Hanc legem violantes vanis auxiliis impie fisi ventum pascebant i. e. vana curabant et Eurum i. e. perniciem sectabantur. Ve-

rum contra ipsos barbaros fraudulentér se gerentes mendacia angebant. Dum enim regi Assyriaco donis et tributis blandiebantur, opem Aegyptiorum contra Assyrios invocabant. Respicere videtur ad historiam 2 Reg. 17, 4. Cui addit Hieron. traditionem sacram nullis documentis confirmatam: *iam Menahemum pace facta cum Assur ab Aegyptiis auxilium postulasse et ita vastationem eversionemque suis urbibus praeparasse.* Israelitas autem amicitiam Aegyptiorum quaesivisse his exprimitur: וְשֶׁמֶן לְמִצְרַיִם יוּבָל: *oleum in Aegyptum fertur.* Palaestina terra est nobili oleo abundans, quod inde in omnes terrarum regiones deportabatur, cf. 1 Reg. 5, 25. Deut. 32, 13. 8, 8. Ez. 27, 17.

3. וְרִיב לַיהוָה עִם־יְהוּדָה: *Deo etiam lis est cum Iuda agenda.* Ex nostra sententia de v. 1. in hoc commate elegantissimam antithesin illorum vexatorum verborum habemus. *Iuda disceptat cum Iehova — Iehovae quoque lis est cum Iuda.* In quo autem illa lis posita sit, addit vates in posteriore huius versus commate: *animadvertendo in Iacobum pro moribus eius proque factis eius ei rependet,* s. ut primariam verbi פָּקַד significationem teneamus: *cum puniturus inviserit familiam Iacobi cet.* יַעֲקֹב: *omnes Iacobi posteri 12 tribuum,* ut 10, 11. דְּרָכָיו sunt *mores* ut 10, 13. et מַעֲלָלָיו *facta posterorum Iacobi* cf. 4, 9. Utrumque nomen per se positum sensum habet ambiguum vertique et in bonam et in malam partem potest, quin utrumque de Deo currit 14, 10. Ps. 77, 12. In criminationibus quidem prophetarum plerumque de perversis moribus et prave factis legitur. Vates primo adspectu verbosius adeoque tautologice disseruisse videtur. Verum omnia optime conveniunt: *Nolite cogitare Deum, dum litem agat et animadvertat in Iacobi posteros, ex arbitrio et ira agere quemadmodum vos agitis. Merito iis rependet pro moribus et factis eorum.* Copula ו ante כְּמַעֲלָלָיו in nostris editionibus deest, in pluribus codd. ap. de Rossium legitur. Defectus eius ingenio vatis optime respondet.

4. Commemoratio Iacobi in versu 3. ipsum totius gentis atavum oratione producendi occasionem praebet. Cum antea vates nomen Iacobi de omnibus eius posteris adhibuerit, nunc de Iacobo ipso loquitur, fata eius narraturus et effigiem eius populo probe observandam constituturus. Quaeritur ante omnia, utrum, quae vates de patriarcha v. 4. et 5. commemoraverit, in laudem an in vituperationem eius dicta sint? Natura typi postulat, ut similitudo insit signo cum re signata. Legimus hucusque Israelem et Iudam fraudibus et contentione contra Iehovam fuisse repletum, versu autem 7. additur exhortatio ut et ipsi redeant ad Iehovam, pietatem benevolentiamque servent atque in eo fiduciam ponant. Qualis autem typus fuisset, nisi utrumque in Iacobo repertum fuisset, antea fraus et incerta fides, postea progressus ad veram Dei cognitionem pietatemque? Vatem horum omnium exemplum per vitam Iacobi exhibuisse, verba et modus rem narrandi apprime docent.

בַּבֶּטֶן עָקַב אֶת־אָחִיו: *iam in matris utero insidiatus est fratri.* עָקַב, ut apte ex usu Arabico verbi عقب demonstravit Gesenius in Lex. ad h. v., pr. indicat: *a tergo esse* s. *venire*, hinc: *insidiari*, item עָקֵב: *planta*, *pars aversa pedis.* Nusquam designat *plantam tenere*, ut nonnulli interpretes voluerunt. Nec intelligitur, quomodo vates de fortuita manipulatione infantis tantum fecisset, nisi signum vel iterum typus fuisset fraudulenti animi Iacobi, quo bis postea fratrem decepit, nomen vero vel accepit vel certe meritus est Gen. 27, 36. cf. Ier. 9, 3. Quod enim interpretes omnia in laudem Iacobi versuri contendunt, illam prehensionem plantae fraternae Gen. 25, 26. fuisse signum divinae providentiae super Iacobi salute excubantis, id profecto non intelligo. Rem istam magis putaverim signo fuisse Deum coërcere voluisse animum infantis arrogantem. Dum enim Iacobus iam in matris utero manum extenderat ad reprimendum fratrem et eripiendam ipsi primogenituram, nihilominus Deus fratrem Esavum primum in lucem produxit. Melius ergo statuunt qui contendunt, signum fuisse vigoris eius et nisus fratrem

XII, 4.
superandi iam in matris ventre conspicui. Verum id ipsum prodidisset ingenium infantis ad vim et fraudem paratum, certe non cum laudis significatione commemorandum fuisset; cf. Iken in dissertt. philologico-theoll. p. 282 sqq.

Difficilior est altera pars typi: וּבְאוֹנוֹ שָׂרָה אֶת־אֱלֹהִים: *adultus aetate superavit Elohim.* Si verum est, quod interpretes antiqui statuerunt, Iacobum cum Iehova ipso sub specie angeli luctatum fuisse, facile res expeditur. Id sane fuisset singulare vel mirificum familiaritatis, in quam Iehova cum Iacobo descendisset, specimen, Iacobus bene egisset flendo eique supplicando et merito propterea laudandus fuisset. Quam patrum de luctatione Iacobi et de nostro loco sententiam uberius exposuit et suis argumentis comprobavit Sal. Deiling in comment. de angelo colluctatore Iacobi, in Observv. sacr. Tom. IV. pag. 818. Verum neque narratione Gen. 32, 24—32. neque nostro loco haec explicatio facti supra omnem dubitationem evehitur. Id quidem bene iam monuit Kuinoel ad h. l. in explicando nostro non quaestionem esse, quid de historia ipsa statuendum sit, utrum somnium enarretur (ut vult Balthasar Becker le monde enchanté, Tom. II, 11. §. 10.), an φάντασμα, spectrum ab aliquo malo genio excitatum ad perterrendum Iacobum (ut nonnulli Hebraeorum magistri somniarunt), an (ut e libello anonymi Angli protulit Deiling l. l.) homo sicarius ab Esavo emissus fuerit fratris e medio tollendi seu litis duello, more pervetusto et in Oriente imprimis usitato, decidendae gratia, an (quod Herdero placuit Geist d. Hebr. Poesie ed. Iusti Tom. I. p. 265.) visio nocturna timore agitato et de suo suorumque periculo anxio patriarchae exstiterit [24]). Id unum nobis

---

24) Si meam qualemcunque sententiam de luctatione ista afferre licet, omnem narrationem nil continere putaverim nisi mythicam expositionem ambiguitatis et motuum, quos animo sensit Iacobus, fac eam a Iacobo ipso, vel post mortem eius demum ortam esse. Antequam fugatis e domo sua omnibus idolis ad Iehovam Bethelem rediret Gen. 35, 1 sqq., om-

curae est, quomodo patriarcha ipse et vates noster rem ceperint. Iacobum eam non magni fecisse ex omni eius historia apparet. Aliam visionem, qua sibi persuasum habebat cum Deo se conversatum esse, Gen. 28, 12 - 17., ita celebravit ut aram in loco conversationis exstrueret, seriori tempore eo ad sacra ibi facienda rediret 35, 7., saepius eius mentionem faceret 48, 3. 4. De luctatione tacet et nusquam praeter hunc nostrum locum eius mentio fit, cf. Herder l. l. p. 268. Nimirum ipse sibi acerrimae luctationis cum vero et falso Dei cultu conscius in opinionem inciderat, unum ex Elohim, e divis numinibus, quibus antiqua superstitio mundum repletum esse somniabat, sibi apparuisse et secum dimicasse. Iacobus cum e Mesopotamia exiret, nondum liber erat a superstitione polytheismi. Laban penates domésticos ab eo ablatos esse suspicatus est Gen. 31, 30.; ipse vidit in itinere מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים Gen. 32, 2.; diu post reditum in Canaanem demum intellexit vestigia polytheismi in familia esse abolenda Gen. 35, 2—4.

Hanc autem polytheismi superstitionem in posteros Abrahami intravisse, quorum pietas usque ad tempora Mosis tantum in eo versaretur ut unum superiorem omnibus illis numinibus haberent eumque κατ' ἐξοχὴν Elohim vocarent, omnis modus, quo antiquissima monumenta de actionibus divinis, maxime de creatione disserunt, aperte docet, cf. Gableri Urgeschichte I, p. 219. cf. p. 96. et II, 1. p. 108. Herder l. l. I, p. 43.;

---

nis vita eius luctatio cum Elohim fuerat i. e. anceps haeserat inter Iehovam et inter deastros, quorum cultu in Mesopotamia imbutus, quibus adeo iam antea non exosus fuerat Gen. 28, 21. Superaverat illa luctatione Elohim, deastros, daemones, angelos, et nunc victorem nomine יִשְׂרָאֵל (*qui luctatus est cum Deo*) se a Deo ipso insignitum praestabat Gen. 35, 10. Huius autem rei memoria non tantum tum celebrata est nomine Israelis, sed etiam mythica illa narratione, quam legimus Gen. 32, 24-32. Fortasse animus patriarchae tantis curis sollicitatus somnia habuit, quae illis narrationibus occasionem praebuerant.

quamquam Abrahamus et fortasse Iacobus ipse post reditum ad aram Bethelis Gen. 35, 1. dignius et verius de uno Deo cogitaverint. Verum etiam post Mosen unius Dei severissimum cultorem reliquiae polytheismi animis Israelitarum ita erant infixae, ut nullo modo illos Elohim e theologia dimitterent sed alio tantum nomine ei adnecterent. Erant iis מַלְאָכִים: *ministri, nuntii Iehovae*, vid. Ps. 8, 6. (cuius אֱלֹהִים LXX. et auctor epist. ad Hebr. 2, 7. vertunt: ἄγγελοι) et 97, 7. cf. LXX. qui idem nomen itidem voce ἄγγελοι reddunt, et nostrum locum, ubi vates promiscue utitur nomine אֱלֹהִים et מַלְאָךְ, ut caveat, nequis illum Iehovam ipsum fuisse putet. Erant iis adeo numina impura homines decipientia 1 Sam. 28, 13., δαιμόνια Ps. 96, 5., ubi LXX. verba כָּל־אֱלֹהֵי הָעַמִּים אֱלִילִים vertunt: πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια, et quemadmodum deastri paganorum saepius vocantur אֱלֹהִים (cf. Exod. 20, 3. Ps. 96, 5. 135, 5. et ap. nostrum 3, 1.), ita iidem nominibus insigniuntur שֵׁדִים Deut. 32, 17. Ps. 106, 37. et שְׂעִירִים Lev. 17, 7. 2 Chron. 11, 15. quorum illud δαιμόνια, hoc μάταια a LXX. vertitur. Ex quibus apparet, posteriores Iudaeos idolis paganorum non omnem existentiam denegasse, verum suos Elohim, quibus post cognitum per Mosen summum Deum, יְהֹוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת carere poterant, nominibus illis contumeliosis שְׂעִירִים, שֵׁדִים, δαιμόνια, μάταια notatos, ad barbaros ablegasse sibique servasse ministros Dei Iehovae inferiores, מַלְאָכִים, cf. Iob. 33, 23. Ps. 91, 11. 34, 8. Exod. 3, 2. 4. 14, 19. 33, 2.

Quae disquisitio ab interpretatione loci nostri ne aliena esse videatur. Exinde enim intelligitur, quid vates de Iacobo statuerit quidque de eo dicere voluerit, eum nempe prioribus vitae temporibus non liberum a commercio cum numinibus barbarorum fuisse. *Luctatus est cum* אֱלֹהִים, *non cum vero Deo, sed cum* מַלְאָךְ, *numine Iehovae inferiore, Dei ministro, tunc adhuc timore et reverentia ab ipso patriarcha celebrato.* *Nam*

praevaluit quidem, sed flevit ad illum eique supplicavit. Quibus verbis genera cultus uni Iehovae praestanda indicantur. Itaque Iacobus ea in re vere exemplum fuit Israelitis semper memorabile, cum et aliquando erravit in pietate numina illa imbecillia precibus adorans, mox quidem reversus ad unum Deum; quod postea v. 5. commemoratur.

בְאוֹנוֹ pr. *in robore suo*, de *virili aetate* saepius ponitur Gen. 49, 3. Deut. 21, 17., praecipue Ps. 105, 36. ubi liberi רֵאשִׁית אוֹנָם: *primitiae eorum pubertatis* vocantur. Sic h. l. eleganter voci בַּבֶּטֶן opponitur. שָׂרָה: *luctatus est*, secundum Arab. شرى, eodem modo quo Gen. 32, 29. praeter quod in loco Gen. construitur cum praep. עִם, h. l. cum אֶת illi respondenti, cf. Gesen. in Lex. ad h. v. Hieron.: *directus est cum angelo, quoniam ad flumen Iaboc adversus angelum tota nocte pugnavit.* Plerique interpp. vertunt: *superavit.* Verum in illo loco Gen. et alternis legitur cum אָבַק, et in utroque loco opponitur verbo יָכֹל: *praevaluit*, unde eandem significationem cum isto posteriori habere non potest, praesertim nostro loco, ubi insuper sequitur יָשַׂר a rad. שׂוּר: *principatum tenere.* Salva igitur illorum versione intolerabilis tautologia exsisteret. Saepius in V. T. non legitur. LXX.: ἐν κόποις αὐτοῦ ἐνίσχυσε πρὸς θεόν. Ceterum ut omnes ante Ikenium totum nostrum versum in laudem Iacobi verterunt, ita Ikenius eumque secutus Dathe et recentiores interpretes certe posterius comma de honorifica eius lucta cum Deo interpretati sunt. Chald. paraphrasis ita audit: *Propheta dic iis: nonne de Iacobo praedictum est, antequam nasceretur, eum maiorem fratre futurum esse? et in robore magnum se gessit cum angelo.*

5. וַיָּשַׂר אֶל־מַלְאָךְ: *principatum tenuit erga angelum.* Cognata verba שָׂרָה v. 4. et h. l. שׂוּר non idem significare, praeter alias causas etiam copulâ וְ indicatur, quae, si sententiam praecedentis versus repetere vates voluisset, vel abfuisset (cf. v. 3, 5, 8. 11. 8, 8. al.)

XII, 5.
vel etiam praecedenti שָׂרָה praefixa fuisset (vid. infra). Est autem verbum שׂוּר saepius obvium significatu: *principatum tenere* 8, 4. Ies. 32, 1. Prov. 8, 16. אֶל־מַלְאָךְ: *versus angelum*. Cum autem vates h. l. nomine מַלְאָךְ pro אֱלֹהִים v. 4. utatur, eam rem pii interpretes Christiani certamen Iacobi cum uno Deo vindicare studiosi ita composuerunt, ut dicerent illum מַלְאָךְ fuisse *ab aeterno genitum*, ἄγγελον μεγάλης βουλῆς, τὸν λόγον ὑποστατικόν, *angelorum dominum*, *Dei filium*, et sic mysterium trinitatis huic loco inseruerunt, cf. Deiling l. l. p. 826. Alii vertunt: *adversus Deum ipsum*, *qui angeli formam induerat*, cf. Rosenmueller ad h. l. Ex nostra sententia habemus in eo nomine reliquias polytheismi Semitici pro more seriorum temporum monotheismo accommodatas. Iacobus nondum a deastrorum cultu solutus cum אֱלֹהִים pugnavisse existimabatur, quod vates ita describit, ut intelligatur non luctam fuisse cum Iehova sed cum numine, divino nomine perperam insignito, quippe quod מַלְאָךְ: *Dei minister* fuerit. Hic modus de illa inexplicabili mysteriorumque plena lucta cogitandi optime conveniebat narrationi Gen. 32. Ibi enim v. 2. מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים patriarchae occurrisse feruntur. Deinde cum v. 25—29. victrix lucta Iacobi narretur, quid mirum, quod pius Israelita opinatus fuerit unum ex his מַלְאָכִים Iacobum provocasse ut secum conflictaretur eundemque ab illo superatum esse. Iehovam autem ab aliquo homine vinci posse Israelitis nefaria fuisset sententia. Utrum vero Iehovae, an deastrorum fuerit minister, verbum מַלְאָךְ haud decernit. Sine dubio Iehovae, ut omnes אֱלֹהִים, v. supra. Verum quemadmodum in textu incertum est, ita idem in versione incertum reliquimus reddendo: *divini imperii ministrum*. Quod vere respondere videtur sententiae loci Gen. 32, 2. 3. ubi qui antea מַלְאֲכֵי אֱלֹהִים fuerant, postea dicuntur *exercitus*, מַחֲנֵה אֱלֹהִים. וַיֻּכָל: *praevaluit* Gen. 32, 29. cf. 30, 8. Ps. 13, 5. Ier. 3, 5. LXX.: καὶ ἠδυνάσθη. Hoc verbum significatione respondere praecedenti

וישר duplici ו extra omnem dubitationem ponitur, quod est Lat. *et* — *et* cf. 7, 1. 11, 1. „Er war ihm überlegen und bezwang ihn.“ בכה ויתחנן־לו. Ut בכה h. l. cum התחנן, sic 1 Sam. 1, 10. cum התפלל componitur, eodem sensu et significatu: *flendo supplicavit*, cf. Esth. 8, 3. Quod autem supplicaverit, id historia refert Gen. 32, 26., nimirum ut sibi benediceret. De lacrymis historia tacet. Vatem eas ex inspiratione divina habuisse, contendit Schmidt. Nos potius dicamus fuisse modum rhetoricum exprimendi summum ardorem precum Iacobi impiarum, quas vere fervidas fuisse historia satis exponit.

Hactenus ambigua pietas Iacobi. E luctatione victor excessit, ut non modo angelum sed omnem idololatriam vinceret. Idque eo tempore, quo destructis et defossis omnibus idolis Bethelem migraret Gen. 35, 1. 4. 6. *Ibi invenit eum ibique cum eo collocutus est*, *qui est solus Iehova Deus Zebaoth.* Intellexit non illum Deum esse, cum quo luctatus esset apud alveum Iaboc, nam de illo et de altari Pniel in memoriam luctationis exstructo non amplius sermo est, sed de Iehova quem oculis humanis nemo conspicere, quocum nemo concertare potest, qui quidem aliquando fratrem Esavum fugienti in somnio notum se fecerat Gen. 28, 12—19. בית־אל. Deest particula ב, uti 2, 5. 8, 9. 9, 4. *Bethele eum invenit* i. e. *ibi certior factus erat Iehovam esse unum et verum Deum. Ibi cum eo collocutus erat.* Vulgata lectio עמנו vel in עמו mutari debet, ut sensus verus et aptus existat, vel putandus est vates ex quodam errore grammatico s. inusitatâ et incorrectâ formâ ad modum ממנו scripsisse עמנו, fortasse etiam deceptus similitudine soni praecedentis verbi ימצאנו. Gesenius adtulit exceptiones Lehrgeb. p. 207. not. *t.* ubi suffixa verbi nominibus et praepositionibus adiiciuntur. Fortasse numerus eorum hoc nostro exemplo augeri potest. Certe Syrus, Aquila, Symmachus, Theodotion verbum nostrum verterunt: *cum eo*, cf. Rosenmueller ad h. l. Vulgaris lectio עמנו: *nobiscum*,

utcunque torqueatur, semper incommoda est. Viri docti prophetae sententiam ita constituerunt ut, quod Deus locutus esset cum Iacobo, id dictum fuisset omnibus et Iudaeis et Israelitis in lumbis Iacobi latitantibus. Non est quod alias opiniones afferam, de quibus vid. Rosenmueller ad h. l. Memoratu autem dignum est, quod LXX. etiam h. l., ubi vates nomine *Bethelis* illius urbis proprio usus est quoniam minime tanquam locus idololatricus sed a Deo ipso colloquio nocturno cum Iacobo sacratus commemoratur, ita verterunt ac si iterum scripsisset *Bethaven*, cf. 4, 15. al., nimirum οἶκον Ὦν. Non tantum ingenium scriptoris plane neglexisse, sed ne attente quidem legisse videntur. Quis igitur sequatur eorum auctoritatem ubi postea vertunt εὕροσάν με, יִמְצָאֶנּוּ, καὶ ἐκεῖ ἐλαλήθη πρὸς αὐτούς, עִמָּנוּ. Dathe et Kuinoel errant contendentes eos legisse עִמּוֹ s. עִמָּהֶם. Chald. et Hieron. vertunt: *nobiscum*.

6. Quem invenerit Iacobus Bethele, versus noster exhibet: *eum, cuius nomen est Iehova, Iehova Deus agminum.* זִכְרוֹ — וְ: *cuius nomen.* In Hebraico textu more usitatissimo relativum non verbo exhibitum est, sed sensus relativum innuit. Latini tali nexu semper verba *et eius* in naturale relativum *cuius* solvunt. אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת, cognomen Dei saepissime obvium: *Deus agminum.* LXX.: παντοκράτωρ. Ex hoc loco facile intelligi potest, designari maiestatem, qua longe superet et qua gubernet numina illa ignota ab hominibus a Dei vera cognitione alienis divinitus culta. Sunt enim in V. T. צְבָאוֹת: *agmina* stellarum, lunae et solis Deut. 4, 19., angelorum Nehem. 9, 6., animarum humanarum Gen. 2, 1., daemonum 1 Reg. 22, 19. זִכְרוֹ LXX.: μνημόσυνον, ap. Homerum μνῆμα, *id quo aliquid in memoriam revocatur.* Synonymum est שֵׁם, quocum expressis coniungitur Exod. 3, 15. Dathe, Meisner aliique interpretes volunt esse verbum, quod ille vertit: *Deus ei memorabile nomen dedit*, hic: *Iacobus Deo sacrificium obtulit.* Utrumque sine vi vocum et sententiae fieri non potest.

7. Nunc vates transfert effigiem ad suam sententiam. *Uti proavus tuus Iacobus, postquam per aliquod tempus a recta via declinatus et in fide anceps, feliciter finita contentione cum Elohim, qui tantum Dei minister s. angelus erat, ad Iovam suum rediit, ita tu quoque Israel dimitte et fraudes et impetus et studia Deo adversantia, atque in uno Deo constanter pieque fiduciam tuam colloca.* In verbis huius versus inest aptissima oppositio verborum et dictionum versus secundi. חֶסֶד opponitur nomini שֹׁד, מִשְׁפָּט nomini כָּזָב et dictio: *fiduciam firmiter in Deo tuo colloca*, illi: *foedus cum Assyriis pangunt et oleum Aegyptiis fertur.* In fine versus LXX. declinant a nostro textu: ἔγγιζε πρὸς τὸν Θεόν σου.

8. Vates pravitatem gentis Israeliticae describere pergit. Non enim modo idololatriâ et libidinibus venereis se pares faciunt barbaris, cf. 4, 11-13., verum etiam fraudibus eos referre student, quod tanto peius et detestabilius est, quanto pluribus adfecti sunt a Deo beneficiis et quanto luculentiorem habent imaginem, Iacobum historiamque populi. Ita admodum obscura et parenthesibus interrupta idiosyncrisia sententiarum vatis nostri solvenda est. כְּנַעַן est nominativus absolutus, quam orationis formam saepissime in nostro vate habemus 6, 8. 8, 13. 9, 6. 11. al. כְּנַעַן בְּיָדוֹ: *quod attinet ad Canaanem, in manu eius sunt cet.* Quae formula iterum ope relativi simplicissime resolvi potest: *Cananaeus est, in cuius manu sunt bilances fraudulentae.* In voce כְּנַעַן bilogia inest. Significat enim et *mercatorem* Ies. 23, 8. Prov. 31, 24. et *paganum hominem, incolam terrae Canaaniticae* Iob. 40, 30. Ies. 23, 11. Zach. 14, 21. Omnino autem indicat: *fraudulentum et dolosum hominem ad modum barbarorum*, quibus illud Mosaicum לֹא תִגְנֹב Exod. 20, 15. non innotuerat. מֹאזְנֵי מִרְמָה: *bilances fraudis* i. e. *dolosae, quibus alios defraudant*, species fraudis pro omni genere fraudis ponitur. לַעֲשֹׁק אָהֵב: *opprimere amat.* אָהֵב et אָהַב saepius occurrit ita ut sit: *aliquid cum voluptate*

et quasi ex consuetudine facere (ut Latinorum *amare*, v. c. ap. Horatium: *aurum per medios ire satellites amat*, et Gallorum *aimer*) cf. Ies. 56, 10. Ier. 14, 10. עָשַׁק de omni iniuria, non modo vi sed etiam fraude illata dicitur Mal. 3, 5. Lev. 5, 21. 23. Deut. 24, 14. LXX.: καταδυναστεύειν ἠγάπησε, quod Hieron.: *opprimere per potentiam diligit*. In toto versu mihi contineri videtur locus communis s. dicterium quoddam, quod postea transfertur ad Israelitas: *qui falso negotio alios fraudat et dolo iniuriam infert, aeque paganus est ut qui idolis sacrificat*. Hieronymus versum nostrum directum putat ad Israelitas, quos nomine ignominioso Cananaeos vates appellet, quemadmodum similia nomina occurrant histor. Susannae 56. Ez. 16, 3. Ies. 1, 10., quasi dixerit: *tu Canaan-Ephraim, in manu tua est statera dolosa s. iniqua*. Chald.: *ne sitis sicut mercatores, in quorum manibus sunt bilances dolosae, ut fraus committatur ad turbandam omnem benignitatem*. Plerique interpretes alterutri explicationi adhaerent. Castalio ita: *Ephraimitae Chanaanem incolentes fallacem habent in manu trutinam*. Dathe longo introitu utitur ad constituendum nexum huius versus cum antecedentibus: *ille vero* scil. *Iacob et Ephraim est de genere Canaanis, manu bilances fraudulentas tenet etc.* Propius accedunt ad nostram sententiam Liveleius et Drusius, quorum hic: *ut mercator in manu habens stateram fraudulentam etc. — ita Ephraim dixit*.

9. וַיֹּאמֶר אֶפְרַיִם: *Ephraim quoque dicit* scil. illis parem se praestans. אַךְ copula est latissimae significationis, maxime excitantis et asseverantis: *profecto, tamen, agedum*. Est omnino audacis hominis, perversi et re sua, quamquam perversa, freti. LXX.: πλὴν πεπλούτηκα: *dives sum, opes inveni*. אוֹן: *vires* et *facultates* cuiusvis generis. Hinc *divitiae*, quas etiam Latini *facultates* dicunt, Iob. 20, 10. Plerisque positum est pro הוֹן commutatis affinibus literis ה et א cf. Liveleius. LXX. nimirum ex analogia Arabica: εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ, *requiem meam*. Hieronymus: *inveni idolum meum*, unde אָוֶן legisse apparet, itidem addens:

idolum esse *divitias*, *nam sicut gulosi et luxuriosi venter Deus est*, *ita avarus adorat auri idolum.* Sequentia verba difficilia sunt, et quocunque modo ea interpretemur, inter coniecturas agimur. כָּל־יְגִיעַי: *omnes meae divitiae*, pr. *duri labores*, hinc: *id quod labore comparatur*, i. e. *opes*, *divitiae* Ies. 45, 14. 55, 2. Ps. 128, 2. cf. Gesen. ad h. v. לֹא יִמְצְאוּ־לִי עָוֹן: *non invenient mihi culpam.* מָצָא latissimo sensu occurrit de omnibus quae quolibet modo acquirimus, sic: *urbem occupare* 2 Sam. 20, 6., *fruges agri capere* Gen. 26, 12., *lucrum alicuius rei habere* 2 Sam. 18, 22., *doloribus et miseria affici* Ps. 116, 3. Ita etiam h. l. accipi potest pro: *comparabunt* s. *contrahent mihi.* לִי est dativus commodi. עָוֹן: *culpa* 14, 3. Gen. 15, 16. Ies. 5, 18. Sensus igitur est: *divitiae meae mihi non contrahent culpam* אֲשֶׁר־חֵטְא: *quemadmodum peccatum* i. e. *quasi peccatum fecissem.* אֲשֶׁר i. q. כַּאֲשֶׁר, cf. Ies. 54, 9. Ier. 33, 22. al. Sens.: *divitiae meae, quocunque modo eas paraverim, mihi non pro peccato reputabuntur.* LXX.: πάντες πόνοι αὐτοῦ οὐχ εὑρεθήσονται αὐτῷ δι' ἀδικίας ἃς ἥμαρτον, cuius versionis fere ne verbum quidem cum textu nostro convenit. Hieron.: *omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi* i. e. *quicquid peccavero, si habuero divitias, ab his, qui meo indigent auxilio, mihi non poterunt inculpari; secundum illud quod scriptum est: et qui iniqua gerit, benedicitur, divitum enim amici multi.* Interpretatio Hieronymo non digna. Chald.: *respondet ad id propheta: omnis vestra opulentia peribit vobis, quo tempore iusta fiet delictis vestris retributio.* Michaelis ita vertit: *desiderium et omnes desideratas et labore acquisitas opes non invenient mihi, scil. qui aequo animo rem consideraverint* (*i. e. impersonaliter*: *non invenietur*), *eiusmodi iniquitatem* (*i. e. delictum*), *quae adeo grave peccatum sit, quod tam acerbe reprehendi mereatur ut v. 8. factum est.* Idem Kuinoel brevius: *labores meos nemo iniustos et iniquos appellare poterit.* Verum haud scio an non haec explicatio durior etiam et verbis nexuique minus accommodata videatur nostrâ, licet nostra quoque ab omni duritate orationis vatem non prorsus liberet.

XII, 9. 10.

Eichhorn vertit: „mein ganzes Gut weiss nichts von Missethat, von nichts das Sünde wäre.“ Ita אֲשֶׁר־חֵטְא esset i. q. וְלֹא אֲשֶׁר־חֵטְא. Interpretatio certe non simplicior. De Wette: „unter all meinem Erwerb wird man kein Unrecht finden, das Sünde wäre“; quae intolerabilis esset tautologia.

10. Ostendit nunc vates quam stolida quamque impia sit eorum fiducia in divitiis fraude acquisitis collocata, qui habeant Deum tutissimum in omnibus calamitatibus auxilium, patres inde ab antiquissimis temporibus defendentem ipsosque adhuc defensurum. וְאָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ: *ego tamen Iehova sum Deus tuus tutelaris.* מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם: *inde a terra Aegyptiaca,* i. e. *qui vos tuitus sum inde ab eo tempore, quo in summa miseria versabamini Aegyptiaca servitute oppressi.* LXX.: ἐγὼ δὲ κύριος ὁ Θεός σου, ἀνήγαγόν σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου. עֹד אוֹשִׁיבְךָ: *adhuc s. ultra, etiam nunc te secure habitare faciam.* Oratio ita mihi cohaerere videtur: *Noli illis pravis artibus opibusque fallacibus fidere, historia et monitis prophetarum edoctus. Non auro nec argento contigit Israelitis ex Aegypto fugere et in securis sedibus habitare. Ego sum Iehova tuus, tutela et auxilium tuum inde ab illis temporibus. In me spera, per me enim, per me Deum tuum rursus secure habitabis, quamquam nunc vehementer turbatus es.* cf. 11, 6. 11. Sic omnia optime ad v. 7. pertinent. בָּאֳהָלִים: *in tentoriis,* quae h. l. pro *quovis domicilio.* Utitur propheta hac voce similitudinis gratia. *Ut enim prisca gens Iacobitica in tentoriis suis, periculis molestissimae migrationis per Arabicum desertum circumdata, secure degebat, ita vos quoque secure habitare volo.* Ceterum אֹהֶל etiam pro *domo* dicitur Ies. 16, 5. 33, 20., ut cognatum verbum מִשְׁכָּן Ies. 32, 18. ubi quidem semper notio securitatis primaria est. כִּימֵי מוֹעֵד: *ut temporibus festorum.* Secundum Hieronymum pluresque interpretes subintelligendum est *festum tabernaculorum, Scenopegia,* de quo Lev. 23, 34. al., חַג הַסֻּכּוֹת. Quae significatio optime convenit orationi vatis designantis futuram Israelitarum securitatem imaginibus ex itinere gentis per

desertum desumtis: tum tentoriorum, sub quorum tegmine viatores degebant tuti ab omni tempestatis et ferarum periculo, cum festi tabernaculorum, quod Deus ipse in deserto instituerat, ut post exactos graves messis labores grato in ipsum animo Deo accepta sacra facientes in tuguriis e frondibus viridibus constructis et otiosam et religiosam et iucundam vitam agerent. Omnis huius versus oratio ita composita est, ut vates ad tempora illa calamitosa respexisse videatur, de quibus 2 Reg. 15, 29. Tiglath-Pileserem regem Assyriorum regnum Israeliticum magna vi aggressum incolas superioris Galilaeae tribuumque Gileaditicarum bello captarum in exilium abduxisse narratur. Quam tristem rerum vicem se in melius versurum Iehova promittit, cum Israelitae ad sanam mentem redituri essent. Hieronymus: *sicut in eo tempore te de Aegypto liberavi et habitasti in tabernaculis ad terram sanctam et ad locum templi ire festinans, sic etiam nunc educam te de tribulatione et angustiis et imminente captivitate, si tamen feceris quae praecepi.* Al. מוֹעֵד latissima significatione capiunt, ita: *sicut diebus pristini temporis, ubi in desertis vos defendi;* al. denique verba esse minantis arbitrantur: *collocabo te e patria expulsum iterum sub tentoria, quemadmodum pristinae peregrinationis tuae tempore*, quod quidem longe a nexu orationis abhorret.

11. *Idem*, addit ex ore Iehovae, *vobis etiam per prophetas significavi, dum super iis locutus sum* i. e. *iis monita mea inspiravi*, cf. 1, 1., *visiones exhibui, parabolas per eos vobis proposui.* וְדִבַּרְתִּי עַל־הַנְּבִיאִים: *et locutus sum super* s. *ad prophetas*, scil. quae, si observaretis, vobis saluti forent: alia enim Deus loqui non potest. Cuius salutis exemplum postea v. 14. sigillatim refert. Praeterea omnino Deus peculiarem amorem promtissimamque servandi proclivitatem, modo pie sentiret et probe ageret, populo per prophetas declaravit, ne forte hic putaret, felicitatem se vel idolis, vel divitiis, vel viribus sociorum debere, cf. Num. 23, 19 — 22. Deut. 28, 1 — 14. Ios. 23, 8 — 13. עַל־הַנְּבִיאִים, non: *per prophetas*, uti Tremellius, quod grammaticae repugnat, sed: *ad prophetas.* LXX.: πρὸς προφήτας, *ut nem-*

pe sententiam meam intelligerent eamque populo significarent.

Verum, pergit, non tantum locutus sum, sed me demittens ad vestram imbecillitatem חָזוֹן הִרְבֵּיתִי: *visiones multas vobis protuli.* Visiones enim, somnia et alia qualiacunque phaenomena optica, regionibus Orientalibus haud aliena, singulari autem Dei cura ad commovendum populum saepius emissa, illis gentibus semper signa erant divinae praesentiae. Plures praeterea visiones coram animis prophetarum produxit, quas isti populo exponerent, cf. Amos. 3, 7. 2 Reg. 17, 13. וּבְיַד הַנְּבִיאִים אֲדַמֶּה: *et per prophetas parabolis* s. *similitudinibus locutus sum.* Bene monet Michaelis ad h. l. trium verborum huius versus esse unum idemque tempus, quamquam duo priora in praeterito, tertium in futuro legantur, idque praeteritum. Nam tota oratio continet commemorationem rerum in facto positarum. De significatione verbi nostri admodum differunt inter se interpretes. Alii, qui illa praeterita, hoc futurum innuere censent, ita vertunt: *pari modo etiam porro cum iis per prophetas loquar.* Alii putant esse: *excidi* (cf. 4, 5. 10, 7.), ut vel sit: *per prophetas excidium et devastationem iis minatus sum* (ita Eichhorn, quemadmodum 6, 5. הֲרַגְתִּי), vel ex alia interpretatione significet: *penitus percussi eos.* Hieron.: *assimilatus sum* i. e. *hominibus similem me praestiti.* Dathe: *qui sim per prophetas declaravi.* Verum nulla harum explicationum simplex et textui orationis ita accommodata est, ut nostra a plerisque recentiorum, v. c. Michaele, Drusio, Grotio, Rosenmuellero, prolata. Similitudinibus et parabolis loqui erat et usitatissimum vatibus et plebi probatissimum, cf. Ies. 5, 1 sqq. Ez. 16. et noster ipse fere in quolibet commate. Adhibetur autem verbum ex significatione Thren. 2, 13. Ies. 40, 18. 25. Ier. 6, 2.

12. *Qui aliter sentiunt, vana sectantur.* Particulam אִם significare *utique, profecto* Mollerus, Drusius, Noldius contenderunt, et quamquam interpretes negaverunt hanc subinde esse huius particulae significationem, v. c. Tarnovius et Rosenmueller ad h. l., tamen plures loci V. T. reperiuntur, qui eam servare iubeant,

v. c. Prov. 3, 34. ubi in oratione affirmativa quodlibet prius membrum versuum 32—35. directam et in se absolutam enunciationem, cum posterioris illi contraria copula ו *sed* coniunctam exhibet; Iob. 19, 5. ubi ad augendam affirmationem et ad vim particulae אם clarius constituendam אם־אמנה componuntur; 39, 13. ubi particula אם gravem et amplam descriptionem ciconiae incipit; Ier. 31, 20. ubi verba אם־ילד שעשעים diserte responsionem praecedentis quaestionis: *nonne Ephraim pretiosus mihi filius est?* continent; Gen. 47, 18. ubi fatum triste incredibile dictu ab Aegyptiis Iosepho relatum bis repetita particula אם, ut in communi vita fieri solet, affirmatur. Huc accedit notissima forma כי־אם *sed* Ier. 31, 30. Prov. 23, 17. 18. Ps. 1, 2. al. quae intelligi non posset nisi אם vim affirmantem habuisset. Non igitur opus esse mihi videtur ad Gesenii sententiam confugere, qui hoc et nonnullis aliis locis אם ita positum esse statuit, ut sit: *nonne?* Praeterea h. l. utrumque membrum, אם־גלעד און et אך־שוא היו בגלגל, in parallelismo legitur. Cum autem אך praeter omnem dubitationem sit: *profecto*, cf. Ps. 62, 2. cet., אם idem significet necesse est. Vates enim his verbis gravissimo modo suis inserere vult: *studia, quibus in Gileaditicis regionibus et Gilgale incumberent, esse vanissima, siquidem unum verum et diuturnum auxilium sit Deo fidere et prophetas sequi* v. 7. 10. 14. גלעד ponitur pro בגלעד, quod usitatissimum est vati nostro ubi de qualicunque regione sermone est, cf. v. 13. 2, 16. 7, 11. 8, 9., et sequens בגלגל postulat. Gilead est regio Trans-Iordanensis, hominibus fraudulentis et insolentibus repleta, 6, 8., quae licet irruptione Tiglathpileseris depopulata, 2 Reg. 15, 29., tamen tunc temporis non omnibus incolis orbata fuisse videtur. Utrumque nomen proprium Gilead et Gilgal pro universo regno Israelitico, illud pro Trans-Iordanensi, hoc pro Cis-Iordanensi, positum, Gilgal autem prae ceteris ob similitudinem soni, ex quo etiam paronomasia tertii nominis גלים vati placuit, illi adiunctum est. און et שוא idem

XII, 12.
significant, *vanitatem*. Utrumque e primaria significatione, illud Prov. 22, 8. Ies. 41, 29. Zach. 10, 2. cf. Gesenius ad h. v., hoc Ies. 59, 4. Iob. 15, 31. Ps. 12, 3. Eidem iniuncta est simul notio mendacii Ps. 24, 4. al. De urbe et idololatria Gilgalis vid. 4, 15. הָיוּ: *sunt*: *In Gilead et Gilgal sunt vanitates* i. e. *vana sunt, quibus studet et quae requirit perversa gens illarum regionum*, scil. universi regni Israelitici; vel potius, quia praecipue אָוֶן semper fere ad simulacra inania spectat: *vano cultui addicti sunt*, i. e. *quos in regionibus illis colunt deastri inopes et mendaces se gerent*. Ut autem sequentia שְׁוָרִים זִבֵּחוּ cum praecedentibus cohaereant, iterum relativum suppleri debet: *quibus* scil. locis i. e. *ubi boves immolant*, nimirum idolis, ad sibi conciliandam eorum benevolentiam auxiliumque. Ita enim prophetas negligunt et spretis eorum monitis vana tantum sectantur, cf. Ier. 2, 13. *Sacrificia boum* sine dubio per synecdochen partis pro toto *universi cultus superstitiosi* loco commemorantur.

In altero commate versus nostri addit vates quasi in parenthesi, quanta sit eorum superstitio: nam *altaria eorum* scil. Israelitarum *sunt quasi acervi super sulcis agri*. Ita magnus numerus eorum designatur. גַּלִּים omnes fere interpretes *acervos lapidum* in negotio agrorum purgandorum congestos esse putant: saepius enim cum et sine adiecto nomine אֲבָנִים eadem significatione occurrunt, cf. Gesen. ad h. v. שָׂדָי: *agri*, pro שָׂדֶה, cf. 10, 4.

Interpretes in interpretando hoc versu in varias partes abierunt. Plerique particulam אִם vel coniunctionem conditionalem vel interrogativam esse putarunt. Illi pro vario modo verba coniungendi et separandi varios sensus invenere, v. c. Michaelis: *si Gileaditae pravitati et idololatriae dediti tantum vani et frustra fuerunt, simili insania Ephraimitae in Gilgal boves immolant*. Dathe, Grotium secutus: *si in Gileaditica regione, quam vana sit idololatria, cognitum sit* (nimirum expeditione Tiglathpileseris 2 Reg. 15, 29.), *sane temerarie agunt, qui Gilgale boves immolant*. Rosenmueller: *si Gileaditae pravitati et idolorum cultui de-*

diti sunt, omnino vanitas facti sunt. In Gilgal boves immolant. Hi ita vertunt: *num* s. *nonne in Gilead iniquitas? certe vanitas sunt!* vid. Tarnov. ad h. l. Alii comminationem futurarum poenarum versui nostro subiiciunt, v. c. Eichhorn: „Da dennoch Gilead ein Gräuelland geworden ist, so wirds gewiss Zerstörung treffen: da sie zu Gilgal Stiere opferten, so werden ihre Altarstätten wie Haufen Steine auf der Aecker Furchen werden". Nuperrime F. I. V. D. Maurer (Observv. in Hoseam, in Commentatt. theoll. Rosenmuelleri et Maureri 1827, Tom. II, p. 1.) novam coniecturam emisit. Pro אם legendum esse suadet אֵם, quae vox significet *metropolin,* quemadmodum 2 Sam. 20, 19. et fortasse etiam 2 Sam. 8, 1., nimirum urbem Gileaditarum מִצְפָּה Iud. 11, 29., hoc sensu: *Urbs regionis Gileaditicae Mizpa impie egit, imo sceleste faciunt (incolae), in Gilgale boves mactant, imo tot aras habent quot etc.* Sed missis reliquis, an nomen אֵם sine aliqua certiore nota hoc sensu accipi possit, vix credam. Eadem ratio mihi esse videtur quae nominis מָגֵן 4, 18. Plura de his vid. ap. Rosenmuell. ad h. l. LXX. quidem locum nostrum admodum corruperunt versione: *εἰ μὴ Γαλαὰδ ἐστιν, ἄρα ψευδεῖς ἦσαν ἐν Γαλαὰδ ἄρχοντες θυσιάζοντες, καὶ τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν ὡς χελῶναι ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ.* Pro שְׁוָרִים igitur legerunt שָׂרִים et quoniam pro אָוֶן habent ἐστίν, Drusius satis ingeniose autumavit aliquando scriptum fuisse Γαλαὰδ ὤν, pro more eorum בֵּית־אָוֶן vertendi οἶκον ὤν, ex quo, quod minus aptum visum fuisset librario, ἐστίν ortum esset. Ad defendendam autem vocem χελῶναι: *testudines* bonus Hieronymus addit: *cum Israelitae in captivitatem fuerint abducti, arae quoque eorum absque cultoribus testudinum et tumulorum habebunt similitudinem.* Hieronymus ipse: *si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes,* i. e. *si in Galaad falsi sunt Dii et perversa religio, et est trans Iordanem, ubi duae et dimidia tribus habitant, ergo et Galgale, quicunque idola colunt non boves diis immolant, sed bobus offerunt sacrificia imitan-*

tes errorem Samariae. Putarunt interpretes praeeunte Hieronymo Gilgalem fuisse oppidum duarum tribuum et sic indicari omnes 12 tribus pari idololatriae errore deceptas fuisse. Verum quamquam in tota nostra prophetia vates aeque Israelitas ac Iudaeos increpat, v. 1. 3., tamen tunc temporis Gilgal non ad Iudaicum sed ad Israeliticum regnum pertinuit; vid. 4, 15.

13. Redit nunc vates ad exemplar Iacobi, quod in hac prophetia sibi proposuisse videtur, quod quidem tam laxa manu tenuit, ut difficile sit eum sequi. Hunc versum ita cum praecedentibus cohaerere puto: *Videtis ex ipso exemplo Iacobi, quid sit sibi fidere, insidiari aliis, incerta commoda praeferre prophetis cultuique divino. Iacobus enim irâ fratris excitatâ ab eo in terras barbaras fugere coactus fuit. Idem animo ad uxorem ducendam admoto per 14 annos servitii iugum tulit.* Doleo me hac explicatione iterum ut v. 4. contradicere doctissimis interpretibus, qui et hunc versum in laudem Iacobi verterunt. Verum quo attentius et diligentius omnem prophetiam legisse et relegisse mihi videor, eo certius persuasum mihi est prophetam nil aliud dicere voluisse. Sermo est de aliqua parte fatorum Iacobi in illa tempora incidente, ubi nec invenerat nec inventum cognoverat Iehovam v. 4—6. Illo tempore Iacobus in pietate et benevolentiă, חֶסֶד וְדַעַת יְהוָֹה, a vate saepius tanquam signis veri Israelitae prolatis 4, 1. 6, 6. cet., incertus fuisse describitur. In utero enim matris insidiatus est fratri, cum Elohim autem luctatus ad Maleach lacrymis precatus est. Iisdem vitiis quae in Iacobo tantum emergere conabantur, suo tempore quidem egregie oppressis, Israelitae temporibus vatis obdurati erant. Res igitur ipsa favebat, ut vates patriarcham Iacobitis exemplum ante oculos duceret. Ut enim Iacobus ad meliorem frugem rediit, ita eius posteri etiam redire poterant. Non autem sufficit *mores* Iacobi a vate typico modo prolatos esse, profert item exempli in gratiam *fata* quae ille susceperat. *Fratri insidiatus fugit in terram barbaram, mulierem quaesiturus servus fit.* Contra *qui probus et pius monitis Dei obtemperat, ducitur ad patriam, qui Deum quaerit, servatur.* Luculentissima est oppositio membro-

rum adeoque verborum in hoc nostro et sequente versu: *Iacobus fugit — Israelitae redeunt in patriam; Iacobus nondum Deo fisus terram barbaram intrat* (quod historia probatur: nam Gen. 28, 29. 30. in itinere tunc demum se Deo dedicaturum esse promisit, si Deus se conservavisset, victum et vestitum sibi dedisset seque incolumem reduxisset) — *Israelitae e terra barbara ducuntur per Iehovam ope prophetae*; *Iacobus custodivit — Israelitica gens custodita est*; *Iacobus per mulierum servus est — Israelitae per prophetam servati sunt.* נִשְׁמָר—שָׁמָר; בְּנָבִיא—בְּאִשָּׁה. Nos quidem varia praepositionis ב in בְּאִשָּׁה et in בְּנָבִיא significatio offendit. Verum Hebraeus poeta non nostrarum sed suae linguae ingenium, ubi praep. ב et *per* et *propter* indicat, consuluit, quod idem oppositioni commodissimam occasionem praebuit. Nostrum est enunciationibus nobis usitatis sententiosam brevitatem vatis si non assequi, tamen imitari. Cuius rei periculum versione Latina feci.

Interpretes omnia in laudem Iacobi vertere volentes suam non vatis sententiam ita exposuerunt, ut contenderent alteram partem orationis supplendam esse, nimirum vel: Iacobum propterea a Deo servatum, liberatum, divitem in patriam reductum esse, quia pius et probus esset (vid. Tarnovium, Kuinoel, al.), vel: eum nihilominus semper pium et probum fuisse, quamquam tantas calamitates passus esset (vid. Eichhorn.). Verum de his omnibus nihil legitur, contra de pietate patriarchae adhuc tempore reditus e Mesopotamia valde dubitandum erat cf. v. 4. 5. Reductio autem in patriam et divinum auxilium non in Iacobo sed in eius posteris laudatur v. 14. Nec video cur non ante omnia scriptorem ita tractemus, ut eum verbis bene consideratis a culpa inexcusabilis reticentiae liberemus? Nec ita vati aliquid pietatis et reverentiae erga atavum demitur. Semper laus et honor Iacobo manet, invenisse Iehovam Bethele v. 5. eiusdemque inde ab hoc tempore candidissimum fuisse cultorem. Quae posteri praeter Hoseam de iuvene atavo statuerint, nobis ignotum est. Sunt quidem commenta in monumentis Rabbinorum, quae in contumeliam Iacobi audiant, v. c. Iacobum in eligenda sibi sorte praetulisse Gehennam, ut in vita nostra com-

mode vivere posset, opinatum dolores exilii et miseriam huius terrae esse multo maiores doloribus Gehennae, hunc suum errorem tunc demum deposuisse, cum Iosephum filium mortuum et Gehennae traditum credidisset, cf. Eisenmenger entdecktes Iudenthum II, 4. p. 262. Huc pertinet aliud commentum, diabolum Sammael fuisse qui cum Iacobo luctaretur, ibid. II, 18. pag. 845. Verum omnia eorum commenta tam ridicula sunt, ut nihil certi inde effici possit. Sufficiant nobis, quae vates nostro loco exhibuit.

וַיִּבְרַח יַעֲקֹב שְׂדֵה אֲרָם. Copula ו non ad יִבְרַח sed ad יַעֲקֹב pertinere videtur: *Iacobus etiam fugit.* Sic indicat continuationem effigiei Iacobiticae. שְׂדֵה אֲרָם e more usitato pro בִּשְׂדֵה s. לִשְׂדֵה cf. v. 5. 12. cet. Fugit nempe Iacobus in Mesopotamiam s. Syriam fratrem sibi iratum Gen. 35, 7. cf. 28, 5. Loca, in quae fugit Iacobus, ibi vocantur פַּדַּן אֲרָם, quod fere idem est, *regiones campestres Syriae*, oppositae montosis versus Occidentem porrectis. Illae sunt Orientales trans Euphratem sitae, cf. Michaelis ad h. l. LXX.: πεδίον Συρίας. יִשְׂרָאֵל nomen serius ad auferendam contumeliam adeo a nomine patriarchae datum. בְּאִשָּׁה: *propter mulierem*, quoniam nil ipsi curae cordique erat, quam ut uxorem duceret. וַיַּעֲבֹד: *servivit*, nimirum Labani. Eiusdem causa שָׁמַר: *custodivit* i. e. *pavit* scil. צֹאן, quod additur Gen. 30, 31. cf. 1 Sam. 17, 20. Gregem Labanis patris Leae et Rahelis pavit Iacobus, qui demum servitio 14 annorum eo pervenit, ut utramque in matrimonium acciperet Gen. 29, 20. 27. His utique calamitates Iacobi vates designat, verum non, ut interpretes volunt, ad augendum eius meritum, sed ad indicandum finem, ad quem anceps pietas homines ferat.

14. Iam e vita Iacobi ipsa commemorare potuisset, quomodo res eius in melius mutatae essent, postquam cultui Iehovae se suosque dicasset. Verum inhaerere voluit sententiae v. 11. significatae: *audiendos esse prophetas, ut ab iis discas Iehovam cognoscere et colere*, habuitque oppositionem poeticam in אִשָּׁה quae patri-

archam in servitutem duxit, et in נָבִיא qui eius posteros e servitute liberavit. Quae igitur praeclare acta sint non cum patriarcha ipso, sed cum Israele per posteros propagato i. e. cum populo Iacobitico Deo se submittente, vates celebrat. Is *non fugit ad paganos, sed a paganis liberatus in terram Iovae profectus est; is non servivit et custodivit, sed ipse custoditus est.* Idque propterea, quoniam pia mente et obedientia prophetam Dei interpretem ducem et praeceptorem adscivit. בְּנָבִיא: *per prophetam* Mosen, qui et expressis verbis propheta vocatur Deut. 18, 18. 34, 10. et ita describitur ut signa prophetae in eo agnoscantur Exod. 4, 15. Num. 12, 6 — 8. יִשְׂרָאֵל. Tenuit vates nomen patriarchae ad designandos eius posteros, quasi unum idemque essent quae patri et quae nepotibus evenissent, et quae his contigissent divina praesidia quasi illi contigisse viderentur. הֶעֱלָה מִמִּצְרָיִם: *ascendere fecit ex Aegypto* i. e. *eduxit eos.* Saepius enim in V. T. *ascendere* dicuntur qui ex Aegypto in Canaanem migrant Iud. 6, 13. 1 Sam. 12, 6., contra *descendere*, qui inde Aegyptum tendunt Gen. 12, 10. 26, 2. וּבְנָבִיא נִשְׁמָר: *et per prophetam custoditus est.* Elegans paronomasia in verbo isto inest. V. 13. dixerat: *Israel atavus custodivit* scil. greges, nunc addit: *ipse, posteri eius, populus nomen eius gerens, custoditus est* i. e. *incolumis servatus in omnibus periculis ipsi imminentibus, quemadmodum grex per pastorem defenditur*, cf. Ps. 116, 6. 1 Sam. 2, 9. LXX. parallelismum verborum servarunt sensum quidem non consulentes. Versu 13. habent ἐν γυναικὶ et v. 14. ἐν προφήτῃ. Postquam igitur vates commemoravit, quid tum Iehova per prophetam fecerit iis, qui duci ab eo passi fuerint, per se efficitur idem hodie per prophetas fieri posse, modo prophetis obsequium praestent eosque sequantur, nec opus esse curâ divitiarum v. 9. fraudibus et idololatria v. 10., quae contra in miseriam homines abripiant.

15. Verum omnia exempla populum non commovent, peccare enim pergit. Id h. l. ita significatur: הִכְעִיס אֶפְרַיִם תַּמְרוּרִים. Duo priora verba omnes inter-

XII, 15.

pretes verterunt: *Ephraim Dei iram provocavit.* Nec video, quid aliud significare possint, quamquam omissio subiecti irati non placeat. Ex peculiari usu verbum הִכְעִים *Dei iram provocare* indicasse videtur, cf. 2 Reg. 21, 6. 23, 19. Ps. 106, 29., licet aliis locis persona irata addatur, cf. 2 Reg. 23, 26. 21, 15. 17, 17. Consulto posuit vates post יַעֲקֹב et יִשְׂרָאֵל nomen אֶפְרַיִם, ac si mutato nomine et persona nunc etiam mores in peius mutati essent. תַּמְרוּרִים iterum difficiles sunt intellectu; ex etymologia vocis (a radice מָרַר ortae): *amaritudines.* Hinc supplent alii praep. לְ, cf. Drusius: *ad amaritudines* i. e. *ut amarae poenae a Deo iis inferantur*, alii בְּ: *per amaritudines,* i. e. *peccata amara*, cf. Chald.: *provocarunt ad iracundiam peccare adiicientes*, item Hieron.: quae posterior significatio certe aliis duobus locis non convenit, ubi idem nomen legitur, Ier. 6, 26. et 31, 15. *acerbitatem doloris* significans. Est alius locus Ier. 31, 21. ubi iuxta צִיֻּנִים: *columnas, indices viarum* positum fere idem significare videtur. Unde nonnulli, v. c. Kimchi et Lutherus illum secutus, h. l. putarunt esse: *statuas deastrorum*, ita: *irritavit me Ephraim sua idololatria.* Verum et hoc est in coniecturis non probandis. Melius Gesenius in Lex. ad h. v. nomen illud adverbialiter positum esse docet ita: *amare me ad iram provocavit.* Item Dathe: *vehementer me ad iram provocarunt.* LXX.: ἐθύμωσεν Ἐφραὶμ καὶ παρώργισε, pro quo al. codd. παρώργισέ με Ἐφρ. ἐν τοῖς παραπικρασμοῖς αὐτοῦ, quod etiam Hieronymus habet: *ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis.*

וְדָמָיו עָלָיו יִטּוֹשׁ: *et reatum caedis*, scil. quam sibi contraxit, *super eo relinquet* i. e. *eum non a poena liberum declarabit.* Simili modo דָּמִים: *caedes* 1, 4. 4, 2. Ies. 1, 15. Verum iterum non apparet, quomodo vates ad caedes venerit, cum in toto capite de fraude quidem et impietate, verum non de caedibus sermo fuerit. Fortasse *caedes* tantum in specie dicuntur pro *atrocissimis facinoribus*, quibus utrumque regnum repletum fuisse scimus cf. 4, 2. 6, 10. 11. נָטַשׁ est aeque in-

certae significationis atque Lat. *relinquere*. Est enim vel: *sinere ut apud aliquem maneat*, qui eo utatur aut eius vim sentiat (sic sigillatim cum praep. עַל construitur 1 Sam. 17, 20. 22. 28.), vel: *aliquid non curare, negligere* Exod. 23, 11. 1 Sam. 10, 2. Prov. 17, 14. adeo: *indulgere, remittere*. Nehem. 10, 32. Oratio significationem indicat. H. l. cum praep. עַל constructum et cum sequentis commatis comminatione divinarum poenarum coniunctum ita explicandum esse censeo: *sinere ut culpa caedium ei inhaereat*; quam interpretationem Rosenmueller loco parallelo Ion. 1, 14. aptissime probavit, cui insuper addatur Deut. 21, 8. Michaelis ex altera verbi significatione ita: *sanguines eius non curabit Dominus, nec ab hostibus effusum sanguinem vindicabit*. Eodem modo Dathe, Kuinoel, Boeckel. LXX.: τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐπ᾽ αὐτὸν ἐκχυθήσεται. Hieron.: *sanguis eius super eum veniet*. חֶרְפָּתוֹ: *opprobrium* i. e. *contumeliose facta eius, quae ipsi opprobrio sunt*, cf. Mich. 6, 16. יָשִׁיב לוֹ אֲדֹנָיו: *retribuet ipsi eius dominus Iehova*, i. e. *eos ob peccata commissa puniet*, cf. v. 3.

XVIII.

Cap. XIII, 1—15.

Cum Ephraim horrendas suas institutiones ederet, horrenda in totum Israelem intulit, qui postea cultus Baalitici reus periit. 2. Nunc peccare pergunt facientes sibi simulacra ex argento suo pro sua quisque intelligentia; idola, quae nihil omnino sunt quam opus artificis. Haec illi adorant, homines immolant, vitulos osculantur. 3. Propterea sortem habebunt nubis matutinae, roris sub ortum solis existentis, paleae, quae ex area, fumi, qui per aedium foramina vento aufertur. 4. Ego

vero sum Iehova tuus inde a temporibus Aegyptiacis, nec Deum alium praeter me cognosces, nec salvatorem praeter me solum. 5. Curam tui habui in deserto, in terra arida, 6. quae illis velut pascuum opimum fuit. Saturati sunt; ita saturati ut animus ipsorum se efferret; qua animi elatione mei obliti sunt. 7. Tum autem iis fui velut leo ferox, velut pardus in viis Assyriae. 8. Occurri iis velut ursa catulis orbata, disrupi eorum praecordia, ibique eos quasi leaena devoravi, ac si bestia agrestis eos discerperet. 9. Israel, haec causa est tuae perniciei, quod contra me, contra auxilium tuum peccavisti! 10. Fui scilicet rex tuus in omnibus tuis urbibus incolumes servans te et iudices tuos, quos flagitasti, ut darent tibi regem et principes. 11. Dedi tibi regem indignabundus, et in fervore meo eum abstuli. 12. Iam colligata est impietas Ephraimi, clam asservata eius nequitia. 13. Dolores puerperae ei supervenient; quin ipse infans est insipiens, quippe qui non persliterit in ore matricis tempus maturitatis non exspectans. 14. E faucibus infernorum eos redemi, a morte eos vindicavi. Fui pestis tibi, mors, fui exitium tibi, sepulcrum! At nunc omnis misericordia a me aberit. 15. Siquidem ille fructus quidem egregios inter fratres progerminavit: at veniet Eurus ventus Iehovae e deserto oriundus, arefacturus eius scaturigines, exsiccaturus fontes, depraedaturus omnes pretiosas opes, quibus animus eius delectatur.

Cohaerent hoc et sequens caput arctissime, et finem omnium orationum vatis exhibere videntur. Quamquam enim non una serie sed multis temporum inter-

vallis vaticinia exhibuerit, tamen aliquando se discessurum e vita et munus propheticum in manus aliorum depositurum esse sensit. Itaque summam omnium dictorum repetiit, Dei benignitatem describens, malos mores pingens, impetu amoris suos compellens, ut servarent quae adhuc servari possent, antequam eorum res et imperium funditus delerentur. Ne autem de felicitate desperarent, eorum spem ad egregiam sortis mutationem, quam Deo fideles experturi essent, direxit 14, 6 — 9. et sic cum fortuna eorum in ipsis eorum manibus deposita finem fecit v. 10. Ut autem haec vaticinia postrema Hoseae fuisse videntur, ita inciderunt in postrema tempora regni Israelitici, cf. introd. p. 97., cuius excidium num viderit Hoseas non liquet. Id autem certum est, eum post excidium nil amplius scripsisse.

1. Incipit vates orationem ab initio depravationis et miseriae, a cultu vitulorum per Ierobeamum instituto 1 Reg. 12, 28. כְּדַבֵּר: *quemadmodum locutus est*. אֶפְרַיִם, quae unus e tribu Ephraimi fecit, Ierobeam illa stirpe ortus, ea transferre vates videtur ad omnem stirpem Ephraimiticam. Sermo est de fonte omnium malorum, idololatria, quae iam a Salomone non improbata, post solenni Ierobeami decreto constitutionis politicae si non fundamentum certe pars integra facta est. Apte appellat vates *horrenda verba*, quae Ierobeam 1 Reg. 12, 28. ad populum locutus est: *ecce deos vestros, qui vos ex Aegypto duxerunt*. Quae eadem est Schmidtii sententia: *non enim*, ait, *credi potest mentionem hic fieri Baal, nec quidquam praemitti de vitulis illis qui adeo prophetae nostro odiosi sunt 8, 5. cet., nec de alio tempore accipi potest, quam quo Ephraim a Iuda divisus est. Sensus est: cum primum instituit Ephraim tempore Ierobeami I., qui perpetuam ignominiae notam eo ipso meruit, illum horrendum Dei cultum per vitulos etc.* רְתֵת, propie רֶטֶט (Ier. 49, 24. a Chald. rad. רְטַט: *contremuit*, mutatis inter se cognatis consonantibus): *tremor, horror*, abstractum pro concreto: *res horrenda*, ad utrumque membrum pertinet: *cum Ephraim res horrendas loqueretur, res horendas in omnem Israelem* i. e. *in omnes reliquas tribus regni Israe-*

XIII, 1.

litici intulit. Duplex igitur sensus est vocis רְתֵת. Ierobeam locutus est *verba horrenda* et in Israelem *horrendam idololatriam* intulit. Ut posterius membrum cum priori cohaereat, desideratur copula כֵּן diserte addita v. 7. כ—כֵּן, *quemadmodum — ita*, cf. introd. p. 102. נָשָׂא: *tulit*, primaria et generalis significatio huius verbi. *Tulit horrenda sua in Israelem.* i. e. *effecit ut Israelitae horrenda illa susciperent.* Hieron. sic vertit: *Loquente Ephraim tantus horror invasit Israelem, ut delinqueret et Deum offenderet in Baal et moreretur, perdens eum qui dicit: ego sum vita Ioh. 14, 6., anima enim quae peccaverit, ipsa morietur, et iterum: vidua quae in deliciis est, vivens mortua est 1 Tim. 5, 6.* LXX.: κατὰ τὸν λόγον Ἐφραὶμ δικαιώματα ἔλαβεν αὐτὸς ἐν τῷ Ἰσραὴλ καὶ ἔθετο αὐτὰ τῇ Βάαλ, admodum obscure et sic variante lectione, ut exhibuerint דָּת (*lex, edictum* Esth. 1, 13. 3, 14.) pro רְתֵת, et וַיָּשֶׂם pro וַיֶּאְשַׁם. Chald.: *cum loqueretur unus ex Ephraimitis, tremor apprehendit populos, quod principes fuerint in Israel; nunc vero quia peccaverunt in eo quod idola coluerunt, neci traduntur.* Alii: *cum Eph. adhuc cum timore et tremore nec contumaciter et superbe Deo obloqueretur, extulit se s. sustulit caput suum et ad regni dignitatem evectus est.* Alii verba נָשָׂא הוּא בְּיִשְׂרָאֵל in parallelismo cum sequenti commate posita esse putant, ut sint: *portavit ipse horrendam suam culpam et poenam cum reliquo Israele.* Verum nostra interpretatio simplicior et aptior tam verbis quam historiae a vate h. l. spectatae videtur. Eichhorn alio modo significationem verbi נָשָׂא totiusque commatis accepit: „Wenn Ephraim sonst redete, erhob er Schrecken unter Israel.“ Ubi autem vates antea dixerat: *Ephraimum tulisse horrendas suas institutiones in Israelem,* nunc culpam addit ab Israele ipso contractam. וַיֶּאְשַׁם בַּבַּעַל: *ipse Israel reus factus est per Baalem* i. e. *cum cultui a Ierobeamo instituto insuper cultum Baalis adderet,* quod primum ab Ahaso factum est 1 Reg. 16, 32. Copula ו habet h. l. eandem vim relativi quam v. 10. 14, 3. al. Signif. verbi אָשַׁם vid.

4, 15. *reum fieri, sontem se facere.* וַיָּמֹת: *et mortuus est* i. e. *infelices obierunt qui ita idololatriâ se contaminaverunt.* Verba enim מוּת et מָוֶת frequenter apud sacros scriptores involvunt notionem infelicitatis, cf. Am. 2, 2. Prov. 15, 10. 11, 19. Ies. 25, 8. Valet haec descriptio sigillatim de omnibus fere regibus idolorum cultoribus, quos propheta quasi horrendae superstitionis duces ad exemplum Ierobeami Ephraimitici in animo habuisse videtur. Michaelis ita exponit: *adeo afflictus a Deo et pressus ab hostibus fuit Israel, ut quasi animam ageret, aut vix cadaver aliquod reipublicae relinqueretur.*

2. Quae de patribus dixerat idololatriam instituentibus, eadem nunc de posteris eorum profert. Hi enim institutis perversis nova addunt scelera. וְעַתָּה יוֹסִפוּ לַחֲטֹא: *nunc addunt peccare* i. e. (e ratione loquendi asyndeta): *iterum peccant* s. *peccare pergunt.* Eorum peccatum idem est quod Ierobeami, Ahasi et reliquorum. *Fecerunt sibi simulacra,* מַסֵּכָה, singularis collectivus, ut saepius, a נָסַךְ: *fudit, fusile, fusa imago,* cf. Exod. 32, 4. 8. Deut. 9, 12. Iud. 17, 3. 4. בִּתְבוּנָם, pro quo multi codd. ap. de Rossium et Kennic.: כִּתְבוּנָם, sensu eodem: *secundum* s. *iuxta intelligentiam suam.* LXX. Chald. et Hieron. in ista voce repererunt notionem imaginis s. similitudinis. LXX. et Hieron.: κατ᾽ εἰκόνα εἰδώλων. Itaque legisse videntur: בִּתְבוּנַת עֲצַבִּים. Chald.: *ad similitudinem suam.* עֲצַבִּים iterum *simulacra,* eaque *lignea,* a verbo עָצַב: *elaborare, formare,* unde עֵץ: *lignum.* Haec bene fusilibus opponuntur: nam etiam e ligno facta esse simulacra apparet e 4, 12. Hab. 2, 9. Ies. 40, 20. מַעֲשֵׂה חָרָשִׁים: *opus artificum,* cf. 8, 6.; cum contra Iehova a nemine vitam habeat Ies. 44, 6., ab aeterno fuerit Ier. 10, 10., omnibus vitam det Ies. 45, 12. כֻּלֹּה pro כֻּלּוֹ: *universitas eius* i. e. *omnes.* Codd. variant in lectionibus כֻּלֹּה כֻּלּוֹ et כֻּלָּם v. de Rossi ad. h. l.

לָהֶם הֵם אֹמְרִים: *his* (sc. idolis) *illi* (sc. impii) *ver-*

XIII, 2.

ba faciunt. אָמַר dicitur de *verbis in honorem Dei faciendis* 14, 3. Ps. 40, 11. 145, 6. 11. sicut Ies. 3, 10. אִמְרוּ צַדִּיק: *laudate iustum.* Ergo h. l.: *iis verba faciunt* i. e. *in eorum honorem laudes et vota edunt.* Omnino Latinum verbum *adorare* sensum huius Hebraici optime exhibet, cuius propria significatio, *verba ad aliquem facere*, ad honoris significationem translata est. Subiectum agens huius versus sunt *Israelitae idololatrae*, ad quos pronomen הֵם pertineat necesse est. Hinc sequitur לָהֶם spectare obiectum orationis, scil. עֲצַבִּים *idola.* Alio quidem modo omnes fere interpretes vertunt, vel: *de his idolis illi idololatrae dicunt*, vel: *istis idololatris illi sacerdotes s. falsi prophetae dicunt.* Utroque autem modo sequentia verba putant esse vel imperativa vel consultativa, v. c. Hieron.: *his ipsi dicunt: immolate homines vitulos adorantes.* LXX.: αὐτοὶ λέγουσι, θύσατε ἀνθρώπους. Iidem praep. לָהֶם ad praecedens trahunt; habent enim antea ἔργα τεκτόνων συντετελεσμένα αὐτοῖς. זֹבְחֵי אָדָם *homines immolant*, cf. 9, 10—12. 2 Reg. 17, 17. 31. Ez. 23, 37. 39. Ps. 106, 37. 38. Totus versus constat e brevibus enunciationibus, quarum tres posterioris membri varios superstitionis modos indicant. Cum enim verba אוֹמְרִים et זֹבְחֵי eadem orationis forma posita sint, in significatione quoque sibi non respondere non possunt. Alia est forma verborum עֲגָלִים יִשָּׁקוּן; est enim non participium, sed futurum; verum quoad sensum et verborum vim illis parallela sunt: *vitulos osculantur.* Cum impietate simul vesania cultus indicatur: *homines immolant et bestias amanter tractant, osculantur*, a quo sana mens abhorret. Dicitur *osculari* de cultu Baalis 1 Reg. 19, 18. fortasse etiam Iob. 31, 27. LXX.: μόσχοι γὰρ ἐκλελοίπασι, quae Hieron. ita intelligit: *daemones loquuntur ad populum: deficientibus hostiis homines immolate.* Plerique recentiorum interpretum his tribus posterioribus commatibus vim gnomicam abnegarunt, v. c. Eichhorn: „zu deren Ehren sie ermunternd sprechen, wer opfern will, der küsse Kälber."

3. Propterea יִהְיוּ כַּעֲנַן־בֹּקֶר: *erunt quasi nubes matutina*, i. e. *sortem eius habebunt*, cf. 6, 4. ubi eorum pietas eadem imagine pingitur. Omnis oratio docet h. l. de Israelitarum rebus et politicis et domesticis sermonem esse. כְּמֹץ יְסֹעֵר, deest relativum, ut saepe, pro: אֲשֶׁר יְסֹעֵר: *ceu palea, quae a procella aufertur.* Imago scriptoribus sacris usitata, cf. Ps. 1, 4. 35, 5. Ies. 41, 15. 16. וּכְעָשָׁן מֵאֲרֻבָּה, iterum duplex ellipsis אֲשֶׁר יְסֹעֵר: *quasi fumus qui aufertur in fumario.* Hieronymo אֲרֻבָּה est *foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur;* saepius obvium de foraminibus quae loco fenestrarum in aedibus erant, cf. Koh. 12, 3. 2 Reg. 7, 2. Mal. 3, 10. LXX. habent: ὡς ἀτμὶς ἀπὸ δακρύων, pro quo Hieron. legendum esse contendit ἀκρίδων: *locustis*, Hebr. אַרְבֶּה, ut sensus sit: *quasi vapor s. aura et spiritus, qui tam tenuis de ore locustae egreditur, ut non sentiatur.* Secundum Drusium in quibusdam codd. legitur ἀπὸ καπνοδόχης.

4. Vates tantum recensione imminentis interitus animos movere studet, verum multo magis commemoratione divinae benevolentiae inter Iacobitas tot tantisque exemplis illustratae. Huic commemorationi inhaeret non omissis quidem poenis, identidem a Deo in populum refractarium illatis, ut tandem aliquando eum non tantum esse benignum, verum etiam strenuum et iustum intelligat. וְאָנֹכִי, suppl.: אֱהִי, quod postea saepius occurrit. *Eram tibi Iehova tuus inde a temporibus Aegyptiacis*, cf. 12, 10. In Aegypto enim familia Iacobi ita accrevit, ut populus fieret, isque peculiaris Deo Lev. 26, 12. al. וֵאלֹהִים זוּלָתִי לֹא תֵדָע: *nullum Iehovam praeter me cognosces.* Aliis verbis idem dicit Ies 45, 18. 46, 9. al. *ego sum Iehova nec ullus praeter me.* Pristina quidem superstitio barbarorumque impietas plures esse Elohim opinata erat; propterea vates dicere vult: *cogita tantum et contemplare, intelliges autem vana fuisse, quae de iis eorumque beneficiis somniarunt; meam vim et efficaciam e fatis populi tui cognosces.* וּמוֹשִׁיעַ אַיִן בִּלְתִּי: *nec est salvator praeter me,*

cf. Ies. 49, 26. 60, 16. al. Vates respexisse videtur ad locum Deut. 32, 12 sqq. LXX. mirificam paraphrasin huius commatis exhibuerunt: ἐγὼ δὲ κύριος ὁ Θεός σου, ὁ στερεῶν τὸν οὐρανὸν καὶ κτίζων γῆν, οὗ αἱ χεῖρες ἔκτισαν πᾶσαν τὴν στρατιὰν τοῦ οὐρανοῦ καὶ οὐ παρέδειξά σοι αὐτὰ τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω αὐτῶν. καὶ ἐγὼ ἀνήγαγόν σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου, καὶ Θεὸν πλὴν ἐμοῦ οὐ γνώσῃ, καὶ σώζων οὐκ ἔστι πάρεξ ἐμοῦ. Hieron. verba illa inserta obelo notavit, et: *a nullo*, ait, *vertuntur interprete, in antiqua quoque editione LXX. non leguntur.*

5. אֲנִי יְדַעְתִּיךָ בַּמִּדְבָּר. Cap. 9, 10. fere eandem sententiam exhibet verbis: *inveni Israelem in deserto.* LXX. legerunt רְעִיתִיךָ: ἐγὼ ἐποίμαινόν σε. Sed verbum יָדַע non solum sententiam *cognoscendi* denotat, verum etiam *curandi*, cf. Ps. 144, 3. Am. 3, 2. Nah. 1, 7. Quo vero modo יָדַע in illis locis de Deo: *curare homines*, eo etiam de hominibus: *curare Deum* s. *eum colere*, vid. 8, 2., et דַּעַת non solum *cognitionem* sed etiam *curam Dei, animum semper ad Deum directum* significat, vid. 6, 6. Itaque h. l.: *curam tui habui.* Chald.: *necessaria suppeditavi.* בְּאֶרֶץ תַּלְאֻבוֹת: *in terra siccicitatum* i. e. *in regionibus aridis* s. *siticulosis.* Significationem huius vocis e cognata Arabica derivarunt interpretes, cf. Gesen. ad h. v. LXX.: ἐν γῇ ἀνοικήτῳ. Chald.: *in terra ubi omnia desideravistis.* Hieron: *in terra solitudinis.* Schmidt sententiam vatis ita circumscripsit: *Misertus sum tui et per invia et horrida deserta te duxi, peccata et murmurationes tibi condonavi, in angustiis te liberavi, in fame et siti te sustentavi, ab hostibus defendi, legem meam tibi dedi, quia gratiosus affectu te cognovi et respexi, donec te tandem in opimam terram deduxi, in qua abundans pascuum haberes.*

6. כְּמַרְעִיתָם, scil. וַיְהִי: *pascuum opimum iis erat,* scil. me gubernante. Nam omnibus abundabant, quae ad vitam sustentandam faciunt, cf. 11, 4. Vox ista cum praecedentibus arctissime coniungenda est, ita ut iterum omissum relativum subintelligatur: *terra arida, quae iis velut pascuum opimum erat. Saturati sunt,*

שָׂבֵעוּ וַיָּרָם לִבָּם: *satures erant et animus eorum se efferebat*, cf. Deut. 32, 15. ubi dicitur *populus saturatus et pinguefactus recalcitrasse velut equus effrenatus et deseruisse Iovam creatorem*, et Deut. 8, 12. 14. ubi Deus populum monuerat: *ne saturatus a se animo effrenato et superbo beneficiorum suorum oblivisceretur.* עַל־כֵּן: *propterea* scil. *quoniam animus eorum se extulerat.* Demisso enim animo se omnia Deo debere sentiunt. שְׁכֵחוּנִי: *mei obliti sunt*, 2, 15. 4, 6. 8, 14.; Deut. 32, 15. legitur: וַיִּטֹּשׁ אֱלוֹהַּ, quod idem est. Iterum enim iterumque contra Iehovam murmurantes cultum vituli Aegyptiaci aliorumque idolorum pio Iehovae cultui praetulerunt, vid. Num. 25, 3. Deut. 29, 25.

7. *Non autem benignum me semper viderunt Israelitae. Indignabundus enim, quod tantam meam benevolentiam neglexerunt, poenas meas iis immisi.* Adsueti sumus comparationi Iehovae cum bestia, maxime cum leone, v. c. 5, 13. 14. 11, 10. H. l. ad eandem imaginem vates redit. Cum Deo semper humanae affectiones tribuantur, non mirum est scriptores sacros etiam eas imagines requirere, quibus illae affectiones iusto solidiore modo pingantur. Imago autem ferarum bestiarum vehementissimam iram indicat. Ceterum et nexus orationis et verba ipsa docent, non de futuro sed de praeterito tempore sermonem esse. Eadem temporis forma, qua hucusque narraverat, vates narrare pergit, adhibito semper futuro historico. Hoc nostro loco utitur adhuc conversivo ו, postea quidem in fervore poetico saepius omisso, cf. Gesen. Lehrgeb. p. 773. 774. Certe eum aliquid inepti fecisse criminaremur, si h. l. transitum in aliud tempus quaereremus. Nil autem simplicius, nil rationi argumentandi accommodatius, nil denique ad difficultatem sequentium vexatissimorum versuum solvendam aptius cogitari posse mihi videtur, quam ut in eo subsistamus, vatem via narrationis et fata gentis et beneficia Dei recensuisse. In quo praeeuntem habeo Chaldaeum, qui item fere in omnibus versibus, exceptis suo loco notandis, futura Hebraica nostro modo vertit ut sint tempus historicum, v. c. h. l.: *fuit verbum meum iis quasi leaena.* וָאֱהִי

XIII, 7.

לָהֶם: *eram iis* כְּמוֹ־שָׁחַל: *quasi leo*, cf. 5, 14., כְּנָמֵר: *quasi pardus*, aliud animal ferocitate illi non absimile. Quae Plinius in hist. nat. X, 73. de hoc animali adfert: *insidunt pardi condensa arborum occultatique earum ramis in praetereuntia desiliunt, e volucrum sede grassantur*, ea sententiam eorum reddunt probabilem, qui אָשׁוּר verbum esse putant, אָשׁוּר a שׁוּר: *speculari*, nimirum ad insidiandum alicui, cf. Ier. 5, 26. Num. 23, 9. Itaque sic vertendum esset: *ceu pardus in viis speculabar*. Sic plerique recentiorum. Verum ita interpretaturi offendimur defectu praepositionis in voce דֶּרֶךְ. Si enim vates dicere voluisset *Deum viis Israelitarum insidiatum esse*, sine dubio scripsisset דַּרְכָּם, quoniam in omni hac parte praepositiones largiter exhibuit. Sin contra significare voluisset *Deum in viis speculatum esse*, id contra naturam imaginis fuisset. Nam pardi non in viis, sed in arboribus ad insidiandum sedent, et in morem omnium ferarum vias vitant, remotissimas latebras quaerentes. LXX. et Hieron. legerunt אַשּׁוּר: κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων, *in via Assyriorum;* idem habent complures codd. et editiones apud de Rossium. Praeterea, quam vim nostra punctatio in constituendo vero vatis sensu habeat, interpretibus satis notum est. Oratio autem multo commodius fluere videtur, si vertimus: *in viis Assyriae*. Omnes enim regiones Asiae meridionalis leonibus, pardis, tigridibus aliisque his similibus bestiis incoluntur. Terra Assyriaca, cuius topologia nunquam scriptoribus V. T. satis diligenter definita est, quae quidem in fertilissimis regionibus fluvio Tigride irrigatis olim usque ad Indum porrigebatur, postea a regno Medorum et Babyloniorum terminabatur, a propheta commodissime nominari potuit, ubi de periculis illarum bestiarum sermo est. Sic etiam imago optime ad itinera gentis Iacobiticae quadrat: *ut enim pardi et leones viatoribus in Assyria perniciosi sunt, ita perniciem tuli in viatores impios Israelitas*. Hieron. quidem rem ita cepit, ut indicaret vates quam sortem experturi essent Israelitae in Assyria, addidit enim: *ero iis sicut pardus, quando ducentur captivi ab Assyriis.*

Chald. habet: *sicut pardus qui insidiatur iuxta viam.* Eius auctoritas fortasse occasionem dedit nostrae punctationi.

8. אֶפְגְּשֵׁם: *occurrebam iis.* Idem verbum significatione hostilis impetus legitur v. c. Gen. 33, 8. Exod. 4, 24. כְּדֹב שַׁכּוּל, genus epicoenum, *ceu ursa catulis orbata.* Hieron.: *aiunt, qui de bestiarum scripserunt naturis, inter omnes feras nihil esse ursa saevius, cum perdiderit catulos et indiguerit cibis.* Eodem modo notantur in libris sacris, v. c. 2 Sam. 17, 8. Prov. 17, 12. Thren. 3, 10. LXX.: *ὡς ἄρκτος ἡ ἀπορουμένη,* i. e. *cibis indigens.* Hieron.: *ursa raptis catulis,* et vere שָׁכַל de privatione sobolis frequens verbum est, cf. 9, 12. וְאֶקְרַע סְגוֹר לִבָּם: *disrumpebam s. dilacerabam eorum praecordia.* Eodem modo verbum קָרַע ponitur Ioel 2, 13. cf. Ps. 35, 15. Bochart. in Hieroz. monet, hoc non obiter esse praetereundum: *notant enim,* addit, *naturae consulti, leonem praecipue cor appetere* cf. Michael. ad h. l. *Clausuram cordis* omnes fere interpretes explicant *praecordia, pectus in quo inclusum est cor.* LXX.: *συγκλεισμὸν καρδίας αὐτῶν.* Hieron. quidem: *disrumpam interiora iecoris eorum,* Chald.: *confregi impietatem cordis eorum.* Mihi his verbis vehementia divinarum poenarum, quibus grassata est in refractarium populum, inesse videtur. וְאֹכְלֵם: *et devorabam eos* Exod. 32, 10. שָׁם: *ibi* scil. *in deserto,* cf. v. 5. *ubi antea eos bonis repleveram, antequam mei obliti essent.* כְּלָבִיא: *sicut leaena.* LXX.: *καὶ καταφάγονται αὐτοὺς ἐκεῖ σκύμνοι δρυμοῦ* i. e. secundum Hieron.: *catuli silvarum,* cf. Ies. 5, 29. Ez. 19, 2.

Ut sequens comma intelligatur suppleri debet כַּאֲשֶׁר: *quasi bestia agri,* particulam enim similitudinis nonnunquam deesse monet Glass. Phil. S. p. 568. תְּבַקְּעֵם: *diffinderet eos s. discerperet.* Hieron.: *bestia agri scindet eos. Non solum,* inquit, *pardi, pantherae et ursae ferociam comminatur, sed leonis quoque et omnium ferarum, quae gignuntur in saltibus, et haec omnia dicit se esse versurum quando ierint ad Assyrios, ne, cum ibi*

XIII, 8. 9.

dura fuerint perpessi, non potentiae et indignationi domini sed hostium fortitudini assignent miserias suas. Nos quidem hunc et 7. versum intelligere satius duximus de rebus diu praeteritis. Deus enim in deserto non tantum severissimis modis perniciem et interitum comminatus fuerat, si impietati et intemperantiae se dederent, Exod. 32, 9. 10. 33, 5. Lev. 26, 16—22. Num. 14, 28—30., verum etiam rebellantes et idolis sacra facientes e medio sustulerat. Vid. Nadab et Abihu Lev. 10, 2., castra igne absumta Num. 11, 1., caedes illorum qui terram Canaaniticam exploraverant Num. 14, 36. 37., strages per Amalekitas et Canaanitas populo illatae Num. 14, 45., turmae rebellantium ducibus Coraho, Dathane et Abiramo Num. 16, 31. 32., ab ignivomis serpentibus interfecti Num. 21, 6., Baal Peoris flagitia adoptantes Num. 25, 3. 9. Punctatio copulae ו hoc nostro, decimo et undecimo versu, quae utique non est conversivae futuri, fortasse dubios facit interpretes. Fac autem pro וְאֶקְרַע, וְאֹכְלֵם et v. 10. וְיוֹשִׁיעֲךָ legi וָאֶקְרַע, וָאֹכְלֵם et וַיּוֹשִׁיעֲךָ, et v. 10. וָאֶקַּח pro וְאֶקַּח, res eo ipso facto expedita est.

9. Nunc quasi in parenthesi locum communem de gentis infortunio addit, ad Deum excusandum, ne cogitetur consulto et delectabundus hisce terroribus ea omnia populo intulisse. *Causa perniciei non in Deo erat, sed in populo, Deum auxilium abdicante.* שִׁחֶתְךָ: *perdidit te.* Haec explicatio verbi maxime grammaticae convenit, uti bene Michaelis ad h. l. observavit, Kimchio aliisque ante iam probantibus. *Perdidit te* autem est i. q. *haec causa fuit tuae perniciei;* et sequentia כִּי־בִי בְעֶזְרֶךָ ita accipienda sunt: *quod contra me, contra auxilium tuum* scil.: הָיִיתָ *fuisti* s. *rebellasti,* cf. loca v. 8. citata. כִּי: *quod,* cf. 2, 10. 5, 1. 3, 6, 6. al. Praep. ב saepissime est: *contra,* ut 7, 14. 14, 1. cf. Glass. Philol. S. p. 580. Alii quidem interpretes שִׁחֶתְךָ putarunt esse substantivum, v. c. Hieron.: *perditio tua Israel, tantummodo in me, auxilium tuum.* Alii, v. c. Lutherus, 2 praet. Piel esse existimant: *perdidisti te ipsum, o Israel.* cf. Ies. 3, 9. Idem alterum comma vertit: *nam auxilium tuum in me solo est.* Schmidt:

perdidisti te, quando contra me contra auxilium tuum te perdidisti. LXX.: τῇ διαφθορᾷ σου Ἰσραὴλ τίς βοηθήσει; quos secuti sunt recentissimi, Boeckel: „wenn ich dich Israel verderbe, wer kann dich retten?“ et Eichhorn fere eodem sensu, verbis maximam vim inferentes. Bene addit Michaelis: *verba versus concisa et difficilia sunt, in sensu tamen non magnus est dissensus. Nisi quod de industria novum hic fingit Gusset. p. 367.: destruxit te ustio in me existens, in eo, qui est tuum auxilium.*

10. Adnectit vates nunc sententiam in praecedentibus praeparatam. *Olim tuum auxilium fueram in deserto* v. 5. cf. Deut. 33, 26. 29. *Idem eram postea in terra Canaanitica a te occupata.* Ad hanc sententiam melius designandam aptissima oppositione verborum בַּמִּדְבָּר v. 5. et h. l. בְּכָל־עָרֶיךָ utitur, quae profecto non negligenda est. Verba enim versus nostri commemorata admodum inutilia et frigida essent, nisi ad illud בַּמִּדְבָּר respicerent, et sic, sermonem nunc esse de conditione gentis in terra culta et habitata, indicarent. אֱהִי: *eram.* Iam vates ad narrationem divinae providentiae, quae ubique nationem Iacobiticam circumdederat, rediens utitur eadem temporis forma qua v. 5—8. et postea v. 11. מַלְכְּךָ: *rex tuus.* Quo enim tempore Iacobi posteri nondum a regibus ducebantur, Iehova ipse eorum rex fuit. Siquidem haec ipsa civitatis eorum institutio erat, ut unum Iehovam sibi verum regem praeesse existimarent, vid. 1 Sam. 8, 7. 12, 12. Iud. 8, 23. cf. Num. 23, 21. אֵפוֹא est particula expletiva, attentionem excitans vel (secundum Ewald. krit. Gram. d. Hebr. Spr. p. 659.) orationem modestiorem reddens quemadmodum nostrum wohl plerumque respondens Latino *quaeso*, apud interrogationes et imperativos usitatissima, verum etiam in aliis formulis obvia, v. c. Gen. 43, 11. Hoc loco Latinorum voce *scilicet* exhibendam duxi. Movit haec particula interpretes, ut in toto loco interrogationem inesse et אֱהִי contra usum verbi pro אַיֵּה: *ubi* positum esse putarent. Ita praeiverunt LXX.: ποῦ ὁ βασιλεύς σου οὗτος; quos plurima pars

XIII, 10.

interpretum secuta est. Ipse Chaldaeus illorum auctoritate captus h. l. a consueta omnis huius capitis interpretatione sensui vatis maxime congrua recessit, vid. infra. Verum ut vim particulae אֵפוֹא, quae admodum dubia est, servemus, non video cur missa significatione dubitationi non obnoxia et aptissima verbi אֱהִי in plane incommodam transpositionem literarum אֱהִי in אַיֵּה abeamus, quae, ut iam Tarnovius monuit, nullis documentis comprobari potest. Habemus bis praeterea v. 7. et 14. idem verbum, ubi optimi interpretes ei suam significationem vindicare non dubitarunt, ut nempe prima futuri sit. Hoc tantum loco contra eam coniuraverunt, simplicitatem orationis eo tollentes, quod tertio plane alium sensum eidem verbo subiecerunt. Quantopere in verbo nostro laboraverint, e codicibus apud de Rossium commemoratis videmus, quorum alii emendationis causa איה in marginem, alii in textum receperunt. Oratio utique obscura est, ubi futuro verbi אֱהִי oraculum aliquod contineri censemus. Nec enim intelligitur quo sensu dicatur, nec quo tempore, nec qua ratione eventu comprobatum sit. Omnis autem obscuritas aufugit, ubi, ut iam monuimus, in eo acquiescimus, vatem commemorationi historicae temporum praeteritorum inhaesisse.

וְיוֹשִׁיעֲךָ. Quocunque modo sensus praecedentium verborum constituatur, copula ו h. l. vim relativi habet: *qui servavit te*, cf. Glass. Phil. S. p. 605. Transitus iste ad tertiam personam omnibus linguis usitatissimus est, maxime Hebraicae, ubi mutationem personarum habemus ubivis obviam. בְּכָל־עָרֶיךָ: *in omnibus urbibus tuis*. Eichhorn habet: „in deinen vielen Nöthen". Quomodo haec interpretatio defendi potuerit non video. *Urbes* deserto v. 5. oppositae *pro terra culta et habitata Canaanis* intelligendae sunt. Praeterea historia docet, inde ab occupatione patriae promissae usque ad regis constitutionem urbes saepius fuisse obsessas, captas a barbaris et recuperatas a Iacobitico populo, ita tamen, ut tandem singulari divina cura adiutus secure in iis habitare posset. Iud. 2, 14. 15. 3, 13. 5, 8. 8, 16. 17. 28. 10, 7—9. 11, 32. 33. 1 Sam. 4, 10. 11.

7, 13. 14. וְשֹׁפְטֶיךָ. Accusativus regitur a verbo וְיוֹשִׁיעֲךָ, ita: *eram rex tuus, qui servavit te iudicesque tuos.* Nam omnes illi duces, quorum gesta in locis laudatis et in toto libro Iudicum leguntur, non sua vi et arte, sed peculiari et miraculoso Dei auxilio populum e manu barbarorum vindicasse feruntur. אֲשֶׁר אָמַרְתָּ: *quibus dixisti: da mihi regem et principes.* Respicit vates ad illa gentis Israeliticae desideria quae temporibus Samuelis tanta vehementia eruperunt, ut Samuel ipse iis resistere non posset, cf. 1 Sam. 8, 5. 10, 19. De quibus temporibus Hieronymus verba vatis nostri explicat ita: *ubi est rex tuus, de quo dicebas ad Samuel: constitue supra nos regem, qui iudicet nos, sicut et gentes habent ceterae cet.* Ita vates non modo semper vigilans auxilium Dei, sed etiam ingratum populi animum indicat. *Postquam Iehova luculentissima favoris signa ipsi exhibuerat, nihilominus regem postulavit, qui se more ceterarum gentium gubernaret,* quo facto Iehovam abdicans se parem barbaris praestitit. Non commemoratur quidem apud Samuelem populum expetiisse etiam שָׂרִים, qui h. l. expletive adduntur ad designandam eorum impietatem, qui omnem oeconomiam regiminis barbarorum loco theocratiae suae postulaverunt.

Inter eos, qui hunc versum de praesenti tempore intelligunt, vehementissime in textum grassatus est S. V. Kuinoel hac interpretatione: *ubinam tandem rex vester est? ubinam? qui oppida cuncta servabat? et magistratus vestri? quos constituistis? Ostendite mihi regem et magistratus vestros.* Plerique antiquiorum et recentiorum interpretum Chaldaeum secuti sunt ita vertentem: *ubi est nunc rex tuus, ut salvet te in omnibus urbibus tuis, et iudices tui, de quibus dixisti, constitue super me regem et principem?* Alia est Kimchii aliorumque sententia: *sum* s. *ero* scil. *Deus immutabilis, qui vos olim rexi, idem semper maneo, non mutor.* Sed *rex vester, quem in meum locum substituistis, ubi nunc est?* Tarnovius et Tremellius: *sum* s. *ero rex tuus. Sed ubi est alter rex tuus, quem mihi ante praeposuisti? servet te cet.* Varians est lectio quinque codd. ap. de Rossium שֹׁפְטֶךָ quam LXX, eosque secuti Syrus et

XIII, 11.
Arabs ita exhibuerunt: *ποῦ ὁ βασιλεύς σου οὗτος; καὶ διασωσάτω σε ἐν πάσαις ταῖς πόλεσί σου, κρινάτω σε ὃν εἶπας, δός μοι βασιλέα καὶ ἄρχοντα.*

11. Omnes fere interpretes in hoc versu rursus tempus futurum pro praeterito historico capiunt, ut v. 5—8. Non intelligo cur simplicitatem et nexum orationis eo turbent, quod in praecedente versu ad prorsus aliam interpretationem decurrunt. Procedit oratio gradatim ab alio fato gentis Iacobiticae ad aliud. Commemoraverat v. 5. curam Dei in deserto illos ducentem, v. 6. effrenatum animum quo cura abusi fuissent, v. 7. 8. terrores propterea a Deo iis iniectos, v. 9. quasi in parenthesi addiderat causam illorum terrorum, quod nempe contra Deum, auxilium, rebellavissent. Iam v. 10. narratur, qua ratione Deus iis auxilio fuerit, postquam intravissent terram sacram, nimirum semet ipsum regem iis constituendo, eos incolumes servando, recusatus tamen ab iis, qui imperium modo barbarorum sibi expeterent. Denique hoc nostro versu modum, quo satisfecerit eorum desiderio, recenset. Qui nexus orationis tanto certior mihi videtur, quanto accuratius cum historia consentit. אֶתֶּן־לְךָ מֶלֶךְ: *dabam tibi regem* eumque Saulum 1 Sam. 10, 19—21. 11, 15. Nonnulli interpretes vim futuri nimia subtilitate torquentes ita vertunt: *dare soleo* i. e. *saepius tibi dedi regem*, ut vates respiciat ad omnes reges, quos Deus inter caedes et seditiones imperio potiri siverit, cf. Grotius ad h. l. בְּאַפִּי: *in ira mea*. Bene Schmidt: *hoc*, addit, *non pugnat cum 1 Sam. 9, 16. Nam Deus utique iratus fuit quod se repudiassent ne rex esset. Nihilominus tamen iis regem dabat, sed ita, ut, si in viis Dei manerent, peccatum hoc ipsis condonaret, sin minus, id vindicaret*, cf. 1 Sam. 12, 14. 15. 24. 25.

וְאֶקַּח בְּעֶבְרָתִי: *et auferebam eum in fervore meo*, cf. 1 Sam. 15, 11. 16, 1. Ad Saulum enim h. l. respicere vatem omnis nexus orationis docet. Qui quidem prius comma non de Saulo intellexerunt, h. l. dubii haerent, quem vates in animo habuerit; vel putant esse singulos reges, quos antea Deus dederit, vel familiam Davidis, qua Israelitae carebant, vel Pekahum, cf.

Kuinoel ad h. l. Alii minus etiam eleganter, postquam in priori commate futurum pro praeterito historico sumserunt, in posteriori significationem propriam futuri quaerunt ita: *auferam regem tuum* s. adeo *regiam dignitatem Israelis per Assyrios.* Bonus Hieronymus regem auferendum putat esse Zedekiam ultimum regem stirpis Iudaicae. *Hebraei*, addit, *verba: dedi tibi regem et abstuli, ad futurum tempus referunt. Eo* (*inquit*) *tempore, quo dicebas, da mihi regem et principes, ego tibi respondebam per Samuelem, quod daturus tibi essem in furore meo, et ablaturus in indignatione mea.* Chald. hoc versu ad priorem exponendi rationem rediit: *constitui super te regem in furore meo, iamque abstuli in ira mea.*

12. Nunc demum vates orationem convertit ad aequales Ephraimitas. *Quoniam enim inter tot tantaque documenta divinae benevolentiae divinorumque iudiciorum ad meliorem frugem redire noluerunt*, צָרוּר עֲוֺן אֶפְרָיִם: *colligata est impietas Ephraimitarum.* צָרַר dicitur de eo, quod in fasciculo colligitur, ne pereat neve dissipetur, cf. 1 Sam. 25, 29. Ies. 8, 16. Sic de peccatis dicitur Iob. 14, 17. חָתֻם בִּצְרוֹר פִּשְׁעִי. Eadem fere significatio est verbo צְפוּנָה: *clam asservata.* צָפַן pr. *occultare*, dicitur de eo, quod curiose servatur Ps. 17, 14. 31, 20. Prov. 13, 22. Sensus est: *iniquitas tua et peccata oblivioni minime tradita sunt, sed Iehova eorum meminit, ut suo tempore poenas tibi inferat.* Similis oratio est Deut. 32, 34. Non est quod cum Schmidtio de peccato ante aliquot saecula commisso cogitemus, ubi nempe Deo invito gens immorigera Samueli regem extorserit. De peccatis Ephraimi i. e. tribuum Israeliticarum sermo est. Vocantur enim עֲוֺן אֶפְרָיִם et חַטָּאתוֹ. Idem peccato proavorum obnoxius est. Ut olim patres gubernium Dei recusaverant, ita nunc quoque Ephraimitae a Deo recedunt, sibi fisi et perversitatibus idololatriae cf. v. 2. Eichhorn: „die Acten sind nun geschlossen, es folgt das Strafurtheil." Sane magnus anachronismus! Melius Boeckel: „Zusammen sind gebunden

XIII, 13.
Ephraims Missethaten und seine Sünden aufbewahrt.“

13. חֶבְלֵי יוֹלֵדָה יָבֹאוּ לוֹ: *dolores puerperae supervenient ei.* Haec imago elegantissime cum praecedentibus cohaeret. *Ut enim peccata eorum abscondita et clam asservata sunt, ita dolores iis orientur, ubi illa rursus in lucem ut puniantur prodibunt, quemadmodum infans in partu proditurus matri maximos dolores excitat.* Verum vates semet ipsum emendat. *Immo ipse Ephraim est insipiens filius, qui non persistit in ore matricis usque ad tempus maturitatis.* כִּי־עֵת לֹא יַעֲמֹד: *non enim iustum suum tempus stetit* s. *permansit.* עֵת pr. substantivum, saepius adverbialiter ponitur: *usque ad tempus suum,* v. c. Num. 23, 23. 1 Sam. 9, 16. Iob. 22, 16. בְּמִשְׁבַּר בָּנִים: *in matrice* s. *in utero filiorum* 2 Reg. 19, 3. Ies. 37, 3. *Non steterunt in matrice,* i. e. *non morati sed disrupto matris utero egressi sunt antequam maturi essent.* Tropo remoto: *aegre ferebant sortem pueritiae, quod nempe a Deo rege gubernarentur; ipsi sui compotes esse volebant. Recusabant igitur Deo se subiicere, sed viribus et sapientia semet ipsos regendi carentes infirmitati et interitui erant obnoxii, ut infans qui nondum exoletus e matris utero decidit.* Haec imago non tantum de proavis Israelitarum a Samuele regem flagitantibus, sed etiam de Israelitis vati aequalibus valebat. Iidem enim, quamquam tempore provectiores, nondum maturi erant. Ab insipientia et impotentia sua in perniciem protrusi, tamen a Iova eiusque interpretibus, prophetis, regi iterum iterumque recusabant. Rediit vates iterum ad significationem futuri temporis, ut sit praeteritum historicum.

Hieronymus sensum verborum alio modo cepit, ita: *ipse filius non sapiens, nunc enim non stabit in contritione filiorum. Ephraim,* addit, *columba est insipiens non habens cor; in contritione filiorum et populi sui cum dies parturitionis advenerit, aut stare aut sufferre non poterit.* LXX.: οὗτος ὁ υἱός σου ὁ φρόνιμος, quod Hieron. per ironiam dictum esse putat, διότι οὐ μὴ ὑποστῇ ἐν συντριβῇ τέκνων. Pii interpretes Christiani tropum ita solvunt, ut sermo sit de impietate Israelitarum, *quod non ex-*

spectavissent in vera poenitentia fide et spe tempus Novi Testamenti sub umbris Veteris Testamenti, in quibus ecclesia usque ad Christum custodita fuerit, vid. Schmidt. Chald. in favorem loci 2Reg. 19, 3. coll. Ies. 37, 3. ita vertit: *nunc enim adducam super eum angustiam, qualis est foeminae sedentis in sella partus nec valentis parere.* Hunc nonnulli recentiorum secuti sunt, v. c. Dathe, Kuinoel al. Verum in illis locis de plane alia re sermo est. Hiskias enim pingit tempus tristissimum imagine matris, cuius tempus parturiendi adsit, quam vero vires ad partum edendum deficiant. Nostro contra loco sermo est de filio stolido nimium mature e matris gremio exeunte. Eichhorn contrariam exhibet sententiam: „Es ist ein ungewandter Knabe, sonst würd' er nicht so lang im Muttermund verweilen," cui quamquam non verba per se spectata tamen eorum subtilior significatio repugnat. Vox מִשְׁבַּר, quam ipse vertit: Muttermund, sine maxima vi verbis illata h. l. contumacia et sempiterna peccata, ut idem vir beatus in adiecta versioni adnotatione voluit („die Hartnäckigkeit Ephraims, sein immerwährendes Fortsündigen"), esse non potest. De Wette prorsus illum secutus: „ein unverständig Kind ist es, sonst blieb es nicht so lang in der Mutterscheide".

14. Difficultas huius versus inest in eo, quod ab initio signa divinae benignitatis recensentur, in fine minae adduntur, utrumque autem eodem tempore eoque futuro. Quae difficultas iterum alio modo removeri non posse videtur, nisi ut membra priora de re praeterita, posterius autem de futuro eventu intelligamus. Quod enim plerique interpretes contendunt, prioribus inesse vaticinium et נֹחַם יִסָּתֵר מֵעֵינָי significare: *me huius promissi non poenitebit;* id luculentissime repugnat versui sequenti, ubi extra omnem dubitationem gravissimae calamitates nuntiantur, et particula כִּי, nisi bonae elocutionis genium vati prorsus abnegare placet, transitum facit ad uberius pingendas comminationes nostro posteriori commate brevius indicatas. Idem sentiens praeivit me S. V. Kuinoel in eadem quam comprobaturus sum explicatione.

XIII, 14.

מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם: *e faucibus infernorum eos redimebam.* שְׁאוֹל illud notissimum appellativum inferi loci mortuis assignati, ubi homines post obitum qualemcunque vitam agere pergunt, quem profani scriptores ᾅδην, Orcum, Tartarum vocarunt [25]), saepius ponitur pro *morte* ipsa Ies. 5, 14. 28, 15. Ps. 6, 6. Gen. 37, 35. פָּדָה: *redimere, liberare,* cf. 7, 13. 2 Sam. 4, 9. et simillima verba Ps. 49, 16. מִמָּוֶת אֲגָאֲלֵם idem significat: *a morte liberabam eos,* cf. Gen. 48, 16. Exod. 6, 6. Ps. 19, 15. Ies. 44, 22. אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת: *eram pestis tua, mors!* Numerus pluralis in nomine דְּבָרֶיךָ ponitur sine dubio ut מוֹתִים Ies. 53, 9. Ez. 28, 10. ad augendam vim elocutionis, quamquam pii Christiani interpretes eum symbolice positum esse putant *de omnis generis pestibus, quia Christus pro omnibus satisfecerit et omnes aboleverit,* cf. Schmidt ad h. l. Pro eo habent nonnulli codd. ap. de Rossium דְּבָרְךָ, quae lectio facilior quidem sed e nostra vulgari orta esse videtur, praesertim postquam LXX. Chald. Syrus, Arabs, Hieronymus pluralem lectionis nostrae versione non exhibuerunt. אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל: *eram lues tua, inferne!* Sensus idem est qui membri praecedentis. קֶטֶב cum voce דֶּבֶר coniungitur Ps. 91, 6. et occurrit Deut. 32, 24. ita ut cognoscamus significationem eius non multum a דֶּבֶר differre. Verba autem: *eram pestis tua mors, et lues tua inferne,* nil aliud indicant quam emphaticam repetitionem prioris sententiae: *a morte* s. *a periculo mortis populum meum liberavi.*

S. V. Kuinoel hanc mortem intelligit *de omni miseria et atrocibus calamitatibus,* e quibus olim Israelitae liberati fuissent per Dei providentiam. Hic ab eo recedere cogor. Quamquam enim שְׁאוֹל et מָוֶת in V. T. nonnunquam imagines sint atrocis perniciei, tamen h. l. voluntas vatis fuisse videtur mortem vere sic dictam ante oculos lectorum ducendi. Certe inepte egis-

---

25) Vid. Herder Geist d. Hebr. Poesie ed. Iusti I, p. 195 sqq.

set, si in utroque membro quater continuo mortem et iterum mortem commemorasset, si voce *mortis* tantum imaginis instar uti voluisset. Lector a figura ad rem figuratam transiturus indiget certe aliquo nutu, ut de sententia poetae certior fiat. Qua deficiente sensum scriptoris in verbis ipse quaerat necesse est. Tali modo de oratione vatis nostri cogitans nil aliud h. l. invenire potui nisi commemorationem alius eventus historici, ubi Deus Iacobitis providentiae et favoris a morte eos redimentis signa dederit. Cui autem non in promptu est caedes illa primogeniturae Exod. 12, 23—29. coll. Ps. 78, 51—53. 136, 10—12. qua Deus Aegyptios peccussit, Iacobitas autem in domibus ipsorum incolumes servavit? memorabile fatum quotannis diebus festis Paschalibus menti Israelitarum infixum. Profecto aliquid recensioni divinorum beneficiorum deesse videretur, si illud omitteretur quod ab universo populo illis religiosis celebrationibus maximum et memoratu dignissimum praedicabatur.

Caeterum notissimum est Paulum Apostolum 1 Cor. 15, 55. hunc locum citasse de Christo deque victoria eius super inferna et mortem, idque e versione LXX. adeoque memoriter, mutatis verbis LXX. Unde theologi Christiani ab ipso vate testimonium de Novo Testamento deque redemtione a morte et infernorum miseria per Christum facta exhiberi putarunt. Quod ut tanto certius nostro loco elicerent, inhaeserunt verbis פָּדָה et גָּאַל [26]), modum redemtionis designatum ex iis eruentes, ex illo *λύτρον*, pretium redemtionis, sanguinem servatoris, ex hoc vim ipsius personae, qua quamquam Dei filius tamen frater pro fratre, cognatus pro cognato se ipsum morti dederit ad liberandos omnes, qui propter peccata commissa peccati et mortis servi fuerint. Verum alii interpretes bene monent: Apostolos non semper proferre locos e V. T. qui toto contextu ad institutum, quod tractent, pertineant, sed interdum alludere ad unum duntaxat verbum, interdum locum ad

26) Vid. significationem utriusque verbi apud Gesenium in Lex. ad v. פָּדָה n. 1. et ad v. גָּאַל n. 3.

XIII, 14.

suam sententiam ob rei similitudinem aptare, interdum adhibere testimonia. Ubi utantur scripturae testimoniis, illic quaerendam esse simplicem et genuinam veritatem, ubi autem verbum unum perstringant vel ubi per similitudinem designent alium locum SSae, non esse anxie laborandum, cf. Rosenmueller e Calvini praelectionibus in prophetas minores ad h. l. Pariter Eckermann theol. Beyträge B. II. St. 3. p. 32.: „Paulus ist es hier nicht um die Auslegung oder grammatische Erklärung der Stellen in dem Zusammenhange, worinne sie stehen, zu thun, sondern vielmehr darum, dass er das, was er sagen will, mit Worten des A. T. auf eine für seine Leser noch nachdrücklichere Weise sage.“ LXX. in prioribus membris a textu non recedunt, pergunt autem: *ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη;* pro quo Paulus l. l.: *ποῦ σου θάνατε τὸ κέντρον; ποῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος;* LXX. pro אֱהִי legerunt אַיֵּה ut v. 12. דְּבָרֶיךָ cum Chald. a דָּבָר *verbum* derivarunt, quod latissima significatione *causam* indicat, *quam quis coram iudice agit*, *δίκην*; *κέντρον* autem iis fuit i. q. *plaga*, *lues*. Apostolus verba transposuit, voce *τὸ νῖκος* ex ingenio addita. Hieron.: *ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne*, quibus addit in commentario: *dominus pollicetur, se eos de manu mortis liberaturum et de morte redemturum. Liberavit autem omnes dominus et redemit in passione crucis et effusione sanguinis sui, quando anima eius descendit ad infernum et caro eius non vidit corruptionem. Quod enim Apostolus in resurrectionem interpretatus est domini, nos aliter interpretari nec possumus nec audemus.* Commemoranda praeterea est Chaldaei paraphrasis, in priori commate nostro modo sensum vatis excipientis, in altero autem, nescio cur, in alias partes abeuntis: *Domum Israelis a caede redemi, et ab exterminio delente eos erui. Mox erit verbum meum contra eos in necem et verbum ad disperdendum, eo autem quod transgressi sunt legem meam, tollam sedem maiestatis meae* (שְׁכִנְתִּי) *ab iis.* Sunt praeterea qui sensum huius versus ita constituant: *redemissem eos de manu infernorum, si fuissent sapientes. At nunc, cum non sis sapiens sed stul-*

tus et negans bonum meum, non satis est te a morte non redemisse, sed adducam super te mortem, peste, gladio, fame et fera noxia. Haec est sententia Kimchii, quam tantum non omnem Dathe et Eichhorn exhibuerunt.

Restat posterius comma, ubi vates commemoratis beneficiis novas minas addit, scil.: נֹחַם יִסָּתֵר מֵעֵינָי quae verba ita intelligo: *at nunc misericordia a me aberit.* נֹחַם, ἅπαξ λεγόμενον, derivatur a נָחַם, Niph.: *consolationem admisit, se consolatus est*, Piel: *consolatus est*, adiuncta saepius significatione misericordiae Ier. 15, 6. Ps. 90, 13. Ies. 12, 1. 49, 13. al. cf. Gesenius ad h. v. Substantivum igitur indicat *consolationem* s. *misericordiam.* Sic LXX.: παράκλησις κέκρυπται ἀπὸ ὀφθαλμῶν μου, et Hieron.: *consolatio abscondita est ab oculis meis.* Alii interpretes, ut sententia melius responderet vaticinio de Christi redemtione, in hoc commate emphaticam confirmationem illius quaesiverunt, alteram significationem radicis נָחַם praeferentes, ut sit נֹחַם: *poenitentia: me non promissi mei poenitebit.* Ita autem nexum huius versus cum sequenti omnino tollunt. Dathe et alii, qui post Kimchium priora commata conditionaliter proposita esse putant, haec nostra verba ita vertunt: *sed nunc, quia non resipuistis, nihil est quod me ad decreti mei mutationem commovere possit.* Eichhorn frigidius etiam: „nur wie ich mich die Drohung reuen lassen könnte, seh' ich nicht."

15. Copulâ כִּי arctissime hic versus praecedentibus annectitur, imaginibus autem a re rustica desumtis pingitur exitium rebus Israeliticis imminens. *Siquidem ille* scil.: אֶפְרַיִם v. 12. בֵּין אַחִים: *inter fratres* i. e. *inter reliquas tribus.* יַפְרִיא: *fructus fert.* Extra omnem dubitationem huic verbo allusio inest ad originem nominis *Ephraim*, de quo Gen. 41, 52. Inter omnes enim fratres eius nomen ominosum fuit de incrementis et fructibus, quos laturus esset, unde etiam avus Iacobus praedixit: *fore ut semen eius maxima gens evadat* Gen. 48, 19. Scriptum est יַפְרִיא alternis exhibito א pro cognato ה, 3 fut. Hiph., ac si ortum esset a פָּרָא. For-

XIII, 15.
tasse id ipsum secundum Gesenium ad h. v. in radicibus Hebraeorum fuit. In tali paronomasia non anxie, quid vates voluerit, quaerendum est. Sufficit oraculum avi eventu comprobatum: Ephraim posteris auctus, posteri dignitate regia coronati et quoniam Ephraim saepius pro stirpibus Israeliticis ponitur, omnis gens multis victoriis v. c. sub Ieroboamo II. amplificata. Sensus est ita constituendus: *fac enim illum inter fratres id assecutum fuisse, quod nomen eius indicat, eum auctum et incrementis ornatum fuisse, nihilominus interitus eius instat.*

In significatione huius verbi admodum dissenserunt interpretes. Dathe in prioribus editionibus Proph. Min. adhuc ipse secutus est eos, qui derivarunt a פֶּרֶא *onager*, quorum alios adfert Pococke in comment. cf. Michaelis ad h. l., ut sensus sit: *Ephraim homo ferox est velut onager.* S. Iarchi ita disserit: *Ieroboam ille filius est qui* הבריא *avitam possessionem Israelis, per eum in duo regna dilacerati sunt.* Alii derivarunt a פָּרַד sive a פָּלָא: *divisit,* ut nempe a liberariis litera depravata sit, quorum auctores sunt LXX.: διότι οὗτος ἀναμέσον ἀδελφῶν διαστελεῖ, ab Hieronymo et aliis recentioribus v. c. Liveleio, Grotio al. simili interpretatione probati. Hieronymo Hebraicum הִיא et Graecum οὗτος spectat ad θάνατος, ita: *consolatio, ait vates, abscondita est ab oculis meis, non valeo consolari: nam quicquid mente concepero dolorem meum non mitigare potest, qui cernam carissima inter se nomina morte seiungi, ipse enim, inquit, infernus inter fratres dividit. Quicquid igitur fratres separat, infernus est appellandus. In fratribus autem omnem charitatem intellige.* Chald.: *quia ipsi vocati sunt, et multiplicaverunt opera corrupta* cet.

Sequentia verba illustrant illud יַפְרִיא. *Ut enim fructus hucusque tulerunt, ita nunc ventus perniciosus veniet omnes fontes agrorum exsiccaturus, deliciosos fructus direpturus.* יָבוֹא קָדִים: *veniet Eurus* 12, 2., *vehemens et fervens ventus*, qui in regionibus Arabiae et Palaestinae ex Oriente natus arva ac fruges perdit, hominibus omnibusque animantibus letifer. In recentioribus

itinerariis nomine Samiel s. Samum occurrit, perniciosissimus quidem iuxta sinum Persicum, in V. T. saepius notatus, cf. Ies. 27, 8. Ier. 18, 17. Vocatur רוּחַ יְהוָה, sicut Ies. 40, 7. *vehemens turbo a Iova missus*, quemadmodum Iob. 15, 13. ventus vocatur: *halitus oris Dei*, רוּחַ פִּיו cf. v. 25. 26. Ille ventus est מִמִּדְבָּר עֹלֶה: *e deserto ascendens*. Nam e ferventi arena desertorum Asiae, inprimis Arabiae originem ducit. cf. Roehr Palaestina pag. 90. Itaque vel topologia opinioni eorum adversari videtur, qui vento illo Orientis e deserto veniente *Assyrios* indicari voluerunt, v. c. Schmidt. Hi enim e septentrionalibus, iidemque non e deserto sed e regionibus incolis repletis veniebant. Est omnino ventus ille saepius occurrens imago repentinae calamitatis, v. c. Ies. 27, 8. Ier. 4, 11. Hab. 1, 9., in qua significatione etiam h. l. subsistamus. Effectus venti describitur. יֵבוֹשׁ מְקוֹרוֹ: *exarescet scaturigo eius*. וְיֶחֱרַב מַעְיָנוֹ: *et exsiccabitur fons eius*, scil. *ut non amplius fructus ferre possit*. Imago ab agro desumta est, cuius deficiente humore omnis ubertas tollitur. הוּא sc. *ventus* יִשְׁסֶה אוֹצָר. Si imaginem plene pingere voluisset, adiiciendum fuisset שָׂדֶה, quod vates omittit, quoniam figuram in re figurata quasi resolvit, quodque per se intelligitur, cum de vi agatur, quam ventus in agrum exerceat. אוֹצָר: *thesaurus* et כְּלִי חֶמְדָּה: *res desiderabilis*. Verba latissimae significationis, quae, si tropum spectamus, nil aliud indicare possunt nisi: *delicata et pretiosa dona arvorum*, translata autem ad gentem Ephraimiticam tropo remoto *thesauri et desiderabilia* sunt *aedium* 9, 6., *liberorum* 9, 16. et *reliquarum divitiarum eius* 12, 9. 2, 5. 10. LXX. proximam imaginis sententiam proferunt, dum verba יִשְׁסֶה אוֹצָר vertunt: αὐτὸς καταξηρανεῖ τὴν γῆν αὐτοῦ. Fortasse אַרְצוֹ legerunt. Hieronymus plane alia cogitavit: *superest*, inquit, *ut ventum urentem, quem adducet dominus de deserto ascendentum, illum intelligamus, de quo in Habacuco legimus c. 3, 2. Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan. Hunc ventum urentem, qui siccet ve-*

XIII, 15.

nas mortis, adducet dominus, s. de deserto generis humani, in quo et diabolus quaerens requiem invenire non potuit; s. desertum intelligimus S. Mariae uterum virginalem, qui absque semine humano pullulaverit et virga simplex et purissima unione foecunda ediderit florem praestantissimum Iesum Christum. Venae autem mortis et aculeus peccata nominantur, quibus arefactis mors quoque ipse siccabitur. Quodque sequitur, ipse deripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis, dupliciter accipitur, s. quae desiderabilia sunt his, qui in morte habitant, s. vasa desiderabilia, quae in thesauro retinebantur inferni, sanctos intelligimus quos alligatos forte dominus eripuit inferis et quasi vasa pretiosissima secum perduxit in paradisum. De bona re male laboravit Hieronymus. Similes sed vel subtiliores versus nostri explicationes eorum, qui קָדִים vel *spiritum sanctum*, vel *ignem extremum mundum consumentem*, vel *Ieroboamum*, vel *regem Assyriae*, vel *iram Dei incredulos perdentem* esse contenderunt, congessit Tarnovius ad h. l.

Sequentem versum multi interpretes huic capiti annectunt. Verum cum plerisque constet utrique capiti continuam orationem inesse, res fere eadem est.

XIX.

Cap. XIV, 1—10.

Magna in culpa est Samaria, quod rebellavit adversus Deum suum. Cadent incolae sub acie gladii, soboles collidetur, gravidae eius discindentur. 2. Revertere Israel ad Iehovam Deum tuum, nam impegisti iam inter flagitia tua. 3. Recondite in animis verba vobis dicta, et revertimini ad Iehovam, supplicantes: omnem aufer culpam et benigne accipe quas solvimus oblationes labio-

rum nostrorum. 4. Assur non faciet nos salvos, equis illis superbis non insidebimus, nec ultra appellabimus Deum nostrum quod opus manuum nostrarum est, quippe in te solo imbecillorum refugium. 5. Ego vero medebor defectioni eorum, eosque redamare paratus sum. Ira enim mea iam ab Israele recessit. 6. Ceu ros immergam Israelem, germina eius pullulabunt velut lilium, aget radices suas ut firmiter stet quemadmodum Libanon. 7. Procedent surculi eius et sicut oliva gloria eius virebit, odor eius sicut Libani extendetur. 8. Tum undique habitaturi sub umbra eius redibunt, reviviscent ut triticum, germinabunt ut vitis. Memoria autem eius erit ut vinum Libani. 9. Quod ad Ephraimum adtinet, quid mihi cum idolis ille adhuc aget? Ipse solus eum exaudiam, eumque diligenter observabo. A me velut ex abiete semper virenti fructus tui capientur. 10. Quicunque sapiens ad haec attendet, attendens ea comprehendet. Nam rectae et planae sunt viae, quibus Iehova nos ducit, probi tuto iis ingredientur, at impii in iis labentur.

---

1. Nunc omnibus tropis remotis vates verba dirigit ad gentem Israeliticam ipsam, poetico modo pro ea regiam urbem Samariam nominans. תֶּאְשַׁם: *in culpa est.* Haec frequens est significatio verbi אָשַׁם, cf. 13, 1. ad quem versum vates sine dubio respicit: *illi mortui culpam sibi contraxerunt, sed nunc in eadem culpa est Samaria*, nimirum ob flagitiosum cultum Baalis, qui in ipsa metropoli maxime floruisse videtur cf. 10, 5. 7. 7, 1. Fata huius urbis refert Iosephus Antt. Iudd. 13, 18. Postquam enim ab Assyriis occupata, sed e ruinis restituta infeste contra Iudaeos se gesserat,

XIV, 1. 2.
iterum a Iohanne Hyrcano Pontifice et Ethnarcha Iudaeorum per integrum annum oppugnata, tandem capta soloque aequata est, ductis eo torrentibus, quorum eluvie cuncta ita foedata sunt, ut ne vestigium quidem urbis superesset. Postea ab Herode restituta et in honorem Augusti Graeco nomine Sebaste appellata, denique Turcorum devastationem passa est. Hodie eius loco vile oppidulum nomine Schemrin s. Schemrun remansit, ubi passim ruinae pristinae magnificentiae conspiciuntur, cf. Bellermann Handb. d. bibl. Litt. II, p. 502. Sic vaticinia de illa urbe regia iterum iterumque edita tristissimo eventu comprobata sunt. Non bene LXX. et Hieron. verbum תֶּאְשַׁם a rad. שָׁמֵם derivarunt, illi: ἀφανισθήσεται Σαμάρεια, hic: *pereat Samaria*, et quamquam inficiari non possumus, שָׁמֵם nonnunquam cum cognato אָשֵׁם ad sensum promiscue adhiberi, cf. Ez. 6, 6. Ioel. 1, 18., tamen h. l. multo aptius ob 13, 1. significatio supra commendata retinetur. Notanda est iterum paronomasia in verbis תֶּאְשַׁם שֹׁמְרוֹן. כִּי מָרְתָה בֵּאלֹהֶיהָ: *nam rebellavit contra Deum suum*, dum ad exemplum maiorum 13, 6. 9. 10. Dei oblita, spretis eius benevolentiae signis eiusdemque legibus et institutionibus, perversissimae idololatriae se subiecit, cf. 5, 11. בְּ: contra, ut 7, 14. 13, 9. Hieron. iterum male מָרְתָה a מָרַר derivat, significatione adeo transitiva: *ad amaritudinem concitavit Deum suum*. Rectius LXX.: ὅτι ἀντέστη πρὸς τὸν Θεὸν αὐτῆς. בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ scil. *incolae eius*. Sequentia verba respondent descriptioni vastationis Betharbeliticae 10, 14. cf. Amos. 1, 13. 2 Reg. 8, 12. Grammatici notarunt constructionem nominis foeminini cum verbo masculino, וְהָרִיּוֹתָיו יְבֻקָּעוּ, quam ita defendit Schmidt ut *partus* contendat *cum matribus gravidis verbo includi*. Rectius verbum impersonaliter accipitur ut 10, 7. Omnino huic versui mira inest commixtio generum de qua vid. introd. p. 105.

2. Elucet benevolus vatis animus e sequentibus. Non enim suos monere desinit. Quamquam gens fere ad incitas redacta esset, tamen non deerat vati spes, fore ut restitueretur. Deus enim semper propitius est ho-

minibus, modo ad eum revertantur. שׁוּבָה עַד יְהוָֹה: *revertere ad Iehovam.* עַד secundum Kimchium valet i. q. אֶל, cf. Ioel. 2, 2. 12. Am. 4, 6., *et*, addit, *dixerunt nostri, magna est poenitentia, quae pertingit ad thronum gloriae, nam dictum est* עַד יְהוָה אֱלֹהֶיךָ. כִּי: *siquidem* כָשַׁלְתָּ: *impegisti, offendisti* בַּעֲוֹנֶךָ: *propter s. per peccata tua.* Sens.: *iam mala tibi contraxisti, cave igitur et revertere a via tam periculosa perniciosaque, ne prorsus collabaris et contundaris.* Schmidt, qui evangelium N. T. in toto capite praedici vult, imperativum pro futuro accipit: *reverteris tamen aliquando sub Messia. Illo tempore enim futurum erat, ut etiam Israeli inter gentes disperso haec concio poenitentiae mittenda, et plurimi ad Christum Deum suum convertendi essent.* LXX. ultimum comma vertunt: διότι ἠσθένησαν ἐν ταῖς ἀδικίαις σου.

3. קְחוּ עִמָּכֶם: *sumite vobiscum* i. e. *ne oblivione tradite, sed in animis vestris recondite.* De Wette verborum nimis tenax: „nehmt Worte mit Euch." דְּבָרִים, Chald. supplet דְאוֹדָאָה i. e. *confessionis,* ut nempe semper prompti sitis ad precandum pio et contrito animo. Simplicius: *verba quae Iova ad vos per me locutus est.* Simili modo שִׂים אֲמָרָיו בִּלְבָבֶךָ Iob. 22, 22. cf. Prov. 1, 3. 2, 1. 2. 3. 4, 10. *Revertimini ad Iehovam,* vid. v. 2. *Dicite ei* כָּל־תִּשָּׂא עָוֹן: *omnem aufer culpam.* Hieron. bene explicat: *nil languoris in nobis et pristinae ruinae derelinquas, ne rursum mali seminis pullulent rediviva plantaria.* LXX.: ὅπως μὴ λάβητε ἀδικίαν καὶ λάβητε ἀγαθά, quod omnino verbis nostris non inest.

וְקַח־טוֹב: *benigne accipe* scil. quae sequuntur פָּרִים שְׂפָתֵינוּ. Nam quae interposita sunt, וּנְשַׁלְּמָה, ita sunt capienda ut ו pro relativo positum sit, cf. 13, 1. 10. Res ipsa hanc significationem docet. Dictio in versione ad verba ita sonat: *accipe benigne, et nos solvimus oblationes labiorum nostrorum.* Non video cur quis ingenii linguae haud ignarus Hebraicam verborum constructionem ita solvere dubitet: *benigne accipe, quas*

XIV, 3.

solvimus, oblationes l. n. Grotius fere hanc nostram sententiam ita exhibuit: *acceptum habe id bonum, quod nunc facimus, plane quasi non peccavissemus, et offeremus tibi pro bobus pia verba, gratias suppliciter agentia.* Simplicius et disertius etiam Eichhorn: „nimm es gnädig an, wenn wir dir unsrer Lippen-Opfer bringen.“ פָּרִים שְׂפָתֵינוּ, Boves et iuvenci usitatissimae et Deo probatissimae victimae erant, et in sacrificiis pro salute, זֶבַח שְׁלָמִים Exod. 24, 5. Lev. 3, 1., et in sacrificiis expiatoriis, חַטָּאת Lev. 4, 3 sqq. Ez. 43, 19—21. 45, 18—22. Quod quidem sacrificiorum genus a prophetis multo minoris pretii habebatur, quam significationes piorum animorum, confessionibus, laudibus gratiarumque actione exhibitae Ps. 51, 17—19. 50, 8—15. 23. 69, 31. 32. 107, 22. cf. Hos. 6, 6. Ies. 1, 11. al. Si igitur cum nostro loco comparatur v. c. locus Exod. 24, 5., ubi est: יִזְבְּחוּ זְבָחִים שְׁלָמִים לַיהוָה פָּרִים, nostrum נְשַׁלְּמָה פָרִים שְׂפָתֵינוּ diserte ad id sacrificiorum genus spectare videtur, quod pro salute Deo offerebatur. שִׁלֵּם autem est: *tale sacrificium offerre*, et sensus vatis est: *benigne accipe Deus oblationes nostras pro salute nostra, quas non bobus et iuvencis sed laudibus et precibus labiorum nostrorum ferimus.* פָּרִים metaphorice saepius sunt: *oblationes, sacrificia.* Substantivum שְׂפָתֵינוּ per appositionem adiectum est. Constructio in libris Hebraeorum obvia, ita ut appositio locum status constructi occupet. Grammatici tum omissum aliquod supplendum esse statuunt, sic h. l. פָּרִים פָּרֵי־שְׂפָתֵינוּ, cf. Michaelis ad h. l. vid. Gesen. Lehrgeb. p. 668. et Drusius ad h. l. Alii ita: *solvimus pro iuvencis labia nostra* i. e. *eorum precationes.* Alii suplent praep. בְּ: *solvimus oblationes labiis nostris.* LXX.: καὶ ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν, quasi פָּרִים a פְּרִי *fructus* descenderet, ut פְּרִי־כַחַשׁ 10, 13., פְּרִי־כַפֶּיהָ Prov. 31, 16. — Verba קַח־טוֹב alii vertunt: *sume de tuis bonum, quod in nos transferas*, v. c. Lutherus: „und thue uns wohl.“ Tarnovius et Schmidt adeo meritum Christi in medium pro-

ducunt ita: *accipe bonum nostrae iniquitati oppositum, iustitiam, quam pro nobis in fide offerimus, non nostram quidem, sed Iesu Christi.* Hieron.: *accipe (inquit) bonum; nisi enim tuleris mala nostra, bonum tibi quod offeramus habere non possumus.* Chald.: *et suscipias nos utique quasi bonos, et sint eloquia labiorum nostrorum penes te accepta tanquam boves in beneplacitum super altari tuo.* Ceterum locum nostrum e vers. LXX. citasse videtur Apostolus Hebr. 13, 15.

4. Pergit vates in commemoratione precum a contritis animo Israelitis faciendarum, ita quidem ut non tantum Dei misericordiam implorent, sed etiam vota sincera spondeant, nimirum *se nec Assyriis, nec Aegyptiis, nec idolis manu factis fisuros sed in Deo solo miserorum refugium quaesituros esse.* אַשּׁוּר לֹא יוֹשִׁיעֵנוּ: *Assur non faciet nos salvos.* Reprehenduntur his verbis foedera, quae cum Assyriis inire Israelitae nimium parati erant, cf. 5, 13. 7, 11. 8, 9. 12, 2. e quibus quidem semper nova calamitas in eos redundabat 2 Reg. 15, 19. 17, 3. עַל־סוּס לֹא נִרְכָּב: *super equis non equitabimus.* Nonnulli antiquiorum interpretum (v. c. Hieronymus, Iarchi, Ebn Esra) Aegyptios equos intelligunt, quoniam Aegyptus equis abundavisset, Deut. 17, 16. 1 Reg. 10, 28. 2 Chron. 12, 3., et Aegyptii in bellis currus et equites adhibuissent, Exod. 14, 9. 15, 19. Certe historia non impedit, quo minus ad horum opem vatem respexisse statuamus, cf. 2 Reg. 17, 4. *Non Aegyptiorum equis equitabimus, ut fortunae belli in nostris calamitatibus fidamus.* Fortasse vates in mente habuit verba 1, 7. ubi Deum saluti Iudaeorum sine equis et curribus consulturum esse pollicitus erat. וְלֹא־נֹאמַר עוֹד אֱלֹהֵינוּ: *nec dicemus ultra dii nostri* לְמַעֲשֵׂה יָדֵינוּ: *ad opus manuum nostrarum,* i. e. *nec opera fictitia Deos nostros appellabimus* (cf. 8, 6. 12, 2. Exod. 32, 4.) s. *pro vero Deo colemus.* Quod quidem Israelitae se facere negabant, sub specie simulacrorum unum tantum Deum se colere contendentes. Verum malam rem bono tantum nomine comprehendebant. Dum enim quaevis nova gentilium imago iis forma et species Dei non conspicui erat, ipsius Dei obliviscebantur, signum, ut ru-

dium hominum est, pro re signata habentes. Sic polytheismus, quem Moses cavere studuerat, e moribus barbarorum superstitiosis recipiebatur et (dictu tristissimum!) variis Deastrorum formis a barbaris adoptatis adoptabantur etiam ineptiae, flagitia et perversa consilia ad eorum cultum pertinentia. אֲשֶׁר־בְּךָ i. q. כַּאֲשֶׁר־בְּךָ. Nam אֲשֶׁר non modo pron. relativ. est, sed etiam coniunctio respondens Lat. *quod* et Graec. ὅτι, cf. Ps. 31, 8. 1 Reg. 8, 33. Deut. 3, 24. cf. Gesen. ad h. v. יְרֻחַם: *misericordiam consequetur*, activum רִחַם indicat: *misericordem esse.* יָתוֹם: *pupillus, orphanus, qui ope paterna destitutus fautore et tutore indiget.* Hieron.: *pupillus*, ait, *vocatur, quia Deum perdidit patrem.* Chald.: *eo quod a te misertum sit patrum nostrorum, ubi erant in Aegypto pupillorum instar.* Nobis voce יָתוֹם indicatur: *qui alia ope destitutus nil habet, cui fidat, nisi Deum.*

5. Addit nunc vates promissionem feliciorum temporum, quae eventura sint, si gens Israelitica pia in supplicationibus et constans in fiducia erga Iehovam fuisset. Dei enim oraculum exhibent sequentia. אֶרְפָּא מְשׁוּבָתָם: *medebor defectioni eorum.* Defectio s. aversatio quasi morbus pingitur; cumque in lingua Hebraica id usitatissimum sit ut verba peccatum indicantia, v. c. עָוֹן, חָטָא cet., etiam culpam et exitium eius designent, h. l. quoque, ubi vates de Deo dicit: *medebor defectioni eorum*, sine dubio ad detrimentum inde ortum et oriundum respicit. De nomine מְשׁוּבָה vid. 11, 7. LXX.: ἰάσομαι τὰς κατοικίας αὐτῶν i. e. *habitationes*, quae interpretatio inepta est sive linguam sive sensum species. Chald.: *acceptabo eos in conversione sua, ignoscam peccatis eorum et eorum miserebor, cum conversi fuerint.* Itaque מְשׁוּבָה duplici sensu, et bono et malo, accepisse videtur. אֹהֲבֵם: *redamabo eos*, cf. 3, 1. נְדָבָה: *sponte* i. e. *animo benigno et gratuito, non captus eorum sacrificiis et oblationibus.* נְדָבָה pr. est substantivum, quod adverbialiter ponitur Deut. 23, 24. Esr. 3, 5. LXX.: ὁμολόγως, fere eodem sensu quo alia lectio: ὁμολογουμένως: *manifeste, absque omni dubitatione vel contradictione.* Quod addit: *nam recessit ira mea* מִמֶּנּוּ: *ab eo*, scil. sequente

יִשְׂרָאֵל, designat animum Dei semper promtum ad ignoscendum.

6. Non sufficit autem vati benevolum Dei animum populo in universum significasse, pingit per tres versus sequentes imaginibus suavibus feliciora tempora a Deo huic parata. Huc pertinet potissimum, ut tandem eventu comprobetur, quod Abrahamo promissum erat Gen. 18, 18. *evadet Abrahamus magna et valida gens, per quam omnes terrae nationes felices erunt*, cf. Gen. 22, 18. 26, 4. אֶהְיֶה כַטַּל לְיִשְׂרָאֵל: *ero velut ros Israeli*, cf. 6, 3. Imago his regionibus aptissima, ubi rariores imbres cadunt, ros autem vespertinus et matutinus fruges reficiens fertilitati terrae succurrit. Sens.: *flaccescentes et ab interitu proximas res Israelitarum ita restituam, ut novas vires novaque incrementa capiant* Ies. 26, 19. Ps. 133, 3. יִשְׂרָאֵל autem, quem nunc vocat loco pronominum numeri pluralis v. 5., est: *natio in universum, civitas Israelitica* cum omnibus suis institutionibus et politicis et religiosis, quod v. 8. docet. יִפְרַח כַּשּׁוֹשַׁנָּה: *florebit ut lilium*. Imagine lilii vates cum pulchritudinem, tum foecunditatem floris innuit, de qua Michaelis ad h. l. adfert locum Plin. H. N. 21, 5. *lilio nihil foecundius est, una radice saepe quinquagenos emittente bulbos.* Maximum enim numerum civium et posterorum in ardentissimis votis Israeliticae gentis fuisse vidimus 2, 1. וְיַךְ שָׁרָשָׁיו: *percutiet radices suas* i. e. *defiget et infundet radices suas in terram.* Quam antea ob amoenitatem et foecunditatem cum lilio comparaverat gentem Israeliticam nunc ob firmitatem et late patentem gloriam cum arbore comparat, ita tamen ut nomen arboris non laudet, sed quid voluerit, tantum e contextu appareat. Pro arbore, quam h. l. manifesto nominatam exspectassemus, nominat *montem Libanon*, ut firmitatem indicet, quae nulli arbori contingere possit. Ut autem elegantiam vatis ad modum nostrae pingendi rationis vindicarent Chaldaeus, Hieron. et alii, לְבָנוֹן h. l. metonymice putarunt esse i. q. *arbores Libani*. Verum luxuriosa phantasia orientalis poetae non ita anxie metaphorae inhaesit. Nec inepti aliquid inesse video huic sententiae; *radices eius firmiter infixae et nulla temporum vice*

perturbatae stabunt sicut mons Libani. Montem autem Libanon illum clarissimum tractum altissimorum montium fuisse, qui inter Syriam et Palaestinam porrectus nominibus Libanon et Antilibanon occurrit, satis notum est, cf. Reland Palaestina I, 11. Roehr Palaestina p. 39. 40. Hieron.: *cumque creverimus in domino, mittemus radices nostras sicut arbores Libani, quae quantum in auras consurgunt vertice, tantum radices in ima demergunt ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant.*

7. יֵלְכוּ יוֹנְקוֹתָיו: *ibunt* i. e. *procedent eius surculi* s. *rami.* Quibus iterum ingens propagatio stirpis Israeliticae indicatur. Chald.: *accrescent filiis et filiabus.* D. Kimchi: *propagines parabolice significant bona in dies iis innovanda. Aut si per radices intelligetur lex Mosis, quae stabilis erit in perpetuum, tum propagines sunt scientiae, quae innovabuntur illis in cognitione Dei pie celebrandi quotidie.* וִיהִי כַזַּיִת הוֹדוֹ, idem Kimchi: *erit vis viroris eius stabilis sicut oleae, cuius folia virent toto anno.* Pari modo secundum Michaelem ad h. l. Cyrillus eam vocat *ἀειθαλῆν καὶ εὔκαρπον: semper viridem et fructibus refertam*, cf. Ier. 11, 16. Ps. 52, 10. 128, 3. LXX.: *καὶ ἔσται ὡς ἐλαία κατάκαρπος.* Chald. longe recedit a textu: *erit splendor eius sicut splendor candelabri sanctitatis*, nimirum, ut Michaelis notat, e Lev. 24, 2.

וְרֵיחַ לוֹ כַּלְּבָנוֹן. *Odorem* quoque in praestantissimis partibus tabulae de speranda felicitate exhibitae ponit. Commemorat autem *odorem Libani*, quoniam refertus erat arboribus thuriferis fragrantibusque floribus et herbis, unde saepius odorum Libani mentionem facit SSa, v. c. Cant. 4, 11. Sirac. 39, 14. Chald.: *odor eorum velut odor incensi aromatum.* Quid odoris imago indicet, bene exposuit Tarnovius ad h. l.: *indicatur potissimum nominis celebritas, quae est velut fragrantissimus quidam odor late diffusus, sicut in sacris foetere dicitur, qui passim male audit,* Gen. 34, 30. Exod. 5, 21. 1 Sam. 13, 4. 27, 12. 2 Sam. 10, 6. 1 Chron. 19, 6. Probatur haec sententia parallelismo utriusque commatis, quam loquendi rationem prophetam adamasse

saepius vidimus cf. introd. p. 129. Ut enim antea הוֹדוֹ: *gloria eius ceu oliva semper virebit*, ita nunc רֵיחַ לוֹ: *nominis celebritas ceu odor Libani extendetur.*

8. יָשֻׁבוּ יֹשְׁבֵי בְצִלּוֹ. Oratio asyndeta, ex qua modo usitatissimo verbum שׁוּב nil indicat nisi repetitionem pristinae rei, Latinis ita exhibendam: *redibunt habitaturi*, *rursus habitabunt.* Populus Israeliticus tunc temporis erat dispersus et ita perturbatus publicis calamitatibus, ut nusquam secure degendi ipsi copia esset. Pars adeo iam abducta erat in exilium per expeditionem Tiglath-Pileseris 2 Reg. 15, 29. His omnibus promittit secura domicilia sub umbra reipublicae Dei cura et auxilio restitutae. Non igitur assentiri possum iis, qui יָשֻׁבוּ de conversione animorum ad poenitentiam et ad meliorem frugem intelligunt, v. c. Hieronymo ita commentato: *qui autem conversi fuerint ad Dominum, accipient conversionis praemium, ut sedeant in umbra eius*; nec iis, qui vaticinium sero futurarum rerum in verbis nostris quaerunt, v. c. Kimchio, Drusio cet. sic exponentibus: *redibunt in terram suam* scil. *olim exules, et habitabunt in terra Dei;* nec Chaldaeo latius progresso ita: *congregabuntur de medio captivitatis suae et habitabunt in umbra Christi sui*; nec iis, qui ex analogia loci incertae interpretationis Ies. 30, 15. יָשֻׁבוּ explicant: *requiescent*, quos etiam Kimchi iam commemorat; nec denique iis, qui (ut Schmidt) *de congregatione omnium gentium sub umbra evangelii* sermonem esse putant. S. V. Kuinoel lectionem יֹשְׁבֵי mutari vult in וְיָשֻׁבוּ innisus auctoritati LXX. (ἐπιστρέψουσι καὶ καθιοῦνται) Syri, Arab. et Chald. Verum quaeritur annon isti omnes ex ingenio verba magis circumscripserint, quam curiose verterint. — Dubitant quoque interpretes de subiecto pronominis suffixi בְּצִלּוֹ quod alii ad Deum, alii ad Libanon trahunt. Eichhorn omissa voce יָשֻׁבוּ: „in seinem (Libanons) erquickenden Schatten werden sie wohnen.“ De Wette: „es kehren wieder die Bewohner seines Schattens.“ Verum nil simplicius esse potest quam ut refe-

XIV, 8.
ratur ad יִשְׂרָאֵל v. 6. de quo hucusque omnia pronomina suffixa valent. Is enim erat a Deo erigenda arbor actura undique radices, emissura surculos, gloriam et famam extensura. *Sub istius igitur umbra*, sic nostro versu pergit, *etiam populum hucusque magnis calamitatibus turbatum, securum domicilium manebit*. Quid autem Israel h. l. significet, v. 6. monuimus, nimirum *omnem oeconomiam imperii Israelitici emendatam et restitutam pietate et reditu ad regem suum Davidem* 3, 5.

יְחַיּוּ דָגָן ad verbum quidem est: *vivificabunt frumentum* i. e. *producent frumentum culturâ agrorum*. Verum cum S. V. Rosenmuellero non intelligo, quomodo tam prosaica sententia inter tot magnificas promissiones vati excidere potuerit. Melius igitur, parallelismo sequentis commatis וְיִפְרְחוּ כַגֶּפֶן iubente, הַדָּגָן pro כַּדָּגָן sumitur, cum praefixum כ saepius deesse constet cf. 13, 8. vid. Glass. Phil. S. p. 568. et introd. p. 102. Idem iam statuit Kimchi afferens exempla Prov. 17, 22. 1 Sam. 15, 23., qui quidem significationem coniugationis Piel h. l. intransitivam esse censet, ita: *vivificabunt se ipsos in mandatis Dei, quae roborabunt eos ut triticum quod vivificat hominem*. Alii aliquid supplent, v. c. Rosenmueller זֶרַע ita: *vivificabunt semen instar frumenti*. Verum simplicius difficultas ita expeditur ut mutata accentuatione legatur יְחִיוּ. Quod non magni negotii est, cum videamus vulgaris accentuationis auctores e prorsus aliena interpretatione LXX. Chaldaei et Hieronymi meliora edoceri non potuisse. LXX. enim habent: ζήσονται καὶ μεθυσθήσονται σίτῳ, pro quo adeo Hieron. legisse videtur πίονται: *bibent et inebriabuntur frumento*. Hieronymus ipse vertit: *vivent tritico*. Chald.: *vivent mortui*. — Idem mecum sensisse videntur Eichhorn ita vertens: „sie werden — aufleben wie das Samenkorn," et de Wette: „und wachsen wie Getraide." Nos intelligimus: *reviviscent sicut triticum magnam granorum copiam in messe exhibiturum*. וְיִפְרְחוּ כַגֶּפֶן, verba illis parallela: *pullulabunt s. surculos emittent longe lateque ut vitis*. Vitis, imago

foecunditatis et ubertatis occurrit Ps. 128, 3. Sensus est idem utriusque membri: *stirps eorum augebitur posterorum numero magis magisque crescente* — זִכְרוֹ כְּיֵין לְבָנוֹן: *ipsius autem* scil. reipublicae Israeliticae *nomen memorabile et honorificum* (cf. 12, 6.) *erit ut vinum Libani.* De vino Libani audiendus est Kimchi ad h. l. *Vidi in libro Asaph medici, vinum Libani, Hermonis, Carmeli montium Israelis et Hierosolymae, montium Samariae et vinum montium Caphthor et Aegypti, ista inquam vina esse suprema inter omnia vini genera, odore, gustu et medicina.* Quin et recentiores vinum montis Libani magnis laudibus celebrant, cf. Bellermann Handb. d. bibl. Litt. II, p. 357. 58. Chaldaeo *vinum Libani* est *vinum quod clangore tubae libari solet in templo Hierosolymae.* Pii nostrorum interpretum omnia ad tempora Christi referunt.

9. אֶפְרַיִם est nominativus absolutus, cf. 6, 8. 8, 13. 9, 6. 11. *quod ad Ephraimum attinet.* Cum nempe vates in poëmate vicissim Israelis et Ephraimi nomine usus sit, in pingendis magnis populi peccatis et in inculcandis grandibus eventibus ipsi futuris, utrumque oratione sua absolvere voluit. Israelem consolatus est v. 6. Nunc autem ad Ephraimum se convertit, ne ulla pars populi a Deo neglectam se existimet. Ab Ephraimo orsus 13, 1. cum Ephraimo finem facit. Dicere vult: *Fac eum antea horrendas institutiones idololatriae edidisse, abstinebit nunc ab iis nec amplius rem cum idolis habebit.* Verba מַה־לִּי לַעֲצַבִּים obscura sunt. Plerique interpretes commendarunt supplementum אֹמֵר: *dicens est*, s. אֱמֹר: *dic*, quasi e v. 3. repeteretur. Verum cum ibidem iam omnia membra civitatis Iudaicae dicere monita sint, cur nunc vates iterum se ad Ephraimum verterit, vix cogitari potest. Praeterea inde a v. 5. missis monitis versatus erat in descriptione felicioris conditionis Ephraimitas mansurae. Quam si sub finem totius orationis novis monitis interrupisset, sane inepte et frigide a vate actum fuisset. Omnino verbis nimia vis infertur, ubi ad tale supplementum confugimus, ergo necessitate non urgente ab

XIV, 9.

ea abstinere satius est. Dathe, Kuinoel, Eichhorn, huius supplementi ineptiam bene sentientes, pronomen personale h. l., ut saepius, abundare contenderunt. Verum non ex ea loquendi ratione a Glassio allata Phil. S. p. 148. qua pronomen abundans ubique eadem persona qua subiectum legitur. Hoc loco pronomen primae et subiectum tertiae personae est. Est alia loquendi ratio ingenio antiquiorum et recentiorum linguarum accommodatissima, ut dativus pleonastice poni videatur, quae etiam exemplis V. T. probari potest, vid. Mich. 2, 4. 5, 1. (quamquam in loco a Dathio et Kuinoelio laudato 12, 9. pron. לִי dativus commodi est), inter Graecos et Latinos saepius occurrens, a Grammaticis nomine *dativi ethici* appellata. De Graeca lingua Hebraicae proxima vid. exempla ap. Buttmannum Schulgrammatik §. 120. Anm. 2., de Latina ap. Zumptium Gramm. §. 71, 1. not. 2. In nostra lingua exempla sunt frequentissima, v. c.: „thue mir deinem Bruder ja keinen Schaden," sive: „du wirst mir doch nicht zu Schaden kommen!" Hinc Eichhornii versio: „Was für Gemeinschaft möchte mir noch Ephraim mit Göttern haben?" et Dathii: *quid mihi Ephraim amplius cum idolis?* Nec inepte eodem modo verba nostra expediri posse videntur, ita: *quod ad Ephraimum attinet, quid mihi cum idolis ille adhuc aget?* Hieron. ita vertit: *o Ephraim omnis qui agis poenitentiam et qui meus esse coepisti, dimitte idola, simulacra contemne!* ac si Deus dixisset: *cur me ultra illis idolis adiungis?* Verum ita maior etiam vis orationi infertur. Si LXX. fides haberi posset, optime restitueretur lectio לוֹ. Habent enim: *τί αὐτῷ ἔτι καὶ εἰδώλοις;* *Ita*, ut iam Drusius monuit, *sententia emergit ex hac lectione valde elegans. Deus enim: quid, inquit, Ephraimo ultra cum idolis rei est?* i. e. *non amplius eget eorum ope. Locutio est Anacreonti familiaris*, v. c.: *τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς;* Hanc lectionem certe faciliorem S. V. Boeckel secutus est.

אֲנִי עָנִיתִי: *respondebo*, scil. *ei*, pronomine e sequente verbo petito. *Respondere alicui* s. votis eius

est: *eum exaudire*, cf. 2, 23. 24. Chald.: *ego per verbum meum suscipiam orationem Israelis.* LXX.: ἐγὼ ἐταπείνωσα αὐτόν, pariter Syrus, e lectione עִנֵּיתִי, quod quamquam nonnulli recentiorum v. c. Dathe, Kuinoel et Eichhorn probaverunt, tamen vulgaris lectio sequenti parallelo commati magis convenit. וַאֲשׁוּרֶנּוּ: *diligenter observabo eum.* Verba vivendi significationem curandi et custodiendi habent, v. c. הִבִּיט, רָאָה, עֵינֵי יְהוָה עַל וגו׳ Iob. 28, 24. 34, 21. Ps. 13, 4. 84, 10. 2 Chron. 16, 9. LXX.: κατισχύσω αὐτόν, Hieron.: *dirigam eum*, sine dubio e lectione אֲיַשְּׁרֶנּוּ a rad. יָשַׁר. Interpretationem nostram commendarunt E. Esra et D. Kimchi cum plerisque recentioribus, v. Gesen. ad h. v. Eichhorn ut parallelismum haberet prioris membri rem in malam partem sumsit, ita: „ich züchtigte, ich fiel es feindlich an.“ Verum ut de usu verbi שׁוּר taceam, simplicitatis venustas orationi demeretur, si vatem aliud quid praeter significationem benevoli Dei animi in omnibus his commatibus spectavisse statueremus. אֲנִי כִּבְרוֹשׁ רַעֲנָן: *quasi abies semper virens ero.* Nova imago semper recentem et semper paratam Dei benevolentiam erga Israelitas indicans. Alii intelligi putant *cupressum* s. *iuniperum.* Fortasse plures eiusdem generis arbores uno nomine comprehendebantur, vid. Celsii Hierobotanicon I, p. 74. Verum omnes arbores huius generis fructum non ferunt de quo tamen subsequens comma loquitur. Vis igitur huius imaginis tantum in eo quaeri debet: *ut abies semper virescit, ita favor Dei semper felicitatem vobis parabit.* Inhaesit vates omnino notioni arboris, cuius abietem Dei imaginem esse voluit, sed e qua tantum aliquod momentum comparationis, scil. vigorem semper virentem, repetit. Chald. imaginem ad Ephraimum refert: *efficiam illum sicut abietem pulchram, quia a me remissio et poenitentia illorum invenietur.* Similiter Hieron.: *faciam eum quasi abietem virentem.* מִמֶּנִּי פֶּרְיְךָ נִמְצָא: *a me fructus tuus invenitur*, quod saepius aliis formulis pro-

XIV, 10.
tulit vates: *penes me solum tuum auxilium tuaque salus est*, v. 4. 13, 4. al.

10. Paucis verbis gravi conclusione poemà propheticum absolvitur. מִי formula interrogantis, h. l. vi relativi, ut מָה 9, 14. et עַד־מָתַי 8, 5. *qui sapiens est.* Copula ו hanc significationem exigere videtur. Sententia enim inepta existeret, si verteremus: *quis sapiens est? etiam ad haec attendat!* Nec commodius alii: *quis sapiens est, ut intelligat?* Vates enim utique in animo habuit sapientes, quos tantarum orationum vis non lateret, quod sequentibus indicatur: *viae Dei planae sunt, non dubiae, nec insidiis obstructae nec ingressu difficiles.* Est praeterea in utroque membro parallelismus nostram interpretationem postulans: *qui sapiens est, etiam attendet ad haec; qui attendens est, ea etiam intelliget.* Inter antiquos Syrus et recentiorum plures, v. c. Eichhorn, idem nobiscum de significatione particulae מִי senserunt, cuius eadem ut h. l. vis est Exod. 24, 14. Iud. 7, 3. Ies. 50, 10. Ioel. 2, 14. Prov. 9, 4. וְיָבֵן אֵלֶּה: *etiam attendet ad haec*, cf. Dan. 10, 1. Iob. 23, 8. Esra 8, 15. נָבוֹן וְיֵדָעֵם: *attendens etiam ea intelliget.* Elegans repetitio eiusdem vocis. LXX. Chald. et Hieron. vim interrogativam in verbis huius commatis invenerunt.

כִּי־יְשָׁרִים דַּרְכֵי יְהוָה: *nam rectae s. planae sunt viae Iehovae* scil. *quibus nos ducit.* כִּי causam indicat cur attendentes intelligant. De hominibus *viae* sunt *rationes se gerendi, vita et mores eorum* 10, 13., de Deo est *providentia* et *cura, qua homines ducit, modus agendi erga homines.* Eodem sensu dicuntur viae Iehovae תְּמִימִים Ps. 18, 31. 2 Sam. 22, 31. *sine omni errore et culpa.* צַדִּקִים: *probi* cf. 10, 12. יֵלְכוּ בָם: *iis incedent.* Sens.: *tuto et secure dirigent gressus suos, utcunque a Deo ducuntur, nam iis non deerit felicitas, quae semper virtutem comitatur.* וּפֹשְׁעִים יִכָּשְׁלוּ בָם: *improbi in iis labentur*, i. e. *utcunque ducantur, vel commodis, opibus et amoenitatibus vitae instructi vel ad humilem sortem adacti, infelices erunt.* Quod egregie rebus Israe-

liticis comprobabatur, quippe quae post brevem florem nunc ad interitum ruerent. Qui cum Chaldaeo h. l. vaticinium de vita aeternaque piorum felicitate et de aeterna miseria impiorum quaerunt, certe verba et sententiam vatis non diligenter observant. Nusquam enim vates, sicut in omni operis expositione vidimus, ad hanc christianorum verae felicitatis spem et fiduciam ascendit.

Tabula chronologica

rerum ad vitam et sermones Hoseae prophetae pertinentium.

Anni mundi (e computat. Petav.)	ante Christ. natum:	
3180.	824.	Ierobeam II. rex tribuum Israeliticarum creatur.
90.	14.	
4.	10.	Mors Amaziae regis Iudaeorum. Initium Usiae s. Asariae sub tutela regnantis.
200.	804.	
6.	798.	Usias sui iuris factus ipse imperii sceptrum tenet.
10.	94.	
15.	89.	
20.	4.	
1.	3.	Ierobeam II. moritur.
2.	2.	Israeliticum interregnum undecim annorum.

A. mdi:	a. a. Chr. n.	
3223.	781.	Hos. 1—3. Annus uniuscuiusque particulae definiri nequit.
4.	80.	
5.	79.	
6.	8.	
7.	7.	
8.	6.	
9.	5.	
30.	4.	
1.	3.	
2.	2.	Sacharias rex Israelitarum constitutus post 6 menses occiditur. — Hos. 4, 1. — 5. 9. Sallum succedit.
3.	1.	Menahem Sallumi parricida imperio potitur. Annus Usiae 40tus.
4.	70.	
5.	69.	
6.	8.	
7.	7.	
8.	6.	
9.	5.	Initium leprae in quam Usias rex Iudaeorum incidit. — Hos. 5, 10 — 6, 3.
40.	4.	
1.	3.	Hos. 8, 1 — 10.
2.	2.	
3.	1.	Menahem moritur. Successor Pekaiah. Annus Usiae 50tus.
4.	60.	
5.	59.	Pekaiah trucidatur. — Hos. 7, 1 - 7. Pekah rex Israelitarum.
6.	8.	Usias rex Iudaeorum diem supremum obit. Filius Iotham ipsi succedit in regno Iudaico.
7.	7.	Hos. 6, 4—11.
8.	6.	
9.	5.	
50.	4.	
1.	3.	
2.	2.	

A. mdi:	a. a. Chr. n.	
3253.	751.	
4.	50.	
5.	49.	
6.	8.	
7.	7.	
8.	6.	Hos. 8, 11 — 9, 7.
9.	5.	
60.	4.	Pacta Pekahi cum Rezino Syro contra Iudaeos.
1.	3.	Hos. 9, 10 — 17.
2.	2.	Iotham rex Iud. moritur, cui filius Ahas succedit.
3.	1.	Bellum Israelitarum contra Iudaeos.
4.	40.	
5.	39.	Irruptio Tiglath-Pileseris in regnum Israeliticum.
6.	8.	Pekah rex Israelitarum adnuentibus Assyriis ab Hosea trucidatur.
7.	7.	Interregnum 8 annorum. Hoseas auxilio Assyriorum fretus regno Israelitico potiri conatur.
8.	6.	
9.	5.	
70.	4.	
1.	3.	
2.	2.	
3.	1.	Hoseas tandem a Salmanassere Assyriaco rex Israelitarum constituitur, imposito annuo tributo Assyriis solvendo.
4.	30.	
5.	29.	Hoseam regem foederis Assyriorum piget. — Hos. 11.
6.	8.	Ahas rex Iudaeorum moritur. Hiskias filius et successor. Initia pactorum Israeliticorum cum rege Aegyptiaco. — Hos. 12.
7.	7.	Hos. 7, 7 — 16.
8.	6.	Hos. 10. (incl. 9, 7 — 9.).
9.	5.	Hos. 13, 14. Finis sermonum Hoseae prophetae.

A. mdi:	a. a. Chr. n.	
3280.	724.	Expeditio Salmanasseris contra Hoseam regem Israelitarum.
1.	3.	Samaria obsessa.
2.	2.	
3283.	721.	Samaria capta. Stirpes Israeliticae cum rege Hosea in exilium abductae.

Errores absente auctore ortos lector benevole et excusabit et emendabit. Sunt, qui prae ceteris notentur, hi:

Pag. 7, lin. 19. not. legatur: praeesse — pag. 35, l. 30. leg. שְׁלָמִים — p. 37, 26. comparantur — p. 45, 16. in se — p. 48, ult. idque — p. 65, 8. Itaque — p. 67, 7. not. annos — p. 70, 30. Israelitici — p. 75, 4. ad Aegyptios — p. 80, 28. vexandam — p. 82, 30. Ahabo — p. 85, 1. conspicuum — p. 88, 1. Ex — p. 91, 11. multifariae — p. 99, 4. Salmanasseris — p. 111, 20. praepositionis — ibid. 29. plus quam — p. 115, 15. existit — p. 131, 2. not. Syris — p. 144, 9. Makkeph — p. 145, 27. voluisset — p. 147, 32. ficulnea — p. 149, 16. solio — p. 151, 2. invehar — p. 156, 32. pendendo — p. 159, 17. restitueretur — p. 166, 36. intelligendae — p. 167, 7. amantium — ibid. 10. ubera — ibid. 23. ne colore — p. 168, 16. Israelitis — p. 170, 29. erga — p. 171, 5. concinnitatis — p. 181, 2. οὐχ' οὕτω — p. 182, 25. mulier movetur — ibid. ult. כַּרְמִיָּה — p. 185, penult. adoptaverant — p. 190, 25. infantium — p. 211, 6. exsecrari — p. 213, 7. dissidentes — p. 214, 14. quemque — p. 216, 18. unam — p. 223, 8. observando — ibid. verba: cultum idolorum ab Israelitis adoptatum in l. 17. falso irrepserunt; legantur l. 21. post: Scimus enim — p. 228, 16. leg. dignos — p. 229, 7. laborarent — ibid. ult. easque — p. 230, 11. prosicias — p. 232, 15. Vociferamini Bethavene — ibid. 18. Israelis — p. 235, 11. Ephraimiticos — p. 243, 2. συρισεῖ — ibid. 24. Hat es der St. — p 244, 1. earum — p. 246, 10. vocatur — p. 249, 21. perfide — p. 250, 29. commemoraverat — p. 251, 13. impunitus — ibid. 34. ad — p. 252, 5. erant — p. 257, 14. Revertamur — p. 258, 1. ponit — p. 261, 38. post Phulo desunt verba: tempore Menahemi et Usiae; in altero, de illis Iudaeorum cum Tiglath-Pilesere — p. 262, 32. leg. Bethavenis — p. 268, 29. tendamus p. 269, 21. sacrificiis — p. 270, 8. Pekaiahi — ibid. 12. resipiscerent — p. 274, 37. paradisi — p. 277, 27. est — p. 286, 36. fermentari — p. 287, 14. ζυμωθῆναι — ibid. 19. frühen Morgen — p. 291, 19. fermentescentis — ibid. 37. φέγγος — p. 302, 15. praepositione — p. 312, 5. pro signo? ponatur. — p. 320, penult. Utique — p. 322, 3. Aegypti — ibid. 8. erat — p. 325, 1. post abducentur desunt verba: in Assyriam eodem modo, ac si revertantur — ibid. l. 35. addatur: Illae descriptiones de temporibus quoque Iothami regis valent, de quo 2 Chron. 27, 4. *oppida in montanis Iudaeae construxit, tum castella et turres in montibus.* Quibus

temporibus vatis sermonem assignare malim, quoniam tunc et Israelitis maior copia superbiendi, et utrique reguo mores corruptiores fuisse videntur. — p. 353, 12. et 15. leg. ventris — p. 356, 23. qua — p. 362, 27. quod ad — p. 367, 9. idolis — p. 369, 20. omittenda — p. 379, 34. munitiones tuae deperdentur sicut deperditur — p. 391, 1. revertetur — p. 399, 5. commentatione — p. 401, 8. Deus tuus — p. 403, 8. arbitrio — p. 405, 28. occurrit — p. 409, 27. et 36. Iehova — p. 420, 28. sermo — p. 426, 6. provectus — ibid. 20. in Aegyptum — p. 427, 31. quem — p. 430, penult. horrendas — p. 431, 37. Ahabo — p. 432, 18. Ahabi — p. 433, 27. quod ad — p. 434, 19. non tantum — p. 437, 11. pronominis — ibid. 14. pronomina — p. 438, ult. quando — p. 448, 5. quo — ibid. 13. percussit — p. 452, 36. ascendentem — p. 457, 32. supplent. — Ceterum in toto libro legantur: imprimis, Gibeatitae, solennis, ceteri, cum suis derivatis.

Praeterea errores locorum citatorum sunt emendandi hi:

Pag. 33, l. 6. leg. Deut. 34, 6. — p. 41, l. 8. 3, 5. — p. 134, 12. 2 Chron. 34, 14. — p. 146, 35. 2 Sam. 7, 8. — p. 153, 22. Num. 14, 19. — p. 159, 31. 3, 1. — p. 203, 36. Zach. 10, 2. — p. 212, 24. 4, 1. — p. 219, 14. Dan. 7. — p. 235, 32. 2 Chron. 17. — p. 241, 22. Ps. 115, 9. 11. 59, 12. — p. 249, 12. 7, 12. — p. 253, 12. Ier. 10, 25. — p. 263, 20. Prov. 17, 22. — p. 269, 2. Ier. 5. — p. 295, 7. Exod. 19, 5. — p. 334, 15. Gen. 19, 33. — p. 345, 23. Ier. 4. — p. 367, 11. 4, 15. — p. 370, 14. 1 Reg. 18. — p. 377, 20. Ps. 112. — p. 388, 21. Ier. 7, 26. — p. 400, 11. Ies. 1, 24. — p. 431, 5. 4, 7. — p. 439, 20. v. 11. — p. 452, 5. Iob. 15, 30.

111694

